R. BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA ALESSANDRINA
G
O
47
ROMA

Digitized by Google

UNIVERSITARIA

Digitized by Google

N. 21 Cj. 0.47.

DE GYMNASIO ROMANO ET DE EIUS PROFESSORIBUS

Ab Vrbe condita uſque ad hæc tempora

LIBRI DUO

Quibus accedunt Catalogus Advocatorum Sacri Conſiſtorii, & Bullæ ad ipſum Gymnaſium ſpectantes.

AUCTORE JOSEPHO CARAFA C. R.

IN EODEM GYMNASIO HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORE.

ROMÆ CIↃ. DCC. LI.

TYPIS ANTONII FULGONII APUD S. EUSTACHIUM.

SUPERIORUM FACULTATE.

46

Viens Junj 1813

Digitized by Google

UNIVERSITARIA

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

MIRUM *non eſt*, BEATISSIME PATER, *antiquiſſimi Gymnaſii Romani Hiſtoriam nunc primum ſub Auſpiciis Tuis in lucem venire. Quot enim, & quanta, Te Pon-*

tifice, Te Auctore, Te Auſpice, nunc primum facta ſunt ad Sedis Apoſtolicæ gloriam, & Reipublicæ utilitatem! In harum rerum numero profecto eſt Gymnaſium Romanum a Te priſtino ſplendori reſtitutum, & nova, longeque majori donatum luce ex ſapientiſſimis legibus a Te editis, novis Cathedris a Te excitatis, claris Profeſſoribus a Te conſtitutis, & ex hac ipſa Hiſtoria, quæ illius veterem dignitatem, priſtina jura, ordinem nobiliſſimum, clariſſimos Profeſſores e tenebris revocat, & ante oculos ponit. Decebat ſane Te Pontificem doctiſſimum nedum ſacris Eccleſiæ rebus, nedum politicis Reipublicæ negotiis, verum etiam rei litterariæ, quammaxime conſulere. Jam nihil gloriæ Tuæ deeſt, nihil deeſt publicis rebus. Sed abſtineo a Tuis laudibus proſequendis, quia ſi dicerem

diu,

Digitized by Google

diu, ſi dicerem multa, tamen pro dignitate Tua, & ingenio meo, dicerem parum, dicerem nihil. Vnum ſupplex addam, ut cæteris beneficiis a Te in Gymnaſium collatis accedat hujus Hiſtoriæ patrocinium. Quid a Pontifice plurium librorum Scriptore clariſſimo petendum, ſperandumque magis eſt, quam libris, Scriptoribuſque patrocinari? Diu ſalvus eſto, BEATISSIME PATER, *quia Te ſalvo, ſalva eſt Eccleſia, ſalva eſt Reſpublica.*

CLE-

Digitized by Google

CLEMENTI ARGENVILLERIO

Advocato Conſiſtoriali, Rectori Gymnaſii, Pontificis Auditori.

JOSEPH CARAFA C. R.

CUM plurima a Te, Vir Sapientiſſime, ad Gymnaſii Romani gloriam inſtaurandam, augendamque fuerint ordinata, illud, neque Tu, neque tui ſimillimus Philippus Maria Pirellius, quem honoris cauſa nomino, omiſſum voluiſtis, ut illius Hiſtoriam hactenus tenebris involutam aliquis e Profeſſorum numero in publica luce collocaret. Et id quidem ſcitiſſime a Te factum pro more tuo, uti aſſoles in omnibus publicis rebus, quas adminiſtras, nullus ibit inficias. At quod mihi potiſſimum hanc provinciam demandaveris, vereor ne id tibi vitio vertendum ſit. Juſſa tamen feci, votiſque tuis feci ſatis, ſi non ex toto, & pro rei dignitate, pro viribus tamen meis, venia profecto dignus, cum primus in hanc arenam deſcenderim, vix elapſo anno ab inchoato munere litterario, dum publicis in Gymnaſio Romano, privatiſque apud noſtrates Scholis quotidie incumberem. Sed

jam

Google

jam me facem præferente, alii fortaſſe auſpicatius in eadem veſtigia ingredientur. Itaque ubi primum ad id animum applicui, ſtatui rem ab ovo, ut ajunt, exordiri. Cum enim certum ſit a prima Romani Imperii ætate claruiſſe Romanam Academiam, ejuſque in utroque Codice mentio fiat, jam id non poterat a me ſine crimine præteriri. Nec inutile, vanumque exiſtimavi originem, incrementum, interitum, renovationem, omnemque litterarum in Urbe fortunam ad hæc uſque tempora proſequi. Id tamen agere decrevi, ea lege, ut ſummam dumtaxat rerum perſtringerem. Neque enim mihi eſt otium, ingeniumque leviſſima quælibet conſectandi, vel quælibet fuſiſſime ſcribendi. Placet plurima paucis complecti. Et in tanta librorum mole, ac rerum diſcendarum copia optandum eſt, ut Auctores, Typographi, Lectoreſque parcant labori. Hinc Profeſſorum, & Advocatorum Conſiſtorialium feriem paucis abſolvi. Nam illorum plurium nomina ita nota ſunt, ut ſatis fuerit ea indicaſſe. Aliorum vero elogia libris pluribus, quos indicavi, continentur. Quod ſi fortaſſe ſummos aliquos Viros jejune nominavi, vel editos ab aliis libros ſilentio præterii, id præter animi mei ſententiam factum aſſero, quod illorum res mihi haud fuerint ſatis exploratæ, non quod

illo-

illorum gloriæ aliquid voluerim deperire. Huic malo, ut ex parte occurrerem, addidi Appendicem, qua Profeſſores alios in medium profero, vel alia nonnulla de Profeſſoribus jam recenſitis ſubjungo. Quo quiſque anno, ſtipendioque docuerit in Scholis Urbis, cum potui, adnotavi. Hæc enim de antiquis præſertim Profeſſoribus comperta ſatis mihi eſſe non potuere. Qui vero in vivis agunt, & nunc temporis vel in Scholis publicis, vel inter Advocatos Conſiſtoriales præclariſſime merent, hos etſi ſummis laudibus digniſſimos, nolui tamen ea injuria afficere, ut viderentur ad eorum potius gratiam conciliandam, quam ad eorum merita extollenda a me commendari. Atque hinc ubi de Te, Vir ampliſſime, rebuſque tuis inter Advocatos Conſiſtoriales verba facio, ſileo eximiam tuam in utroque Jure peritiam, magnam morum probitatem, & ſingulare ſtudium juſtitiæ, & æquitatis, a qua nullo hominum favore, timore nullo, nulla ſpe umquam deflecti potes, & illum animi ſermoniſque tui candorem, quem apud omnes, & libere, & conſtanter, & graviter geris. Sed me tacente, plura præclariſſima a Te geſta, plura doctiſſime a Te ſcripta, & Summi Pontificis de Te judicium, ac benevolentia, tui nominis gloriam ſatis commendant. Vale.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantin. Viceſg.

POTERIT IMPRIMI,

Si iis ad quos pertinet ita videbitur.

Clemens Argenvillieres Rector Dep.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

APPROBATIONES.

OPus *De Gymnaſio Romano* complectitur nedum hujus Hiſtoriam, verum etiam illam Studiorum Romanorum ab Urbe condita ad hæc uſque tempora; quarum utramque diligenter conquiſitis undique teſtimoniis mira claritate, naturali ordine, & perpolito ſermone contexuit doctus Auctor Joſeph Carafa C. R. Profeſſor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Quare cum illud laudem ei pariat, noſtro Gymnaſio ſit decorum, & Romanæ juventuti ad litteras incitamento, nec abſonum appareat a ſana morum, & Fidei doctri-

Digitized by Google

na, publica luce dignum cenſeo. Ita ex Cœnobio S. Euſebii de Urbe die 4. Jan. 1751.

Ego D. Fridericus de Judice Abbas Cæleſtinorum Ordinis S. Benedicti, & in laudato Gymnaſio Sacrorum Dogmatum Profeſſor.

NObiliſſimam *Romani Archigymnaſii Hiſtoriam* arduam ſane Provinciam, & a nemine hucuſque tentata ſummo cum labore, & eruditione concinne prorſus, eleganterque perfecit Joſeph Carafa C. R. Profeſſor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Hanc ipſam in libros duos diſtributam non ſine magna cum animi voluptate attente perlegi, accurateque perpendi. Cumque nihil in ea offenderim, quod aut Chriſtianis moribus aut Orthodoxæ Fidei adverſari poſſe videatur, volens omnino, prudenſque cenſeo Opus eſſe cum publica luce, tum omnium commendatione digniſſimum. Romæ ex Ædibus Auguſtinianis III. Kal. Jan. anno 1751.

Fr. Auguſtinus Antonius Georgi Ordin. Eremit. S. Auguſtini in Rom. Archigymn. Profeſſor Sacræ Scripturæ, & Conſultor Sacrorum Rituum.

R*Omani Gymnaſii Hiſtoriam*, *ejuſque Profeſſores* primus omnium e tenebris revocavit P. D. Joſeph Carafa C. R. Hiſtor. Eccl. Profeſſor, editis duobus libris, ſumma eruditione, optima methodo, exquiſita diligentia conſcriptis; qui cum neque bonis moribus, neque Catholicæ Fidei vel minimum obſtent, digni ſunt publica luce.

Joſeph Catalanus Presbyter Oratorii S. Hieronymi Caritatis.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES BAPTISTA MARI

Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

HOc Opus inſcriptum *De Gymnaſio Romano &c.* a P. D. Joſepho Caraſa noſtræ Congreg. Theologo compoſitum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum, facultatem concedimus, quoad nos ſpectat, ut typis edatur. Ex Ædibus S. Silveſtri in Quirinali. Non. Jan. 1751.

D. Paſchalis Dentice C. R. Secret.

QUod unum ad Romanæ Academiæ gloriam augendam pertinere videbatur, id maxime præſtitiſſe puto V. Cl. Joſephum Caraſa eo libro, quo ejuſdem Gymnaſii Hiſtoriam litteris mandavit. Sane legenti mihi nihil in oculos incurrit, quod majorum noſtrorum religionem, rectamque morum diſciplinam offendat: quin Auctorem ipſum hominem omnibus ingenuis artibus eruditum probe perſpexi. Quapropter digniſſimum Opus cenſeo, quod litterariis formis excudendum tradatur. Kal. Jan. 1751.

Paulus M. Pacciaudius C. R.

OPus inſcriptum *De Gymnaſio Romano &c.* P. D. Joſephi Caraſa C. R. Th. & in Gymnaſio Romano Hiſt. Eccleſ. Profeſſoris, quum adtentis animis luſtrarem, nil in illo obſervare potui, quod ad rectos vivendi mores, aut ad Sacras Chriſtianæ Religionis leges offendat: quinimo, uti Liber ipſe ſatis per ſe innuit, omnes ejus partes docte juxta ac diſerte pertractantur: & Status Romanæ Academiæ, atque ſcientiarum, ab

ipſo Romani nominis exordio, temporum, rerumre ordine ſervato, ita brevibus repræſentatur, ut copioſe ſimul, & dilucide in legentium oculis poſitus adpareat. Eapropter mea ſententia nil obſtat, quin typorum formis in publicum adferatur; atque adeo Reip. Litterariæ bonum illud poſtulare quammaxime videtur. ex Ædibus S. Andreæ de Valle Kal. Janu. 1751.

Antonius Franciſcus Vezzoſi C. R.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI

CAPUT I.

DE GYMNASIO ROMANO AB URBE CONDITA USQUE AD CAESARES.

Romani primum a Numa erudiri cœperunt. II. *Diu tamen neglectæ apud ipſos Litteræ*. III. *Quo primum tempore in Urbe doceri cœperint Grammatica*. IV. *Poeſis*. V. *Rhetorica*. VI. *Matheſis*. VII. *Philoſophia*. VIII. *Medicina* IX. *Juriſprudentia*. X. *Publicæ Scholæ in Urbe*, & *Provinciis*. XI. *Quæ fuerit apud veteres Romanos ratio inſtituendi pueros liberalibus diſciplinis*. pag. 1

CAPUT II.

DE GYMNASIO ROMANO SUB ETHNICIS IMPERATORIBUS.

Qui Imperatores ſtuduerint liberalibus diſciplinis. II. *Quique uſi ſint contubernio*, *familiaritate*, & *conſilio Profeſſorum bonarum artium*. III. *Ut ad Scholas publicas ſæpe acceſſerint audiendi*, *vel dicendi cauſa*. IV. *Athenæum* & *Scholæ publicæ ab Imperatoribus conſtructæ in Urbe* & *Provinciis*. V. *Et ſalaria conſtituta Profeſſoribus artium liberalium in Urbe*, & *Provinciis*. VI. *Tum privilegia eiſdem conceſſa*. VII. *Clari illius ævi Profeſſores recenſentur*. VIII. *Adverſa fata bonarum artium*

tium ſub Caligula, Nerone, Vitellio, Domitiano, Caracalla, & Heliogabalo. pag. 34

CAPUT III.

DE GYMNASIO ROMANO SUB IMPERATORIBUS CHRISTIANIS.

Leges Valentiniani. II. *Et Theodoſii de Studiis liberalibus Urbis Romæ.* III. *De Studio Juriſprudentiæ in Romano Gymnaſio.* IV. *Quæ privilegia conceſſerint Profeſſoribus Imperatores Chriſtiani.* V. *Quæque ſtipendia.* VI. *Quam floruerit his temporibus Romanum Gymnaſium.* VII. *Julianus Imperator Chriſtianos a Scholis prohibuit.* VIII. *De Gymnaſio Romano, imperantibus Gothis.* pag. 65

CAPUT IV.

DE GYMNASIO ROMANO MEDIO AEVO.

Medio ævo extinctæ Litteræ in Oriente. II. *Et Occidente.* III. *Gregorius M. ab hoc crimine vindicatur.* IV. *De Schola Palatii Pontificii.* V. *Profeſſores bonarum artium ex Urbe in Galliam abducti a Carolo Magno.* VI. *Cura Romanorum Pontificum in excitandis Scholis, litteriſque.* VII. *De Scholis publicis in Italia a Lothario erectis.* VIII. *An decimi ſæculi ignorantia Urbem quoque involverit.* pag. 94

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOTERTIO.

Romanorum Pontificum cura de reſtaurandis Scholis. II. *Et Imperatorum*. III. *Quæ fuerit his temporibus rei litterariæ facies in Italia*. IV. *Studium utriuſque Juris Innocentius Quartus in Urbe ſtatuit*. V. *Honorius Tertius inſtituit Scholam, & Magiſtrum Sacri Palatii*. VI. *Albertus Magnus, & S. Thomas Aquinas docent in Schola Sacri Palatii*. VII. *Beatus Ambroſius Sanſedonius reſtaurat in Urbe ſtudia Theologica*. VIII. *De Lectoribus Sacri Palatii*. pag. 123

CAPUT VI.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOSEXTO.

Romana Academia a Bonifacio Octavo pluribus diſciplinis. II. *Et privilegiis aucta*. III. *Hujus Pontificis partes tuendas ſuſcipit*. IV. *Ejuſque famam vindicat*. V. *Clemens Quintus in Concilio Viennenſi ei addidit ſtudia linguarum Orientalium*. VI. *Joannes Vigeſimus ſecundus confirmavit privilegia Romani Gymnaſii, ac conditiones præſcripſit ad Doctores in eo conſtituendos*. VII. *Eximii quidam illius ævi Profeſſores*. VIII. *Calamitas Romanæ Academiæ, labente hoc ſæculo*. pag. 146

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOQUINTO.

Innocentius Septimus extinctam Romanam Academiam inſtaurare conatur . II. *Quam floruerint in Urbe Litteræ* , *Eugenio Quarto Pontifice* . III. *Eugenius ædes* , *&* *ſtipendia publicis Profeſſoribus addicit* . IV. *Nicolaus Quintus magnus Litterarum* , *&* *Gymnaſii patronus* . V. *Eximii Profeſſores illius ævi* . VI. *De Ariſtotelis* , *&* *Platonis fortuna in Gymnaſio Romano* . VII. *Status Gymnaſii ſub Pontificibus, qui ſucceſſere* . VIII. *De conſtituendis Doctoribus in Theologia* . IX. *Et in utroque Jure* . X. *De Cancellariis Univerſitatum* . pag. 167

CAPUT VIII.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOSEXTO.

Quid egerit Leo Decimus . II. *Quidque decreverit ad Romani Gymnaſii ſplendorem* . III. *Sacra Ædes extructa* . IV. *Calamitas Litterarum ſub Clemente Septimo* . V. *Reſtitutæ Scholæ publicæ a ſucceſſoribus Pontificibus* . VI. *De re litteraria Gymnaſii* , *hoc ſæculo* . VII. *Sixtus Quintus ejus patrocinium nonnullis Cardinalibus commendat* . VIII. *Ejuſdem regimen Advocatis Conſiſtorialibus committit* . IX. *De Advocatis Conſiſtorialibus* . X. *De Rectore* . XI. *Jus creandi Doctores Legum huic Collegio confirmatum* , *&* *vindicatum* . XII. *De conſtituendis Doctoribus in Medicina* , *&* *Philoſophia* . pag. 195

CA-

CAPUT IX.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOSEPTIMO.

Gymnaſii ædificium ſub Alexandro Septimo perficitur. II. *De ejus Bibliotheca*. III. *de Sacra Æde*. IV. *De Horto Medico*. V. *De ſtipendiis Profeſſorum*. VI. *Novæ quarumdam Diſciplinarum Cathedræ reſtitutæ, vel erectæ*. VII. *Solemnis Dedicatio Gymnaſii*. VIII. *Decreto Clementis Noni nullis in Urbe fas eſt publice docere, diſſentiente Gymnaſii Rectore*. IX. *Jus interpretandarum Legum uni Gymnaſio Romano aſſertum, & vindicatum*. X. *De quibuſdam Theologicis exercitationibus in Gymnaſio Romano*. pag. 235

CAPUT X.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOCTAVO.

BENEDICTUS XIV. reſtaurat Romanam Academiam. II. *Ejus regimen Advocatis Conſiſtorialibus, eorumque jura confirmat*. III. *Statuit ordinem conſtituendi publicos Profeſſores*. IV. *Mathematicam, & Chemiam donat Cathedra & ſtipendio*. V. *Definit numerum, & ſtipendia Profeſſorum utriuſque Juris*. VI. *Et Medicinæ, ac Botanicæ*. VII. *Theologia Moralis, Phiſica experimenta, & Liturgia docentur e Cathedra*. VIII. *Quotidianam operam jubet Profeſſores præſtare*. IX. *Conditiones decernit ad vacationem muneris obtinendam*. X. *De dignitate Profeſſorum Urbis*. XI. *De Ordine, quem inter ſe ſervant*. XII. *Ordo totius rei litterariæ in Gymnaſio Romano*. pag. 266

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
LIBRI SECUNDI

CAPUT I.

Profeſſores Rhetoricæ & Humanitatis. 299

CAPUT II.

Profeſſores Philoſophiæ. 327

CAPUT III.

Profeſſores Medicinæ. 353

CAPUT IV.

Profeſſores Mathematicæ. 381

CAPUT V.

Profeſſores Linguarum Orientalium. 591

CAPUT VI.

Profeſſores Legum. 400

CAPUT VII.

Profeſſores ſacrarum Diſciplinarum. 438

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Advocati Conſiſtoriales. 488

APPENDIX

Profeſſores addendi. 556

Profeſſores dignitate illuſtres. 565

Advocati Conſiſtoriales dignitate illuſtres. 569

Bullæ Romanorum Pontificum ad Gymnaſium Romanum ſpectantes. 573
Bonifacii VIII. 573
Eugenii IV. 576
Sixti IV. 579
Leonis X. 582 589
Sixti V. 595
Alexandri VII. 599
BENEDICTI XIV. 608

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT I.

DE GYMNASIO ROMANO AB URBE CONDITA USQUE AD CÆSARES

Romani primum a Numa erudiri cœperunt. I'. Diu tamen neglectæ apud ipſos Litteræ. III. Quo primum tempore in Urbe doceri cœperint Grammatica. IV. Poeſis. V. Rhetorica. VI. Matheſis. VII. Philoſophia. VIII. Medicina. IX. Juriſprudentia. X. Publicæ Scholæ in Urbe, & Provinciis. XI. Quæ fuerit apud veteres Romanos ratio inſtituendi pueros liberalibus diſciplinis

I. VEterum Romanorum magnam fuiſſe gloriam in re militari ſimul ac litteraria compertum eſt; & ſunt, qui putant, auctum eorum imperium armis, litteriſque; cum ad illius magnitudinem ſatis non fuiſſet urbes capere, hoſtes ſuperare, niſi ſapientiſſimis legibus, ac inſtitutis adminiſtrata fuiſſet Reſpublica. Novi equidem, & olim, & hiſce temporibus, plurimarum gentium, quibus nullæ litteræ, longe lateque diffuſum imperium. Illud tamen ſexcentis incommodis pervium, firmius hæreret, diutius perduraret, uberius efloreſceret, ſi litteris expoliretur. Celebre eſt Platonis dictum, tunc Rempublicam beatam fore, ſi aut Principes fuerint Philoſophia imbuti, aut Philoſophi fuerint imperio potiti. Et Plutarchus in libro de inſtituendis liberis, quantum utilitatis afferat Reipublicæ Litterarum cognitio, his verbis oſtendit: *Per hanc enim, atque hac adjutrice noſſe licet, quid honeſtum, quid turpe, quid juſtum,*

quid

quid iniquum , quid expetendum , quid fugiendum , quemadmodum erga Deos , quemadmodum erga parentes , qui erga majores natu , qui erga leges , qui adverſus Magiſtratus , qui adverſus alienos , qui adverſus amicos , qui adverſus conjuges , qui adverſus ſervos nos gerere debeamus . At niſi cives hiſce officiis omnibus recte ſapienterque ſungantur, nulla eſſe poteſt felicitas Reipublicæ. Ut igitur hæc officia cognoſcantur, & mores hominum componantur, neceſſariæ ſunt ſtudia artium liberalium. Quæ etiam magnum illud commodum procreant, ut dum iis toti homines incumbunt, capti litterarum amore, & ſtudio hujus ſibi gloriæ comparandæ, interea tranquillitatem Reipublicæ, cui magnam inferre ſolent perniciem ingenia curis omnibus, ſtudiiſque vacua, minime perturbant. Quapropter in omni florentiſſima Republica Ægyptiorum, Chaldæorum, Aſſyriorum, Hebræorum, ac Græcorum, floruere inſigniter Litteræ. A Græcis per Æneam ad Sabinos, & Aborigines, indeque ad Romanos translatas eſſe litteras, narrat Hornius in Hiſtoria Philoſophiæ. Alii cenſent, ab Etruſcis, quos Diodorus Siculus Lib. 5. Phyſiol. ait naturæ cognoſcendæ diligenter ſtuduiſſe, derivatam ad Romanos Philoſophiam. Sed quæ de antiqua Etruſcorum gente veteres Scriptores tradidere, apud quos illi imprimis celebrantur propter inventa auguria, quæ ſe ad Romanos tranſmiſiſſe gloriabantur, ea, uti obſervat Brucherus Lib. 2. Cap. 10. Hiſt. Philoſ. ſuadent notitiam illam rerum naturalium, quæ Etruſcis adſcribitur, nonniſi in peritia divinandi ex rebus naturalibus conſtitiſſe, ut ab Arnobio Lib. 2. adv. Gentes dicta fuerit Etruria genitrix, & mater ſuperſtitionis. Alii a Numa Pompilio, altero poſt Romulum Rege, quem inter Pythagoræ diſcipulos recenſent, deductam opinantur ad Romanos rerum naturalium, ac divinarum cognitionem. At Numam Pythagoricis Philoſophis per-

pe-

peram addi, ipſe Livius Lib. 1. Cap. 18. obſervavit, cum Pythagoras longo poſt Numam tempore vixerit, & in ultimis Italiæ oris docuerit, quo non facile Sabini, ætate illa, cum Italia in tot diverſiſſimos populos diviſa eſſet, iviſſent diſcendi cupiditate. Fortaſſe, uti conjicit Plutarchus, præceptori Numæ fuit Pythagoræ nomen, & inde hunc cum celebri Philoſopho Samio, quem diu poſt habuit Italia, confuderunt. Vel potius, quod inſtituta Numæ cum diſciplina Pythagoræ non levem habuerint ſimilitudinem, cauſa fuit, cur ille Samii hujus Philoſophi diſcipulus haberetur. Nam populum ferocem, bellique cupidum religione, ſacrificiis, pompiſque delinivit, effingens cum Diis congreſſus, & prodigioſa geniorum ſpectra ad majorem auctoritatem ſibi conciliandam; tum ſimulachra, & imagines Deorum Romanis interdicens, quod Deus aliter quam ingenio, attingi non poſſet. Philoſophiam quoque moralem ſobriam commendavit; utque cives nihil rerum ſacrarum obiter, vel neglectim agerent, ſed vacantes a rebus omnibus, cultui divino, tamquam maximo negotio animum intenderent. Quæ, & alia Numæ inſtituta Pythagoricis ſimilia eſſe, Plutarchus in illius vita, aliique plures obſervarunt. Sed & arcana Numæ præcepta, cujuſmodi ſunt Diis non libandum ex vite non putata, neque litandum ſine farina, adorantem circumagere ſe in orbem, & peractis precibus ſedere debere, Pythagoricis fuiſſe germana. Illum quoque, ad inſtar Pythagoræ, cæleſtia attigiſſe, temporum rationes emendaſſe, menſes ad curſum Solis pariter & Lunæ correxiſſe. Denique, ut Pythagorici nihil ſcriptis mandarunt, ſed doctrinam ſuam memoria, & inſtitutione tradiderunt iis, quos dignos judicarunt; ita & Numa libros ſacrorum, quorum uſum Sacerdotibus tradiderat, ſecum juſſit ſepeliri, quod hæc arcana non eſſent litteris committenda. Hæc tamen omnia doctiſſimo Bruchero

ro Lib. 2. Cap. 10. §. 7. Hiſt. Philoſ. minime probare videntur, hauſtam a Numa apud Sabinos diſciplinam Pythagoræ, & ad Romanos deductam. Cujus ſententia eſt, Numam quidem partem eorum, quæ de religione conſtituit, a Sabinis, inter quos vixerat, accepiſſe, eaque optimo ingenio uſum ad ordinandam Rempublicam feliciter applicuiſſe; Pythagoram vero ad Sabinos penetraſſe, non ſatis compertum eſſe; atque adeo conformitatem illam inter utriuſque diſciplinam, non ex eodem fonte hauriendam, ſed quod ea optimo cuique, & ſapientiſſimo Legislatori conveniret. Verum fuerit necne Pythagoræ diſcipulus Numa, quod potiſſimum ab illius Philoſophi ætate, locisque, ubi docuit, definiendum videtur. Illud certum eſt, Numam fuiſſe divini humanique juris peritiſſimum, qui primus agreſtem illam hominum turbam, ex qua Urbs coaluerat, religionem docuit, & civilis ſocietatis officia; cui Cicero Lib. 3. de Orat. ſapientiam conſtituendæ patriæ, & Plutarchus prudentiam civilem recte tribuunt. Atque id ſatis eſt, ut a Livio Lib. 1. Cap. 18. Plutarcho, aliiſque tum veteribus, tum recentioribus Philoſophus diceretur; utque ab eo Romanos accepiſſe primam ſapientiæ notitiam dicamus, ſi non illius, quæ in rerum naturalium meditatione verſatur, illius tamen, quæ divinum cultum, civilem ſocietatem, mores, legeſque complectitur. Quamvis libri Numæ duodecim de Philoſophia Græco ſermone conſcripti, & a veteribus memorati, tum illius inſtitutum de anni ordinatione, ut quo Lunaris annus cum Solari conveniret, alternis bienniis, nunc viginti duos, nunc viginti tres dies intercalaret, non obſcure indicant, imbutum fuiſſe illum ſcientia Græcæ Philoſophiæ. Atque eam Romanis tradere, ut feroces, & agreſtes animi rerum ſublimium contemplatione raperentur, & lenirentur, conveniebat ſapienti Legislatori.

II. Diu

Digitized by Google

II. Diu tamen apud Romanos non viguit Numæ diſciplina, quorum animi ad arma magis, ac bella proni erant, quam ad artes pacis, religioniſque. Accedit, naſcentem Rempublicam armis conſervandam, & augendam fuiſſe, finitimoſque populos ſubjugandos. Et niſi in bello adverſus exteros gerendo implicati eſſent, facile potuiſſent mutuis diſſenſionibus Rempublicam perturbare, nova moliri, juſſa negligere, atque ita fundamenta convellere naſcentis imperii. Itaque & ſub Regibus, & longo poſt tempore, neglecta fuere a Romanis liberalium artium ſtudia. Cujus rei non unum eſt argumentum. Quod nempe duodecim libri Numæ de cæremoniis, totidemque alii de Philoſophia Græco ſermone conſcripti, quos ille ſecum juſſerat ſepeliri, quadrigentis poſt Numam elapſis annis reperti, tumulo vi inundationis aperto in Gn. Terentii agro, ſub Pætilio Prætore combuſti fuerint, ne legerentur, quod Philoſophiam arcanam complecterentur, quam nolebant multitudini innoteſcere. Id tradunt Livius Lib. 40. Cap. 29. Plinius Lib. 13. Cap. 13. Lactantius Lib. 1. Cap. 22. S. Auguſtinus Lib. 8. de Civ. Dei Cap. 5. Quod etiam C. Fannio Strabone, & M. Valerio Conſulibus, narrat Gellius Lib. 15. Cap. 11. fuiſſe nempe M. Pomponio Prætori mandatum, curaret, Philoſophi ut Romæ ne eſſent. Simili Senatuſconſulto Rhetores quoque Urbe expulſos eſſe a Cenſoribus, referunt Gellius, & Svetonius: *Renuntiatum eſt nobis, eſſe homines, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos juventus in ludos conveniat; eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras; ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Majores noſtri, qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc nova, quæ præter conſuetudinem, ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quopropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire conſueverunt, vi-*

viſum eſt faciundum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere. Conſulatum C. Fannii Strabonis, & M. Valerii Meſſalæ ſexto cadente ſæculo ab Urbe condita incidiſſe, colligitur ex faſtis Capitolinis editis a Sylburgio inter Scriptores Hiſtoriæ Romanæ. Sequenti ſæculo jam adultò, Conſulibus C. Claudio Pulchro, & M. Perperna, ſimile edictum latum ferunt, quo ab addiſcenda Rhetorica, & Philoſophia, Romani adoleſcentes prohiberentur, ne fortaſſe a rei militaris ſtudio avocarentur. Sed quæ cauſa fuerit Romanis Patribus amandandi procul Urbe artium liberalium ſtudia, diſertiſſime patet ex Catonis Cenſorii ſententia, ubi Athenienſium Legati Romam venere. Cum enim Athenienſes Oropum Bœtiæ civitatem vaſtaſſent, & ob eam rem mulcta quingentorum talentorum a Sicyoniis auctoritate Romanorum eis dicta eſſet, Romam Legatos miſere tres Philoſophos diſertiſſimos, Diogenem Stoicum, Carneadem Academicum, & Critolaum Peripateticum, deprecatum, ut ex mulcta, quam ferre non poterant, aliquid remitteretur. Hanc legationem contigiſſe P. Scipione, & M. Marcello Conſulibus, teſtatur Cicero Acad. Quæſt. Lib. 4. Cap. 45. Hunc vero Conſulatum incidiſſe in annum Urbis conditæ DXCVIII. probat Brucherus in Hiſt. Philoſ. Period. 2. Par. 1. Lib. 1. Cap. 1. Itaque tribus illis Philoſophis Athenienſibus Romæ degentibus, ſtatim, teſte Plutarcho in vita Catonis, *adoleſcentum ſtudioſiſſimi quique litterarum viros illos acceſſerunt, audienteſque eos in admiratione habuerunt. Maxime autem Carneadis gratia in dicendo, qua valebat plurimum, & auctoritas eloquentiæ non minor magnos nacta & humanos auditores venti inſtar Urbem perſonabat: & fama tenebat Græcum virum ad ſtuporem uſque ad percellendos hominum demulcendoſque animos aptum vehementem apud juvenes amorem excitare, quo correpti, omiſſis voluptatibus, reliquiſ-*

que

que oblectationibus, quaſi furore quodam ad Philoſophiam ferrentur. Eumdem de juſtitia copioſe diſputaviſſe in utramque partem, audiente Catone Cenſorio, Lactantius Lib. 5. Cap. 14. Inſtit. & Quintilianus Inſtit. Orat. Lib. 12. Cap. 1. teſtantur. At vero hujuſmodi Romanæ juventutis in Græcorum Philoſophiam ſtudium, ægre tulit Cato, avitæ diſciplinæ tenax, quæ militarem virtutem unice ſectabatur: *veritus*, uti refert Plutarchus, *ne ſtudio ſuo ad Philoſophiam adjuncto adoleſcentes inde potius, quam agendis rebus, & militia decus ſibi quærere intenderent. Ubi per Urbem gloria Philoſophorum increbuit, primoſque eorum ſermones C. Acilius vir illuſtris in Senatu, a quo, id ut ſibi liceret, magno ſtudio impetraverat, eſt interpretatus, ſtatuit Cato honeſte Philoſophos ab Urbe amandare. Quam ob rem in Senatum ivit, & Magiſtratus incuſavit, quod legationem eorum virorum, qui facile perſuadere de quacumque re poſſent, tamdiu in Urbe, re infecta deſidere paſſi eſſent; cognoſcendum quamprimum, & decernendum de legatione, ut Legati ad ſcholas reverſi apud Græcos pueros diſſerant, Romani vero adoleſcentes Magiſtratus, ut ante, & leges audiant*. Qua Catonis ſententiæ factum eſt, ut Legati quamprimum domum remitterentur. Atque inde patet, quo conſilio veteres Romani abhorruerint ab inferenda in Urbem Eloquentia & Philoſophia; ne ſcilicet gloriæ cupidi adoleſcentes a litteris potius, quam ab armis hanc ſibi compararent; & ne diſciplinam illam noſſent, *quæ cum facile perſuadere de quacumque re poſſet*, timendum erat, ne poſthac morem, ut antea, gererent Magiſtratibus, legibuſque. Aliam cauſam non admittendæ a Romanis Philoſophiæ profert Chriſtianus Falſterus Lib. 3. Quæſt. Rom. quod nempe variæ Philoſophorum de Diis ſententiæ inter ſe vehementer diſſentientes, facile potuiſſent cultum divinum a majoribus traditum, cu-

cujus erant tenaciſſimi, convellere. Et quidem fuit apud Romanos tempus, cum peregrinas religiones abhorruere, Philoſophos quoque, ut in patrium Deorum cultum injurios ejecerunt. Sed id ſerius contigit, & circa tempora naſcentis Monarchiæ. Illud vero ex his omnibus compertum eſt, pluribus ſæculis ab Urbe condita, neglecta fuiſſe a Romanis artium liberalium ſtudia, ita ut Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib. 4. Cap. 2. non obſcure indicet, hac Athenienſium legatione, primum Sapientiæ profeſſores inter Romanos innotuiſſe. Quod tamen non ita intelligendum eſt, ut nulli antea fuerint in Urbe viri doctiſſimi. Catonem namque, & philoſophia, & eruditione plurimum valuiſſe, patet ex Plutarcho; librique de agricultura, & re ruſtica, ingenium ejus, ac eruditionem ſatis teſtantur; etſi, Plutarcho teſte, univerſam Græcorum philoſophiam inviſam ſibi habuerit, & ambitione quadam Græcas diſciplinas omnes contempſerit, vaticinatus, Romanos Græcis ſtudiis imbutos rem ſuam perdituros. Sed Cato Cenſorius, cujus vitam Cornelius Nepos, Plutarchus, aliique ſcripſere, philoſophiam a Nearco Pythagorico Tarenti audiverat, Græcas vero litteras ab Ennio in Sardinia, cum ibi Prætor eſſet, didicerat. Haud igitur Romæ in ludis litterariis. Notandus eſt Ciceronis locus Lib. 4. Tuſculan. Quæſt. Cap. 3. *Sapientiæ ſtudium vetus id quidem in noſtris: ſed tamen ante Lælii ætatem, & Scipionis, non reperio, quos appellare poſſim nominatim*. Et Lib. 1. Cap. 3. *Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum latinarum*.

III. Et quidem Grammaticæ ſtudium ſerius apud Romanos receptum, diſertiſſime tradit Svetonius in libro de Grammaticis, cujus hæc ſunt verba: *Grammatica olim Romæ ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat: rudi ſcilicet, ac bellicoſa etiam tum Civitate, necdum magnopere liberalibus diſciplinis vacan-*

Digitized by Google

cante. Addit, primum omnium Grammaticam in Urbem intuliſſe inter ſecundum, ac tertium bellum Punicum Cratem Mellotem miſſum ad Senatum ab Atalo Rege; huncque aſſidue diſſerendo auctorem Romanis fuiſſe, ut ad id ſtudium incitarentur, quod deinde auxerunt L. Ælius Lanuvinus, & Servius Clodius, uterque Eques Romanus, aliique clariſſimi viri, *ut temporibus quibuſdam ſuper viginti celebres ſcholæ fuiſſe in Urbe tradantur: pretia Grammaticorum tanta, mercedeſque tam magnæ, ut conſtet, Lutatium Daphnidem ducentis millibus nummum a Quinto Catullo emptum, ac brevi manumiſſum: Lucium Appulejum ab Eficio Calvino Equite Romano prædivite quadringentis aureis conductum multos edocuiſſe*. Porro bellum Punicum ſecundum ſexto ab Urbe condita ſæculo; bellum Punicum tertium ſeptimo ſæculo contigiſſe, ex faſtis Conſularibus apud Sylburgium colligitur. Igitur ad id uſque tempus nulla Romanis fuere Grammaticæ ſtudia. Atqui tamen Plutarchus in Rom. Quæſt. narrat, poſt primum Punicum bellum, hoc eſt, fere quingentis poſt Urbem conditam annis, Spurium Carvilium libertum alterius Spurii Carvilii, qui primus Romæ ab uxore divertit, ludum aperuiſſe, ac mercede Grammaticam docuiſſe. Cujus quidem nulla eſt apud Svetonium mentio, qui Cratem Mellotem, abſoluto ſecundo bello Punico, facit primum Grammaticæ apud Romanos Profeſſorem. Ait vero, ita ſe opinari, ac ſignificat, alios aliter tradidiſſe. Fortaſſe ludus Spurii Carvilii paucos, obſcuroſque habuit auditores. Ut ut res ſe habuerit, certe aliquot poſt Urbem conditam ſeculis, Grammatica habuit in Urbe locum. Non ita tamen Grammatiſtice, ſeu ars legendi, ſcribendique, quæ, monente Lipſio, ante id tempus Romæ docebatur. Idque colligit vir doctiſſimus ex Livio Lib. 3. ubi: *Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis litterarum ludi erant) mi-*

niſter Decemviri manum injicit. In hiſce ludis litterariis Grammatiſtæ pueros legendi, ſcribendique artem docuere. Tandem admiſſo apud Romanos Grammaticæ ſtudio, mirum ſane, quantum in pretio, & honore fuerit. Teſte enim Svetonio, viginti fuere in Urbe ſcholæ, ubi magnis ſtipendiis Grammatica edocebatur. Addit, Grammaticos ita dictos Græco vocabulo, qui olim litterati dicebantur; veteres hujus inſtituti homines etiam Rhetoricam docuiſſe, ac exſtare multorum de utraque arte commentarios; deinde diſcretis profeſſionibus, adhuc Grammaticos retinuiſſe quædam ad eloquentiam ſpectantia, in quibus pueri inſtituerentur. Tum plures recenſet publicos hujus diſciplinæ in Urbe Profeſſores. In horum numero ſunt, Aurelius Opilius, qui Philoſophiam primo, deinde Rhetoricam, noviſſime Grammaticam docuit, tandem dimiſſa ſchola abiit in Aſiam cum Rutilo Ruſo. Orbilius Puppillus Beneventanus docuit Romæ Grammaticam, Conſule Cicerone, majore cum fama, quam emolumento, ac filium reliquit Orbilium, & ipſum Grammaticæ profeſſorem. Attejus Philologus Athenienſis Grammaticus, & Rhetor plures, claroſque docuit diſcipulos, adjuvitque in conſcribendis Hiſtoriis C. Salluſtium, & Aſinium Pollionem. Laberius Hiera præceptor Bruti, & Caſſii, temporibus Syllanis, proſcriptorum liberos gratis, & ſine ulla mercede in diſciplinam recepit. Verrius Flaccus, qui ad exercitanda ingenia æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent, ſed & præmio, quod victor auferret; idque erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarus. Is ab Auguſto datus nepotibus ſuis præceptor tranſiit in Palatium cum tota ſchola, ea lege, ut ne poſthac aliquem diſcipulum reciperet; docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat, & ſextertia centena in annum accepit. Alios plures nominat Svetonius in li-

libro de Grammaticis, hos tamen fere omnes libertos, exteroſque, fortaſſe, quod ætate illa Romanis mercede docere minime conveniret. Deinde ſub Cæſaribus privilegia immunitatis a gerendis publicis muneribus conceſſa ſunt Profeſſoribus Grammaticæ, denegata autem Grammatiſtis, uti ſequenti Capite dicendum erit.

IV. Poeſin quoque nullo olim in honore fuiſſe apud Romanos, ſeriuſque receptam tradit clariſſimus Voſſius in libro de natura, & conſtitutione artis Poeticæ. Gellius Lib. 11. Cap. 2. ex Catone Cenſorio refert: *Poeticæ artis honos non erat. Si qui in ea re ſtudebat, aut ſe ſe ad convivia applicabat, graſſator vocabatur.* Ubi, monente Voſſio, graſſator ſignificat adulatorem, & paraſitum. Hinc Cato probro vertit M. Fulvio, quod Conſul ſecum duxerit in provinciam Ennium Poetam, uti refert Cicero Tuſcul. Quæſt. 1. his verbis: *Honorem huic generi non fuiſſe, declarat oratio Catonis, in qua objecit, ut probrum, quod his in provinciam Poetas duxiſſet: duxerat autem in Ætoliam Conſul ille, ut ſcimus, Ennium.* Atqui tamen Cato ipſe, teſte in ejus vita Cornelio Nepote, Ennium ipſum e Sardinia Romam duxerat. Plura, ut hunc nodum ſolvat, profert Voſſius. Non tamen primus omnium Ennius Poeſin in Urbem intulerat. Primus fabulam docuit apud Romanos Livius Andronicus poſt primum bellum Punicum, anno Urbis conditæ DXIV. C. Claudio Centone, & M. Sempronio Tuditano Conſulibus, uti colligitur ex Cicerone in Bruto, & Gellio Lib. 17. Cap. 21. Deinde Gn. Nevius Poeta, eodem Gellio teſte, huic profitendæ arti operam dedit; tum Q. Ennius Romæ claruit, cui ſucceſſere alii plures, quos in libro de Poetis Latinis enumerat Voſſius. Horum itaque ſtudio plurimum honoris Poeticæ arti inter Romanos acceſſit. Id non obſcure patet ex oratione Ciceronis pro Archia Poeta. Sed & Collegium Poetarum Romæ inſtitutum

 eſt,

Digitized by Google

eſt, quo aliquando ſummi viri acceſſere. Ita enim Valerius Maximus Lib. 3. Cap. 8. narrat de Attio Poeta: *Is Julio Cæſari ampliſſimo, & florentiſſimo viro in Collegium Poetarum venienti numquam adſurrexit, non majeſtatis ejus immemor, ſed quod in comparatione communium ſtudiorum aliquanto ſuperiorem ſe eſſe conſideraret*. Tantum ſibi honorem tunc temporis Poetæ conciliaverant. Et Tacitus in Dial. de Orat. narrat populum Virgilio adſurgere ſolitum, ipſumque coluiſſe tamquam Auguſtum. Præterea in ludis Capitolinis e judicum ſententia donabantur Poetis coronæ Scenicæ, nec tamen hisſolis, ſed & Oratoribus, aliiſque artificibus. Unde Svetonius in Domitiano Cap. 4. ait: *Inſtituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, muſicum equeſtre, gymnicum, & aliquanto plurium, quam nunc eſt coronarum*. Videndus Caſſaubonus in annotationibus ad hunc locum. Erant Poetarum certamina, in quibus victor corona donabatur, & ad quæ Imperatores aliquando ſe contulere. Sed & ſtatuæ Poetis ære e plebe collato ponebantur in ſuis municipiis, uti ex inſcriptione quadam edita a Panvinio colligitur factum L. Valerio in Oppido Hiſconio, nunc *il Guaſto* in regione Ferentana Regni Neapolitani. Attamen nulla immunitatis prærogativa Poetas donatos eſſe edixit Philippus Imperator Lib. 10. Leg. 3. Cod. de Profeſs. & Med. Poetas vero Romæ publice docuiſſe, & Homeri Commentarios juventuti ad diſcendum propoſuiſſe, indicat Horatius Flaccus Lib. 2. Ep. 2.

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri.
Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles.

Qui idem teſtis eſt, quantum ætate ſua Romani huic arti ſtuderent. Ita enim ait:

Mutavit mentem populus levis, & calet uno
Scribendi ſtudio, pueri, patreſque ſeveri
Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.

Scri-

Digitized by Google

Scribimus indocti doctique poemata paſſim.

V. Rhetoricam & ſerius Romanos accepiſſe, & difficilius, quod C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Conſulibus, Rhetores fuerint Roma ejecti Senatuſconſulto; rurſumque aliquot poſt annos a Cenſoribus Gn. Domitio Ænobarbo, & L. Craſſo, Latini Rhetores prohibiti fuerint a ludis litterariis habendis, ait Svetonius in libro de Rhetoricis. Deinde vero paulatim honeſtam, utilemque Romanis viſam eſſe multoſque eam præſidii, & gloriæ cauſa appetiviſſe: *Quare magno ſtudio*, inquit, *hominibus injecto, magna etiam Profeſſorum, & Doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in Ordinem Senatorium, atque ad ſummos honores proceſſerint.* Et quidem ab Urbe condita plurimi diſertiſſimi viri Romæ extitiſſe leguntur. L. Brutus civitatem perpetuo dominatu liberatam Magiſtratus annuis legibus, & judiciis devinxit. M. Valerius ſedavit plebem diſſentientem. A. Claudius a pace cum Pyrro ſancienda Romanos revocavit. Menenius Arippa, & M. Popilius ſeditionem oratione extinxiſſe leguntur. Quod ad naturalem illorum eloquentiam, non ad artem ullam oratoriam referendum videtur, ut ait Cicero in Bruto Cap. 14. A Græcis Oratoribus incenſos fuiſſe Romanos ad eloquentiæ ſtudium, teſtatur Cicero Lib. 1. de Orat. *Poſt auditis Oratoribus Græcis, cognitiſque eorum litteris, & adhibitis doctoribus, incredibili quodam noſtri homines dicendi ſtudio flagraverunt: excitabat enim eos magnitudo, varietas, multitudoque in omni genere cauſarum.* Primum Oratorem M. Cornelium Cathegum recenſet Cicero in Bruto Cap. 15. Tum Cato Cenſorius, C. Lælius, Gracchus, Servius Galba, C. Carbo, aliique ab eo laudantur in libro de Claris Oratoribus. Primus vero, qui apud Romanos Rhetoricam docuit, dicitur L. Plotius Gallus, Cicerone puero, ut ipſemet ſcribit ad

Ti-

Titinnium, & ex eo Fabius Lib. 2. Cap. 4. Deinde plures alii eandem profeſſi ſunt artem, plerumque vero liberti, uſque ad Blandum. Unde Seneca præfat. Lib. II. Controv. ait: *Habuit Fabianus Blandum Rhetorem præceptorem, qui Eques Romanus Romæ docuit. Ante illum intra libertinos præceptores pulcherrimæ diſciplinæ continebantur; & minime probabili more turpe erat docere, quod honeſtum erat diſcere.* Itaque conſtitutis ſcholis quamplurimis, huic tradendæ diſciplinæ magno cum auditorum numero Rhetores incubuere, quorum celebriores nominant Svetonius, & Voſſius. Epidium Rhetorem ludum docendi aperuiſſe, atque inter alios docuiſſe M. Antonium, & Auguſtum, narrat Svetonius. Qui idem teſtis eſt, M. Antonium Gniphonem docuiſſe Rhetoricam primum in domo Divi Julii adhuc pueri, tum domi ſuæ, quotidiæ præcepta eloquentiæ tradidiſſe, quandoque vero declamaſſe, ſcholam ejus claros quoque viros adiiſſe, in his M. Ciceronem, etiam cum Prætura fungeretur. L. Otacilius Pilitus præceptor Gn. Pompeii. Sextus Clodius Latinæ, Græceque eloquentiæ profeſſor claruit, cui M. Antonium mercedis loco duo millia jugerum campi Leontini adſignaſſe, ſcribit Cicero in Philippicis. De T. Caſtritio, qui & hac arte, & lectiſſimis moribus diſcipulos imbuebat, apud Aulum Gellium Lib. 13. Cap. 20. videre eſt. Sub Imperatoribus hujus artis dignitas inſigniter crevit. Nam ejus profeſſoribus ſalaria conſtituta ſunt ex ærario Principis; primuſque Quintilianus mercede Principis conductus Romæ docuit Rhetoricam. Tum S. Auguſtinus, aliique. Et non raro Imperatores ad Rhetorum ſcholas acceſſere, ut eoſdem declamantes audirent. Sed de hac re Capite ſequenti. Illud non omittendum eſt, præcipue apud Rhetores, & apud Romanos in uſu fuiſſe declamationem, ita ut etiam ſummi Principes quandoque declamare conſueverint, variaſque

quæ fuiſſe declamationis ſpecies, uti fuſe tradit Voſſius Lib. de Rhetor. Cap. 16.

VI. Diu quoque neglectæ fuerunt a Romanis Mathematicæ diſciplinæ. Quamvis Numæ Pompilio non levis fuerit cœleſtium motuum notitia, uti Plutarchus obſervavit, cum menſes duos, Januarium, & Februarium adjecerit anno, huncque diſpoſuerit ad Lunæ curſum; tamen poſt Numæ exceſſum, Romani per multa ſæcula Aſtronomiam ignorarunt, uti ait Veidlerus in Hiſtoria Aſtronomiæ Cap. 6. adeo ut horologii ſolaris notitia, demum ante duodecim annos, quam cum Pyrrho bellatum eſt, teſte Livio Lib. 7. Cap. 60. ad ipſos pervenerit. Et Romanorum in hac re imperitiam indicant Livius Lib. 44. & Valerius Lib. 8. ubi narrant, circa annum Urbis conditæ DXXC. defectum Lunæ exercitui Romano bellum adverſus Perſas gerenti magnum incuſſiſſe metum, & noluiſſe cum hoſte congredi, niſi C. Sulpicius Gallus luculenta oratione oſtendiſſet, id a natura ordinari ſtatis temporibus, atque in prodigium trahi minime oportere. Pervenerant quidem ad Urbem Chaldæi aſtrorum ſcientiæ periti. Sed narrat Valerius Maximus Lib. 4. Cap. 3. *C. Cornelium Peregrinum, M. Pompilio Laenate, & Gn. Calpurnio Conſulibus, edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex Urbe, atque Italia juſſiſſe, levibus, & ineptis ingeniis fallaci ſiderum interpretatione quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem nutrientes, injicientes*. Hic Conſulatus referendus eſt vel ad finem ſexti, aut initium ſeptimi ſæculi Urbis conditæ. Atque hæc etiam cauſa eſſe potuit, cur Mathematicas diſciplinas Romani neglexerint, quod nempe Mathematicorum nomine Chaldæi donarentur, qui vaniſſima futurorum prædictione injiciebant contemptum illius nobiliſſimæ diſciplinæ. Accedit, Pythagoricam Philoſophiam, quæ non exiguam complectebatur rerum Mathematicarum notitiam, ſerius ad Romanos per-

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOQUINTO.

Innocentius Septimus extinctam Romanam Academiam inſtaurare conatur. II. *Quam floruerint in Urbe Litteræ, Eugenio Quarto Pontifice*. III. *Eugenius ædes, & ſtipendia publicis Profeſſoribus addicit*. IV. *Nicolaus Quintus magnus Litterarum, & Gymnaſii patronus*. V. *Eximii Profeſſores illius ævi*. VI. *De Ariſtotelis, & Platonis fortuna in Gymnaſio Romano*. VII. *Status Gymnaſii ſub Pontificibus, qui ſucceſſere*. VIII. *De conſtituendis Doctoribus in Theologia*. IX. *Et in utroque Jure*. X. *De Cancellariis Univerſitatum*. pag. 167

CAPUT VIII.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOSEXTO.

Quid egerit Leo Decimus. II. *Quidque decreverit ad Romani Gymnaſii ſplendorem*. III. *Sacra Ædes extructa*. IV. *Calamitas Litterarum ſub Clemente Septimo*. V. *Reſtitutæ Scholæ publicæ a ſucceſſoribus Pontificibus*. VI. *De re litteraria Gymnaſii, hoc ſæculo*. VII. *Sixtus Quintus ejus patrocinium nonnullis Cardinalibus commendat*. VIII. *Ejuſdem regimen Advocatis Conſiſtorialibus committit*. IX. *De Advocatis Conſiſtorialibus*. X. *De Rectore*. XI. *Jus creandi Doctores Legum huic Collegio confirmatum, & vindicatum*. XII. *De conſtituendis Doctoribus in Medicina, & Philoſophia*. pag. 195

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOSEPTIMO.

Gymnaſii ædificium ſub Alexandro Septimo perficitur. II. *De ejus Bibliotheca*. III. *de Sacra Æde*. IV. *De Horto Medico*. V. *De ſtipendiis Profeſſorum*. VI. *Novæ quarumdam Diſciplinarum Cathedræ reſtitutæ, vel erectæ*. VII. *Solemnis Dedicatio Gymnaſii*. VIII. *Decreto Clementis Noni nullis in Urbe fas eſt publice docere, diſſentiente Gymnaſii Rectore*. IX. *Jus interpretandarum Legum uni Gymnaſio Romano aſſertum, & vindicatum*. X. *De quibuſdam Theologicis exercitationibus in Gymnaſio Romano*. pag. 235

CAPUT X.

DE GYMNASIO ROMANO SAECULO DECIMOCTAVO.

BENEDICTUS XIV. reſtaurat Romanam Academiam. II. *Ejus regimen Advocatis Conſiſtorialibus, eorumque jura confirmat*. III. *Statuit ordinem conſtituendi publicos Profeſſores*. IV. *Mathematicam, & Chemiam donat Cathedra & ſtipendio*. V. *Definit numerum, & ſtipendia Profeſſorum utriuſque Juris*. VI. *Et Medicinæ, ac Botanicæ*. VII. *Theologia Moralis, Phiſica experimenta, & Liturgia docentur e Cathedra*. VIII. *Quotidianam operam jubet Profeſſores præſtare*. IX. *Conditiones decernit ad vacationem muneris obtinendam*. X. *De dignitate Profeſſorum Urbis*. XI. *De Ordine, quem inter ſe ſervant*. XII. *Ordo totius rei litterariæ in Gymnaſio Romano*. pag. 266

INDEX CAPITUM

LIBRI SECUNDI

CAPUT I.

Profeſſores Rhetoricæ & Humanitatis. 299

CAPUT II.

Profeſſores Philoſophiæ. 327

CAPUT III.

Profeſſores Medicinæ. 353

CAPUT IV.

Profeſſores Mathematicæ. 381

CAPUT V.

Profeſſores Linguarum Orientalium. 391

CAPUT VI.

Profeſſores Legum. 400

CAPUT VII.

Profeſſores ſacrarum Diſciplinarum. 438

CA-

Digitized by Google

C A P U T VIII.

Advocati Conſiſtoriales. 488

A P P E N D I X

Profeſſores addendi. 556

Profeſſores dignitate illuſtres. 565

Advocati Conſiſtoriales dignitate illuſtres. 569

Bullæ Romanorum Pontificum ad Gymnaſium Romanum ſpectantes. 573

Bonifacii VIII. 573

Eugenii IV. 576

Sixti IV. 579

Leonis X. 582 589

Sixti V. 595

Alexandri VII. 599

BENEDICTI XIV. 608

CAPUT I.

DE GYMNASIO ROMANO AB URBE CONDITA USQUE AD CÆSARES

Romani primum a Numa erudiri cœperunt. II. Diu tamen neglectæ apud ipſos Litteræ. III. Quo primum tempore in Urbe doceri cœperint Grammatica. IV. Poeſis. V. Rhetorica. VI. Matheſis. VII. Philoſophia. VIII. Medicina. IX. Juriſprudentia. X. Publicæ Scholæ in Urbe, & Provinciis. XI. Quæ fuerit apud veteres Romanos ratio inſtituendi pueros liberalibus diſciplinis

I. VEterum Romanorum magnam fuiſſe gloriam in re militari ſimul ac litteraria compertum eſt; & ſunt, qui putant, auctum eorum imperium armis, litteriſque; cum ad illius magnitudinem ſatis non fuiſſet urbes capere, hoſtes ſuperare, niſi ſapientiſſimis legibus, ac inſtitutis adminiſtrata fuiſſet Reſpublica. Novi equidem, & olim, & hiſce temporibus, plurimarum gentium, quibus nullæ litteræ, longe lateque diffuſum imperium. Illud tamen ſexcentis incommodis pervium, firmius hæreret, diutius perduraret, uberius efloreſceret, ſi litteris expoliretur. Celebre eſt Platonis dictum, tunc Rempublicam beatam fore, ſi aut Principes fuerint Philoſophia imbuti, aut Philoſophi fuerint imperio potiti. Et Plutarchus in libro de inſtituendis liberis, quantum utilitatis afferat Reipublicæ Litterarum cognitio, his verbis oſtendit: *Per hanc enim, atque hac adjutrice noſſe licet, quid honeſtum, quid turpe, quid juſtum,*

Digitized by Google

quid iniquum , quid expetendum , quid fugiendum , quemadmodum erga Deos , quemadmodum erga parentes , qui erga majores natu , qui erga leges , qui adverſus Magiſtratus , qui adverſus alienos , qui adverſus amicos , qui adverſus conjuges , qui adverſus ſervos nos gerere debeamus . At niſi cives hiſce officiis omnibus recte ſapienterque fungantur , nulla eſſe poteſt felicitas Reipublicæ . Ut igitur hæc officia cognoſcantur, & mores hominum componantur , neceſſaria ſunt ſtudia artium liberalium . Quæ etiam magnum illud commodum procreant , ut dum iis toti homines incumbunt , capti litterarum amore , & ſtudio hujus ſibi gloriæ comparandæ , interea tranquillitatem Reipublicæ , cui magnam inferre ſolent perniciem ingenia curis omnibus , ſtudiiſque vacua , minime perturbant . Quapropter in omni florentiſſima Republica Ægyptiorum , Chaldæorum , Aſſyriorum , Hebræorum , ac Græcorum , floruere inſigniter Litteræ . A Græcis per Æneam ad Sabinos, & Aborigines , indeque ad Romanos translatas eſſe litteras , narrat Hornius in Hiſtoria Philoſophiæ . Alii cenſent , ab Etruſcis , quos Diodorus Siculus Lib. 5. Phyſiol. ait naturæ cognoſcendæ diligenter ſtuduiſſe , derivatam ad Romanos Philoſophiam . Sed quæ de antiqua Etruſcorum gente veteres Scriptores tradidere , apud quos illi imprimis celebrantur propter inventa auguria , quæ ſe ad Romanos tranſmiſiſſe gloriabantur , ea , uti obſervat Brucherus Lib. 2. Cap. 10. Hiſt. Philoſ. ſuadent notitiam illam rerum naturalium , quæ Etruſcis adſcribitur , nonniſi in peritia divinandi ex rebus naturalibus conſtitiſſe , ut ab Arnobio Lib. 2. adv. Gentes dicta fuerit Etruria genitrix , & mater ſuperſtitionis . Alii a Numa Pompilio , altero poſt Romulum Rege , quem inter Pythagoræ diſcipulos recenſent , deductam opinantur ad Romanos rerum naturalium , ac divinarum cognitionem . At Numam Pythagoricis Philoſophis perpe-

pe-

Digitized by Google

peram addi, ipſe Livius Lib. I. Cap. 18. obſervavit, cum Pythagoras longo poſt Numam tempore vixerit, & in ultimis Italiæ oris docuerit, quo non facile Sabini, ætate illa, cum Italia in tot diverſiſſimos populos diviſa eſſet, iviſſent diſcendi cupiditate. Fortaſſe, uti conjicit Plutarchus, præceptori Numæ fuit Pythagoræ nomen, & inde hunc cum celebri Philoſopho Samio, quem diu poſt habuit Italia, confuderunt. Vel potius, quod inſtituta Numæ cum diſciplina Pythagoræ non levem habuerint ſimilitudinem, cauſa fuit, cur ille Samii hujus Philoſophi diſcipulus haberetur. Nam populum ferocem, bellique cupidum religione, ſacrificiis, pompiſque delinivit, effingens cum Diis congreſſus, & prodigioſa geniorum ſpectra ad majorem auctoritatem ſibi conciliandam; tum ſimulachra, & imagines Deorum Romanis interdicens, quod Deus aliter quam ingenio, attingi non poſſet. Philoſophiam quoque moralem ſobriam commendavit; utque cives nihil rerum ſacrarum obiter, vel neglectim agerent, ſed vacantes a rebus omnibus, cultui divino, tamquam maximo negotio animum intenderent. Quæ, & alia Numæ inſtituta Pythagoricis ſimilia eſſe, Plutarchus in illius vita, aliique plures obſervarunt. Sed & arcana Numæ præcepta, cujuſmodi ſunt Diis non libandum ex vite non putata, neque litandum ſine farina, adorantem circumagere ſe in orbem, & peractis precibus ſedere debere, Pythagoricis fuiſſe germana. Illum quoque, ad inſtar Pythagoræ, cæleſtia attigiſſe, temporum rationes emendaſſe, menſes ad curſum Solis pariter & Lunæ correxiſſe. Denique, ut Pythagorici nihil ſcriptis mandarunt, ſed doctrinam ſuam memoria, & inſtitutione tradiderunt iis, quos dignos judicarunt; ita & Numa libros ſacrorum, quorum uſum Sacerdotibus tradiderat, ſecum juſſit ſepeliri, quod hæc arcana non eſſent litteris committenda. Hæc tamen omnia doctiſſimo Bruchero

Digitized by Google

ro Lib. 2. Cap. 10. §. 7. Hiſt. Philoſ. minime probare videntur, hauſtam a Numa apud Sabinos diſciplinam Pythagoræ, & ad Romanos deductam. Cujus ſententia eſt, Numam quidem partem eorum, quæ de religione conſtituit, a Sabinis, inter quos vixerat, accepiſſe, eaque optimo ingenio uſum ad ordinandam Rempublicam feliciter applicuiſſe; Pythagoram vero ad Sabinos penetraſſe, non ſatis compertum eſſe; atque adeo conformitatem illam inter utriuſque diſciplinam, non ex eodem fonte hauriendam, ſed quod ea optimo cuique, & ſapientiſſimo Legislatori conveniret. Verum fuerit necne Pythagoræ diſcipulus Numa, quod potiſſimum ab illius Philoſophi ætate, lociſque, ubi docuit, definiendum videtur. Illud certum eſt, Numam fuiſſe divini humanique juris peritiſſimum, qui primus agreſtem illam hominum turbam, ex qua Urbs coaluerat, religionem docuit, & civilis ſocietatis officia; cui Cicero Lib. 3. de Orat. ſapientiam conſtituendæ patriæ, & Plutarchus prudentiam civilem recte tribuunt. Atque id ſatis eſt, ut a Livio Lib. 1. Cap. 18. Plutarcho, aliiſque tum veteribus, tum recentioribus Philoſophus diceretur; utque ab eo Romanos accepiſſe primam ſapientiæ notitiam dicamus, ſi non illius, quæ in rerum naturalium meditatione verſatur, illius tamen, quæ divinum cultum, civilem ſocietatem, mores, legeſque complectitur. Quamvis libri Numæ duodecim de Philoſophia Græco ſermone conſcripti, & a veteribus memorati, tum illius inſtitutum de anni ordinatione, ut quo Lunaris annus cum Solari conveniret, alternis bienniis, nunc viginti duos, nunc viginti tres dies intercalaret, non obſcure indicant, imbutum fuiſſe illum ſcientia Græcæ Philoſophiæ. Atque eam Romanis tradere, ut feroces, & agreſtes animi rerum ſublimium contemplatione raperentur, & lenirentur, conveniebat ſapienti Legislatori.

II. Diu

Digitized by Google

II. Diu tamen apud Romanos non viguit Numæ diſciplina, quorum animi ad arma magis, ac bella proni erant, quam ad artes pacis, religioniſque. Accedit, naſcentem Rempublicam armis conſervandam, & augendam fuiſſe, finitimoſque populos ſubjugandos. Et niſi in bello adverſus exteros gerendo implicati eſſent, facile potuiſſent mutuis diſſenſionibus Rempublicam perturbare, nova moliri, juſſa negligere, atque ita fundamenta convellere naſcentis imperii. Itaque & ſub Regibus, & longo poſt tempore, neglecta fuere a Romanis liberalium artium ſtudia. Cujus rei non unum eſt argumentum. Quod nempe duodecim libri Numæ de cæremoniis, totidemque alii de Philoſophia Græco ſermone conſcripti, quos ille ſecum juſſerat ſepeliri, quadrigentis poſt Numam elapſis annis reperti, tumulo vi inundationis aperto in Gn. Terentii agro, ſub Pætilio Prætore combuſti fuerint, ne legerentur, quod Philoſophiam arcanam complecterentur, quam nolebant multitudini innoteſcere. Id tradunt Livius Lib. 40. Cap. 29. Plinius Lib. 13. Cap. 13. Lactantius Lib. 1. Cap. 22. S. Auguſtinus Lib. 8. de Civ. Dei Cap. 5. Quod etiam C. Fannio Strabone, & M. Valerio Conſulibus, narrat Gellius Lib. 15. Cap. 11. fuiſſe nempe M. Pomponio Prætori mandatum, curaret, Philoſophi ut Romæ ne eſſent. Simili Senatuſconſulto Rhetores quoque Urbe expulſos eſſe a Cenſoribus, referunt Gellius, & Svetonius: *Renuntiatum eſt nobis, eſſe homines, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos juventus in ludos conveniat; eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras; ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Majores noſtri, qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc nova, quæ præter conſuetudinem, ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire conſueverunt, vi-*

Digitized by Google

viſum eſt faciundum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere. Conſulatum C. Fannii Strabonis, & M. Valerii Meſſalæ ſexto cadente ſæculo ab Urbe condita incidiſſe, colligitur ex faſtis Capitolinis editis a Sylburgio inter Scriptores Hiſtoriæ Romanæ. Sequenti ſæculo jam adultò, Conſulibus C. Claudio Pulchro, & M. Perperna, ſimile edictum latum ferunt, quo ab addiſcenda Rhetorica, & Philoſophia, Romani adoleſcentes prohiberentur, ne fortaſſe a rei militaris ſtudio avocarentur. Sed quæ cauſa fuerit Romanis Patribus amandandi procul Urbe artium liberalium ſtudia, diſertiſſime patet ex Catonis Cenſorii ſententia, ubi Athenienſium Legati Romam venere. Cum enim Athenienſes Oropum Bœtiæ civitatem vaſtaſſent, & ob eam rem mulcta quingentorum talentorum a Sicyoniis auctoritate Romanorum eis dicta eſſet, Romam Legatos miſere tres Philoſophos diſertiſſimos, Diogenem Stoicum, Carneadem Academicum, & Critolaum Peripateticum, deprecatum, ut ex mulcta, quam ferre non poterant, aliquid remitteretur. Hanc legationem contigiſſe P. Scipione, & M. Marcello Conſulibus, teſtatur Cicero Acad. Quæſt. Lib. 4. Cap. 45. Hunc vero Conſulatum incidiſſe in annum Urbis conditæ DXCVIII. probat Brucherus in Hiſt. Philoſ. Period. 2. Par. 1. Lib. 1. Cap. 1. Itaque tribus illis Philoſophis Athenienſibus Romæ degentibus, ſtatim, teſte Plutarcho in vita Catonis, *adoleſcentum ſtudioſiſſimi quique litterarum viros illos acceſſerunt, audienteſque eos in admiratione habuerunt. Maxime autem Carneadis gratia in dicendo, qua valebat plurimum, & auctoritas eloquentiæ non minor magnos nacta & humanos auditores venti inſtar Urbem perſonabat: & fama tenebat Græcum virum ad ſtuporem uſque ad percellendos hominum demulcendoſque animos aptum vehementem apud juvenes amorem excitare, quo correpti, omiſſis voluptatibus, reliquiſ-*

que

que oblectationibus , quaſi furore quodam ad Philoſophiam ferrentur . Eumdem de juſtitia copioſe diſputaviſſe in utramque partem , audiente Catone Cenſorio, Lactantius Lib. 5. Cap. 14. Inſtit. & Quintilianus Inſtit. Orat. Lib. 12. Cap. 1. teſtantur . At vero hujuſmodi Romanæ juventutis in Græcorum Philoſophiam ſtudium , ægre tulit Cato , avitæ diſciplinæ tenax , quæ militarem virtutem unice ſectabatur : *veritus* , uti refert Plutarchus , *ne ſtudio ſuo ad Philoſophiam adjuncto adoleſcentes inde potius , quam agendis rebus , & militia decus ſibi quærere intenderent . Ubi per Urbem gloria Philoſophorum increbuit , primoſque eorum ſermones C. Acilius vir illuſtris in Senatu , a quo , id ut ſibi liceret , magno ſtudio impetraverat , eſt interpretatus , ſtatuit Cato honeſte Philoſophos ab Urbe amandare . Quam ob rem in Senatum ivit , & Magiſtratus incuſavit , quod legationem eorum virorum , qui facile perſuadere de quacumque re poſſent , tamdiu in Urbe , re infecta deſidere paſſi eſſent ; cognoſcendum quamprimum , & decernendum de legatione , ut Legati ad ſcholas reverſi apud Græcos pueros diſſerant , Romani vero adoleſcentes Magiſtratus , ut ante , & leges audiant .* Qua Catonis ſententiæ factum eſt , ut Legati quamprimum domum remitterentur . Atque inde patet , quo conſilio veteres Romani abhorruerint ab inferenda in Urbem Eloquentia & Philoſophia ; ne ſcilicet gloriæ cupidi adoleſcentes a litteris potius , quam ab armis hanc ſibi compararent ; & ne diſciplinam illam noſſent , *quæ cum facile perſuadere de quacumque re poſſet* , timendum erat , ne poſthac morem , ut antea , gererent Magiſtratibus , legibuſque . Aliam cauſam non admittendæ a Romanis Philoſophiæ profert Chriſtianus Falſterus Lib. 3. Quæſt. Rom. quod nempe variæ Philoſophorum de Diis ſententiæ inter ſe vehementer diſſentientes , facile potuiſſent cultum divinum a majoribus traditum , cu-

cujus erant tenaciſſimi, convellere. Et quidem fuit apud Romanos tempus, cum peregrinas religiones abhorruere, Philoſophos quoque, ut in patrium Deorum cultum injurios ejecerunt. Sed id ſerius contigit, & circa tempora naſcentis Monarchiæ. Illud vero ex his omnibus compertum eſt, pluribus ſæculis ab Urbe condita, neglecta fuiſſe a Romanis artium liberalium ſtudia, ita ut Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib. 4. Cap. 2. non obſcure indicet, hac Athenienſium legatione, primum Sapientiæ profeſſores inter Romanos innotuiſſe. Quod tamen non ita intelligendum eſt, ut nulli antea fuerint in Urbe viri doctiſſimi. Catonem namque, & philoſophia, & eruditione plurimum valuiſſe, patet ex Plutarcho; librique de agricultura, & re ruſtica, ingenium ejus, ac eruditionem ſatis teſtantur; etſi, Plutarcho teſte, univerſam Græcorum philoſophiam inviſam ſibi habuerit, & ambitione quadam Græcas diſciplinas omnes contempſerit, vaticinatus, Romanos Græcis ſtudiis imbutos rem ſuam perdituros. Sed Cato Cenſorius, cujus vitam Cornelius Nepos, Plutarchus, aliique ſcripſere, philoſophiam a Nearco Pythagorico Tarenti audiverat, Græcas vero litteras ab Ennio in Sardinia, cum ibi Prætor eſſet, didicerat. Haud igitur Romæ in ludis litterariis. Notandus eſt Ciceronis locus Lib. 4. Tuſculan. Quæſt. Cap. 3. *Sapientiæ ſtudium vetus id quidem in noſtris: ſed tamen ante Lælii ætatem, & Scipionis, non reperio, quos appellare poſſim nominatim*. Et Lib. 1. Cap. 3. *Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum latinarum*.

III. Et quidem Grammaticæ ſtudium ſerius apud Romanos receptum, diſertiſſime tradit Svetonius in libro de Grammaticis, cujus hæc ſunt verba: *Grammatica olim Romæ ne in uſu quidem, nedam in honore ullo erat: rudi ſcilicet, ac bellicoſa etiam tum Civitate, necdum magnopere liberalibus diſciplinis vacan-*

cante. Addit, primum omnium Granſmaticam in Urbem intuliſſe inter ſecundum, ac tertium bellum Punicum Cratem Mellotem miſſum ad Senatum ab Atalo Rege; huncque aſſidue diſſerendo auctorem Romanis fuiſſe, ut ad id ſtudium incitarentur, quod deinde auxerunt L. Ælius Lanuvinus, & Servius Clodius, uterque Eques Romanus, aliique clariſſimi viri, *ut temporibus quibuſdam ſuper viginti celebres ſcholæ fuiſſe in Urbe tradantur: pretia Grammaticorum tanta, mercedeſque tam magnæ, ut conſtet, Lutatium Daphnidem ducentis millibus nummum a Quinto Catullo emptum, ac brevi manumiſſum: Lucium Appulejum ab Eficio Calvino Equite Romano prædivite quadringentis aureis conductum multos edocuiſſe*. Porro bellum Punicum ſecundum ſexto ab Urbe condita ſæculo; bellum Punicum tertium ſeptimo ſæculo contigiſſe, ex faſtis Conſularibus apud Sylburgium colligitur. Igitur ad id uſque tempus nulla Romanis fuere Grammaticæ ſtudia. Atqui tamen Plutarchus in Rom. Quæſt. narrat, poſt primum Punicum bellum, hoc eſt, fere quingentis poſt Urbem conditam annis, Spurium Carvilium libertum alterius Spurii Carvilii, qui primus Romæ ab uxore divertit, ludum aperuiſſe, ac mercede Grammaticam docuiſſe. Cujus quidem nulla eſt apud Svetonium mentio, qui Cratem Mellotem, abſoluto ſecundo bello Punico, facit primum Grammaticæ apud Romanos Profeſſorem. Ait vero, ita ſe opinari, ac ſignificat, alios aliter tradidiſſe. Fortaſſe ludus Spurii Carvilii paucos, obſcuroſque habuit auditores. Ut ut res ſe habuerit, certe aliquot poſt Urbem conditam ſeculis, Grammatica habuit in Urbe locum. Non ita tamen Grammatiſtice, ſeu ars legendi, ſcribendique, quæ, monente Lipſio, ante id tempus Romæ docebatur. Idque colligit vir doctiſſimus ex Livio Lib. 3. ubi: *Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis litterarum ludi erant) mi-*

Digitized by Google

niſter Decemviri manum injicit. In hiſce ludis litterariis Grammatiſtæ pueros legendi, ſcribendique artem docuere. Tandem admiſſo apud Romanos Grammaticæ ſtudio, mirum ſane, quantum in pretio, & honore fuerit. Teſte enim Svetonio, viginti fuere in Urbe ſcholæ, ubi magnis ſtipendiis Grammatica edocebatur. Addit, Grammaticos ita dictos Græco vocabulo, qui olim litterati dicebantur; veteres hujus inſtituti homines etiam Rhetoricam docuiſſe, ac exſtare multorum de utraque arte commentarios; deinde diſcretis profeſſionibus, adhuc Grammaticos retinuiſſe quædam ad eloquentiam ſpectantia, in quibus pueri inſtituerentur. Tum plures recenſet publicos hujus diſciplinæ in Urbe Profeſſores. In horum numero ſunt, Aurelius Opilius, qui Philoſophiam primo, deinde Rhetoricam, noviſſime Grammaticam docuit, tandem dimiſſa ſcholæ abiit in Aſiam cum Rutilo Ruſo. Orbilius Puppillus Beneventanus docuit Romæ Grammaticam, Conſule Cicerone, majore cum fama, quam emolumento, ac filium reliquit Orbilium, & ipſum Grammaticæ profeſſorem. Attejus Philologus Athenienſis Grammaticus, & Rhetor plures, clarosque docuit diſcipulos, adjuvitque in conſcribendis Hiſtoriis C. Salluſtium, & Aſinium Pollionem. Laberius Hiera præceptor Bruti, & Caſſii, temporibus Syllanis, proſcriptorum liberos gratis, & ſine ulla mercede in diſciplinam recepit. Verrius Flaccus, qui ad exercitanda ingenia æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent, ſed & præmio, quod victor auferret; idque erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarus. Is ab Auguſto datus nepotibus ſuis præceptor tranſiit in Palatium cum tota ſchola, ea lege, ut ne poſthac aliquem diſcipulum reciperet; docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat, & ſextertia centena in annum accepit. Alios plures nominat Svetonius in li-

Digitized by Google

libro de Grammaticis, hos tamen fere omnes libertos, exteroſque, fortaſſe, quod ætate illa Romanis mercede docere minime conveniret. Deinde ſub Cæſaribus privilegia immunitatis a gerendis publicis muneribus conceſſa ſunt Profeſſoribus Grammaticæ, denegata autem Grammatiſtis, uti ſequenti Capite dicendum erit.

IV. Poeſin quoque nullo olim in honore fuiſſe apud Romanos, ſeriuſque receptam tradit clariſſimus Voſſius in libro de natura, & conſtitutione artis Poeticæ. Gellius Lib. 11. Cap. 2. ex Catone Cenſorio refert: *Poeticæ artis honos non erat. Si qui in ea re ſtudebat, aut ſe ſe ad convivia applicabat, graſſator vocabatur.* Ubi, monente Voſſio, graſſator ſignificat adulatorem, & paraſitum. Hinc Cato probro vertit M. Fulvio, quod Conſul ſecum duxerit in provinciam Ennium Poetam, uti refert Cicero Tuſcul. Quæſt. 1. his verbis: *Honorem huic generi non fuiſſe, declarat oratio Catonis, in qua objecit, ut probrum, quod his in provinciam Poetas duxiſſet: duxerat autem in Ætoliam Conſul ille, ut ſcimus, Ennium.* Atqui tamen Cato ipſe, teſte in ejus vita Cornelio Nepote, Ennium ipſum e Sardinia Romam duxerat. Plura, ut hunc nodum ſolvat, profert Voſſius. Non tamen primus omnium Ennius Poeſin in Urbem intulerat. Primus fabulam docuit apud Romanos Livius Andronicus poſt primum bellum Punicum, anno Urbis conditæ DXIV. C. Claudio Centone, & M. Sempronio Tuditano Conſulibus, uti colligitur ex Cicerone in Bruto, & Gellio Lib. 17. Cap. 21. Deinde Gn. Nevius Poeta, eodem Gellio teſte, huic profitendæ arti operam dedit; tum Q. Ennius Romæ claruit, cui ſucceſſere alii plures, quos in libro de Poetis Latinis enumerat Voſſius. Horum itaque ſtudio plurimum honoris Poeticæ arti inter Romanos acceſſit. Id non obſcure patet ex oratione Ciceronis pro Archia Poeta. Sed & Collegium Poetarum Romæ inſtitutum

Digitized by Google

eſt, quo aliquando ſummi viri acceſſere. Ita enim Valerius Maximus Lib. 3. Cap. 8. narrat de Attio Poeta: *Is Julio Cæſari ampliſſimo, & florentiſſimo viro in Collegium Poetarum venienti numquam adſurrexit, non majeſtatis ejus immemor, ſed quod in comparatione communium ſtudiorum aliquanto ſuperiorem ſe eſſe conſideraret.* Tantum ſibi honorem tunc temporis Poetæ conciliaverant. Et Tacitus in Dial. de Orat. narrat populum Virgilio adſurgere ſolitum, ipſumque coluiſſe tamquam Auguſtum. Præterea in ludis Capitolinis e judicum ſententia donabantur Poetis coronæ Scenicæ, nec tamen hisſolis, ſed & Oratoribus, aliiſque artificibus. Unde Svetonius in Domitiano Cap. 4. ait: *Inſtituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, muſicum equeſtre, gymnicum, & aliquanto plurium, quam nunc eſt coronarum.* Videndus Caſſaubonus in annotationibus ad hunc locum. Erant Poetarum certamina, in quibus victor corona donabatur, & ad quæ Imperatores aliquando ſe contulere. Sed & ſtatuæ Poetis ære e plebe collato ponebantur in ſuis municipiis, uti ex inſcriptione quadam edita a Panvinio colligitur factum L. Valerio in Oppido Hiſconio, nunc *il Guaſto* in regione Ferentana Regni Neapolitani. Attamen nulla immunitatis prærogativa Poetas donatos eſſe edixit Philippus Imperator Lib. 10. Leg. 3. Cod. de Profeſs. & Med. Poetas vero Romæ publice docuiſſe, & Homeri Commentarios juventuti ad diſcendum propoſuiſſe, indicat Horatius Flaccus Lib. 2. Ep. 2.

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri.
Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles.

Qui idem teſtis eſt, quantum ætate ſua Romani huic arti ſtuderent. Ita enim ait:

Mutavit mentem populus levis, & calet uno
Scribendi ſtudio, pueri, patreſque ſeveri
Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.

Scri-

Scribimus indocti doctique poemata paſſim.

V. Rhetoricam & ſerius Romanos accepiſſe, & difficilius, quod C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Conſulibus, Rhetores fuerint Roma ejecti Senatuſconſulto; rurſumque aliquot poſt annos a Cenſoribus Gn. Domitio Ænobarbo, & L. Craſſo, Latini Rhetores prohibiti fuerint a ludis litterariis habendis, ait Svetonius in libro de Rhetoricis. Deinde vero paulatim honeſtam, utilemque Romanis viſam eſſe multoſque eam præſidii, & gloriæ cauſa appetiviſſe: *Quare magno ſtudio*, inquit, *hominibus injecto, magna etiam Profeſſorum, & Doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in Ordinem Senatorium, atque ad ſummos honores proceſſerint*. Et quidem ab Urbe condita plurimi diſertiſſimi viri Romæ extitiſſe leguntur. L. Brutus civitatem perpetuo dominatu liberatam Magiſtratus annuis legibus, & judiciis devinxit. M. Valerius ſedavit plebem diſſentientem. A. Claudius a pace cum Pyrro ſancienda Romanos revocavit. Menenius Arippa, & M. Popilius ſeditionem oratione extinxiſſe leguntur. Quod ad naturalem illorum eloquentiam, non ad artem ullam oratoriam referendum videtur, ut ait Cicero in Bruto Cap. 14. A Græcis Oratoribus incenſos fuiſſe Romanos ad eloquentiæ ſtudium, teſtatur Cicero Lib. 1. de Orat. *Poſt auditis Oratoribus Græcis, cognitiſque eorum litteris, & adhibitis doctoribus, incredibili quodam noſtri homines dicendi ſtudio flagraverunt: excitabat enim eos magnitudo, varietas, multitudoque in omni genere cauſarum*. Primum Oratorem M. Cornelium Cathegum recenſet Cicero in Bruto Cap. 15. Tum Cato Cenſorius, C. Lælius, Gracchus, Servius Galba, C. Carbo, aliique ab eo laudantur in libro de Claris Oratoribus. Primus vero, qui apud Romanos Rhetoricam docuit, dicitur L. Plotius Gallus, Cicerone puero, ut ipſemet ſcribit ad

Ti-

Titinnium, & ex eo Fabius Lib. 2. Cap. 4. Deinde plures alii eandem profeſſi ſunt artem, plerumque vero liberti, uſque ad Blandum. Unde Seneca præfat. Lib. 11. Controv. ait: *Habuit Fabianus Blandum Rhetorem præceptorem, qui Eques Romanus Romæ docuit. Ante illum intra libertinos præceptores pulcherrimæ diſciplinæ continebantur; & minime probabili more turpe erat docere, quod honeſtum erat diſcere.* Itaque conſtitutis ſcholis quamplurimis, huic tradendæ diſciplinæ magno cum auditorum numero Rhetores incubuere, quorum celebriores nominant Svetonius, & Voſſius. Epidium Rhetorem ludum docendi aperuiſſe, atque inter alios docuiſſe M. Antonium, & Auguſtum, narrat Svetonius. Qui idem teſtis eſt, M. Antonium Gniphonem docuiſſe Rhetoricam primum in domo Divi Julii adhuc pueri, tum domi ſuæ, quotidiæ præcepta eloquentiæ tradidiſſe, quandoque vero declamaſſe, ſcholam ejus claros quoque viros adiiſſe, in his M. Ciceronem, etiam cum Prætura fungeretur. L. Otacilius Pilitus præceptor Gn. Pompeii. Sextus Clodius Latinæ, Græceque eloquentiæ profeſſor claruit, cui M. Antonium mercedis loco duo millia jugerum campi Leontini adſignaſſe, ſcribit Cicero in Philippicis. De T. Caſtritio, qui & hac arte, & lectiſſimis moribus diſcipulos imbuebat, apud Aulum Gellium Lib. 13. Cap. 20. videre eſt. Sub Imperatoribus hujus artis dignitas inſigniter crevit. Nam ejus profeſſoribus ſalaria conſtituta ſunt ex ærario Principis; primuſque Quintilianus mercede Principis conductus Romæ docuit Rhetoricam. Tum S. Auguſtinus, aliique. Et non raro Imperatores ad Rhetorum ſcholas acceſſere, ut eoſdem declamantes audirent. Sed de hac re Capite ſequenti. Illud non omittendum eſt, præcipue apud Rhetores, & apud Romanos in uſu fuiſſe declamationem, ita ut etiam ſummi Principes quandoque declamare conſueverint, variaſque

que fuiſſe declamationis ſpecies, uti fuſe tradit Voſſius Lib. de Rhetor. Cap. 16.

VI. Diu quoque neglectæ fuerunt a Romanis Mathematicæ diſciplinæ. Quamvis Numæ Pompilio non levis fuerit cœleſtium motuum notitia, uti Plutarchus obſervavit, cum menſes duos, Januarium, & Februarium adjecerit anno, huncque diſpoſuerit ad Lunæ curſum; tamen poſt Numæ exceſſum, Romani per multa ſæcula Aſtronomiam ignorarunt, uti ait Veidlerus in Hiſtoria Aſtronomiæ Cap. 6. adeo ut horologii ſolaris notitia, demum ante duodecim annos, quam cum Pyrrho bellatum eſt, teſte Livio Lib. 7. Cap. 60. ad ipſos pervenerit. Et Romanorum in hac re imperitiam indicant Livius Lib. 44. & Valerius Lib. 8. ubi narrant, circa annum Urbis conditæ DXXC. defectum Lunæ exercitui Romano bellum adverſus Perſas gerenti magnum incuſſiſſe metum, & noluiſſe cum hoſte congredi, niſi C. Sulpicius Gallus luculenta oratione oſtendiſſet, id a natura ordinari ſtatis temporibus, atque in prodigium trahi minime oportere. Pervenerant quidem ad Urbem Chaldæi aſtrorum ſcientiæ periti. Sed narrat Valerius Maximus Lib. 4. Cap. 3. *C. Cornelium Peregrinum, M. Pompilio Laenate, & Gn. Calpurnio Conſulibus, edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex Urbe, atque Italia juſſiſſe, levibus, & ineptis ingeniis fallaci ſiderum interpretatione quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem nutrientes, injicientes.* Hic Conſulatus referendus eſt vel ad finem ſexti, aut initium ſeptimi ſæculi Urbis conditæ. Atque hæc etiam cauſa eſſe potuit, cur Mathematicas diſciplinas Romani neglexerint, quod nempe Mathematicorum nomine Chaldæi donarentur, qui vaniſſima futurorum prædictione injiciebant contemptum illius nobiliſſimæ diſciplinæ. Accedit, Pythagoricam Philoſophiam, quæ non exiguam complectebatur rerum Mathematicarum notitiam, ſerius ad Romanos per-

perveniſſe, neque plures in Urbe nactam eſſe ſectatores, cujus rei plurimas cauſas adducit Brucherus Period. 2. Part. 1. Lib. 1. Cap. 1. §. 12. Hiſtoriæ Philoſophiæ. Itaque uſque ad ſeptimum ab Urbe condita ſæculum nulli occurrunt inter Romanos inſignes Mathematici, uti teſtantur Heilbronner in Hiſtoria Matheſeos, & Veidlerus in Hiſtoria Aſtronomiæ. Primus Scipio Naſica aqua diviſit horas æque noctium, atque dierum, cum antea Romanis indiſcreta lux fuerit; idque horologium ſub tecto dicavit, anno Urbis DXCV. uti referunt Plinius Lib. 7. Cap. 60. Hiſt. Natur. & Cenſorinus de Die Natali Cap. 23. Circa eadem tempora Sulpitius Gallus Conſul, quem Cicero in Catone plurimum celebrat ob ſtudium dimetiendi Cœli, & terræ, ob Mathematicarum rerum peritiam floruit in Urbe. Non multo poſt M. Terrentius Varro, quo doctiorem neminem illa ætas tulit, ut, teſte Gellio Lib. 3. Cap. 10. libros fere quingentos ſcripſerit, primus inter Romanos de Arithmetica, Aſtronomia, Geometria ſcripſiſſe dicitur. Eadem ætate M. Tullius Cicero, Julius Cæſar, & præ cæteris P. Nigidius Figulus rerum Mathematicarum notitia excelluere. De Nigidio ita ait Cicero Lib. de Univ. Cap. 1. *Fuit vir ille, cum cæteribus artibus, quæ quidem dignæ libero eſſent ornatus omnibus, tum acer inveſtigator, & diligens earum rerum, quæ a natura involutæ videntur*. Addit renovatam ab eo in Italia Pythagoricam Philoſophiam. Et fidem ſuperant, quæ de ejus prædictionibus Aſtrologicis referunt veteres, quod nempe Auguſto imperium prædixerit, & triumviratus mala fuerit vaticinatus, & tanta uſus fuerit certitudine in evolvendis futuris fatis, ut in magiæ ſuſpicionem adduceretur. Deinde Auguſti ævo plures Romani in Mathematicis diſciplinis verſati celebrantur, M. Manilius, M. Vitruvius Pollio, C. Julius Hyginus, C. Plinius, aliique; ut jam indubium ſit cœpiſſe Romanos

nos hiſce ſtudiis incumbere circa tempora naſcentis Monarchiæ. Unde Cicero in Lib. de Orat. Cap. 31. teſtatur neque ab hiſce ſtudiis Oratores abhorruiſſe: *Et Juris Civilis ſcientiam veteres Oratores comprehendebant, & Grammatica, Muſica, & Geometria imbuebantur*. Deinde imperantibus Cæſaribus, præſertim Alexandro Severo, Scholas, & ſalaria Mathematici in Urbe habuerunt.

VII. Diximus ex Gellio Lib. 15. Cap. 11. C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Conſulibus, ſexto Urbis conditæ ſæculo, fuiſſe M. Pomponio Prætori mandatum, curaret, ut Philoſophi Romæ ne eſſent. Diximus quoque, ſæculo eodem, Athenienſes Philoſophos, Legatoſque Romam veniſſe, ac de rebus Philoſophicis diſſeruiſſe in frequentiſſimo adoleſcentum Romanorum conventu; at Catonem Cenſorium auctorem fuiſſe, ut quamprimum domum remitterentur, ne a gloria rei militaris, vel a Magiſtratibus audiendis adoleſcentes avocarentur. Itaque ad eam uſque ætatem procul Urbe fuit Philoſophia. Et Cicero Lib. 1. Cap. 3. Tuſcul. Quæſt. ait *Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum latinarum*. Verum, quod Athenienſes Philoſophi clariſſimos quoſdam habuerint auditores, imprimis Lælium, Furium, & Scipionem, hoſque incenderint amore Philoſophiæ, cauſa fuit, cur deinceps Græca eruditio Romæ invaluerit. Nam hi ad ſumma Reipublicæ munera promoti, exercitibus, ac Provinciis præfuerunt, & occaſionem habuere cum Græcis converſandi, ac magis, magiſque Philoſophiæ incumbendi. Porro ſub tantis patronis Græca Philoſophia ampliſſimum debuit in Urbe locum oncupare. De Scipione Africano, qui unus fuit e Carneadis diſcipulis, ſcribit Vellejus Paterculus: *Tam elegans liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinæ & auctor, & admirator fuit, ut Polybium, Panætiumque præcellentes ingenio viros, domi, militiæque ſecum habuerit*. Addit Scipio-

 nem

nem inter arma, & ſtudia ſemper verſatum, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuiſſe. Panætius Rhodius fuit magni nominis Philoſophus e Stoicorum ſecta, a quo Scipio Africanus Philoſophiam accepit. Lælium quoque, atque Furium olim Carneadis auditores, *cum Scipione ſecum erudiſſimos homines ex Græcia ſemper habuiſſe* teſtatur Cicero Lib. 2. de Orat. Qui etiam Lib. 2. de Fin. ſcribit, *Lælium adoleſcentem audiviſſe Diogenem Stoicum, poſt autem Panætium, & ſapientem fuiſſe appellatum, quia, quod eſſet ſuaviſſimum doceret.* Eodem Panætio præceptore, Q. Tubero, & Q. Mucius Scevola inſignes Juriſconſulti Stoicam Philoſophiam didicere. Plures laudat Cicero Lib. de Orat. hujus inſtituti, qui Philoſophiæ ſtuduerunt. Et Antiſtitibus Juris placuiſſe præ cæteris Stoicam Philoſophiam, obſervat Clar. Brucherus Period. 2. Par. 1. Lib. 1. Cap. 1. Hiſt. Philoſ. quod illa potiſſimum ageret de officiis, quodque Ethica Stoica aptiſſima videretur præparandis animis ad Rempublicam capeſſendam. Conſulendus Everardus Otto de Stoica Juriſconſultorum Philoſophia. Accedit, Panætium ex hac ſecta inſignem profeſſorem Romæ fuiſſe. Attamen Gaudentius de Philoſ. Rom. Cap. 43. contendit, veteres Juriſconſultos potius cum Peripateticis, & Platonicis conſenſiſſe. Græcanicam Philoſophiam altius evexit Lucullus, qui dum in Macedonia Quæſtorem egerat, celebres Græcos Philoſophos, præſertim Athenienſes convenerat, eorum doctrinam hauſerat, tantoque erga Philoſophiam ſtudio ferebatur, ut etiam in caſtris libros, ac Philoſophos habuerit, præſertim Antiochum Philonis auditorem, uti Plutarchus in illius vita, & Cicero Libro 4. Acad. Quæſt. teſtantur. Is itaque rem litterariam in Urbe maxime promovit, auxitque, inſtructa præſtantiſſima Bibliotheca, & Xyſtis, & Scholis juxta eam ædificatis, quo Græci, qui ex patria armorum tumultibus plena, Romam venerant, conveniebant, ac

de

Digitized by Google

de rebus Philoſophicis diſſerebant, ipſo frequenter præſente, adeo ut Græcis Romam venientibus domus Luculli ad inſtar eſſet publici hoſpitii, teſte Plutarcho. Tanti viri exemplum ſecuti alii, Græcos Philoſophos receperunt, Græcaſque litteras adjuvarunt. Itaque Luculli, & Ciceronis tempore, ſeptimo ab Urbe condita ſæculo, ſtatuenda eſt prima ætas adoleſcentis Philoſophiæ inter Romanos. Teſtatur tamen Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib. 2. Cap. 2. ante iſtud tempus fuiſſe nonnullos, qui ſe Philoſophos appellari voluerint, quique plures libros ſcripſerant. Sed horum Philoſophia obſcurior fuit. Paulo tamen prius, quam Lucullus Urbem Philoſophis repleverit, Peripatetica doctrina eo pervenerat. Nam Sylla miſſus in Græciam cum exercitu Athenas vaſtaverat ſacra Philoſophiæ loca violaverat, ſibique emerat Bibliothecam Apelliconis Teii, quæ communem ſtragem evaſerat, Romamque tranſtulerat. In hac Bibliotheca plerique erant Ariſtotelis, & Theophraſti libri, quos Tyrannio Grammaticus deſcripſit, tum Andronico Rhodio communicavit, iſque ſupplevit, illuſtravit, evulgavit. Hinc Philoſophiæ Peripateticæ ſtudium inductum ſub Sylla. Tyrannionem vero libertate donatum a Lucullo, inſignem habuiſſe Romæ Bibliothecam, Scholamque, teſtatur Plutarchus in vita Luculli. Tum Philoſophorum ſectæ omnes ſuos habuere in Urbe ſectatores. Stoicæ Philoſophiæ adhæſerunt Juriſconſulti, imprimis Q. Lucilius Balbus, quem Cicero Lib. 1. Cap. 4. de Nat. Deorum dicit, cum excellentibus in eo genere Græcis comparandum. Huic addendus Cato Uticenſis, qui Stoicam virtutem moriendo expreſſit. Pythagoricam ſectam Cato Cenſorius, & P. Nigidius Figulus commendarunt. Vetus Academia illuſtres habuit ſectatores, Lucullum, M. Brutum, de quo Plutarchus ait, *nullum fere fuiſſe Græcorum Philoſophorum, quem non audierit, nullam ſectam, quam non cognoverit*, uſumque contubernio

 Ari-

Ariſtonis Philoſophi. In hac etiam ſecta fuit M. Terentius Varro omnium ætate ſua clariſſimus. Mediæ, ſeu novæ Academiæ nomen dedit inter alios, præceptore Philone, M. Tullius Cicero Romanæ eloquentiæ parens, & in omnibus diſciplinis verſatiſſimus. Nec defuere cultores Peripateticæ Philoſophiæ, quam Andronicus Rhodius vulgaverat. Nam Cicero filium ſuum Cratippo inſigni Peripatetico inſtituendum tradidit. Denique ad Epicuri hortos acceſſere L. Torquatus, C. Vellejus, C. Trebatius, L. Papirius, Verrius, L. Piſo, M. Panſa, M. Fabius Gallus, aliique plures a Gaſſendo memorati. Omnium maximus claruit T. Pomponius Atticus, cujus vitam Cornelius Nepos litteris conſignavit. Nec omittendus T. Lucretius Carus. Uterque Athenis huic Philoſophiæ operam dederat. Jam ex dictis colligitur, quo in loco, & honore fuerint in Urbe res Philoſophicæ ante Auguſti imperium.

VIII. Quo primum tempore, quave fortuna Medicina Romam pervenerit, Plinius Lib. 29. Cap. 1. Hiſtoriæ naturalis tradit, Romanos ſcilicet ſexcentis annis Medicis caruiſſe, primumque hujus artis profeſſorem Archagathum filium Lyſaniæ ex Græcia Urbem appuliſſe, & primo quidem magno in honore habitum, deinde vero, quod igne, ferroque curaret vulnera, omnium invidiam in ſe concitaſſe: *Caſſius Hemina*, ait Plinius, *ex antiquis auctor eſt, primum e Medicis veniſſe Romam Peloponnenſem Archagatum Lyſaniæ filium, L. Aemilio, M. Livio Coſs. anno Urbis DXXXV. eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emptam, ob id publice vulnerarium fuiſſe eum tradunt vocatum, mireque gratum adventum ejus initio, mox a ſævitia ſecandi, urendique, tranſiſſe nomen in carnificem, & tædium artis, omneſque medicos*. Quod ait Plinius Romanos ſexcentis annis caruiſſe Medicis, & Medicina, id Daniel Clericus in Hiſtoria Medicinæ Lib. 3. Cap. 1. cenſet intel-

telligendum de Medicis Græcis, exteriſque. Nam Dionyſius Halicarnaſſæus Lib. 10. refert, anno Urbis conditæ CCCI. magnam in Urbe luem irrepſiſſe, ut curandis ægris Medici minime ſufficerent. Nec veriſimile eſt, tamdiu Romanos ſimplici ſaltem Medicina caruiſſe. Primus igitur Archagathus ad eos attulit Medicinam Græcorum; hancque ipſam Romani ob ſævam illius curandi methodum odio habuere. Cui odio augendo plurimum contulit Cato, utpote qui filium hortabatur, ut caveret a Medicis Græcis, qui conſpiraverant in Romanorum cædem. Ita enim Catonem filium monuiſſe narrat Plinius: *Dicam*, inquit, *de iſtis Græcis M. fili, quid Athenis exquiſitum habeam, & quod bonum ſit eorum litteras inſpicere, non perdiſcere, vincam nequiſſimum, & indocile genus eorum, & hoc puto vatem dixiſſe, quandocumque iſta gens ſuas litteras dabit, omnia corrumpet; tunc etiam magis ſi Medicos ſuos huc mittet, jurarunt enim inter ſe barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit, & facile diſperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & ſpurcius nos, quam alios opicos appellatione fœdant*. Et ſunt qui putant, Medicos Roma pulſos a Catone Cenſorio. Quod ſane, etſi non ſatis exploratum Clerico videatur, tamen veriſimile facit Catonis odium in Græcos Philoſophos Medicoſque. Cæterum, uti ipſe Plinius obſervat, Cato non damnabat rem, ſed artem; hoc eſt, Græcam medendi artem rejiciebat, non ipſam Medicinam, utpote qui tradidit, qua Medicina uſus, ſe, & conjugem ad longam ſenectam perduxerit, ac qua ratione eſſet ægrotis medendum. Hanc vero rationem, qua Cato, & veteres Romani utebantur, potiſſimum in herbarum uſu poſitam fuiſſe, teſtantur Plinius Lib. 25. Cap. 2. & Plutarchus in vita Catonis. Nec abhorruere Romani ab incantionibus, ut patet ex Catone de Re Ruſtica Cap. 160. ubi quibuſdam verbis, & incantionibus modum tradit cu-

Digitized by Google

curandi oſſium fracturam. Tandem Aſclepiades Pruſenſis Romam veniens ætate Pompei, ac Mithridatis, & Medicinam faciens, poſtquam Rhetoricam docuiſſet, reſtituit, conciliavitque in Urbe honorem Medicinæ. Nam a ſæva illa, & incommoda ratione medendi, quam Archagathus inierat, abſtinuit, uſus Medicina facili, ſuavique, ut vix ullum ægris afferret incommodum. Curabat quammaxime, teſte Plinio Lib. 26. Cap. 3. ſudorem pannis, igne, ſole exprimere; nec alia adhibebat medicamentorum genera, quam abſtinentiam, fricationem corporis, ambulationem, geſtationes, & balnea. Hæc blanda curandi methodus magnam illi auctoritatem conciliavit. Unde Plinius ait: *Faventibus cunctis eſſe vera, quæ facillima erant, univerſum prope humanum genus circumegit in ſe, non alio modo, quam ſi cælo emiſſus adveniſſet. Trahebat præterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo ægris, dandoque tempeſtive tum frigidam aquam, excogitandoque multa dictu grata, atque jucunda, mag a auctoritate, nec minore fama.* Acceſſit augendæ Aſclepiadis famæ, jam magicis vanitatibus in ægrotorum curatione, quibus olim plurimum data eſt opera, vix ullam fidem ſuperfuiſſe. Fuſe de Aſclepiadis Philoſophia, Medicina, & Anatomia agit doctiſſimus Daniel Clericus in Hiſtoria Medicinæ. Is igitur, quem magnis laudibus extollunt Veteres, primus inter Romanos hanc artem ſtatuit, propagavitque; nactus plures diſcipulos Julium Baſſum, Petronium, Diodotum, Sextium Nigrum, & celebrem Antonium Muſam, qui balneo aquæ frigidæ Auguſto ſanitatem reſtituit, a quo accepit privilegium geſtandi anulum aureum. Tum plures in Urbe Medici, magnoque in honore habiti, quos Julius Cæſar civitate donavit. Sunt qui cenſent, ea ætate Medicos omnes ex libertis fuiſſe. Certe quamplurimi memorantur a Scriptoribus illius ævi Medici e ſervorum, vel libertorum numero. Non om-

omnes tamen ex hoc genere fuiſſe ſuadet privilegium Civitatis a Cæſare eis conceſſum, quod ex exteris regionibus plures hujus artis profeſſores Romam advocavit. Et Plinius fatetur, Romanos quoſdam, etſi pauciſſimos, huic arti operam dediſſe. Nam Lib. 29. Cap. 1. dicit: *ſolam hanc artium Græcarum, nondum exercet Romana gravitas, in tanto fructu pauciſſimi attigere Quiritium, & ipſi ſtatim ad Græcos transfugæ. Imo vero authoritas aliter quam Græci eam tractantibus etiam apud imperitos expertesque Linguæ non eſt, ac minus credunt, quæ ad ſalutem ſuam pertinent, ſi intelligunt*. Hujus generis inter Romanos fuere Julius Baſſus, Sextius Niger, C. Valgius. Et teſtatur Cicero Lib. 1. Offic. Cap. 42. hanc artem utpote magnæ utilitatis, quæque magnam rerum notitiam complecteretur, ſine ulla infamia exerceri potuiſſe. Porro inter Medicos plures, qui Romæ fuere, primus Andromachus ſub Nerone dicitur Archiater, hoc eſt vel Medicus primarius, vel Medicus Principis, vel Medicus Urbis: neque enim viri docti conveniunt de hujus vocis ſignificatione. Cenſet Clericus, Archiatros fuiſſe Medicos Principis, primique ordinis, deinde diſtinctos in Archiatros Palatii, & reliquæ multitudinis. His ſtipendium, & plurima privilegia conceſſa leguntur Cod. Lib. 10. Tit. 52. de Profeſſoribus, & Medicis. Et ex his poſtea conflatum eſt Collegium. Denique Medicorum in Urbe fuiſſe Scholas, patet ex Mercuriali Lib. 1. Cap. 7. de arte Gymnaſtica, qui loquens de locis, ubi viri docti Romæ conveniebant, dicit, Medicos conveniſſe in Templo Pacis, & eorum Scholam fuiſſe in regione Eſquilina.

IX. Juriſprudentia non aliunde Romam advecta eſt, ſed in ipſa Urbe hanc originem habuit. Primum Romani uſi ſunt legibus a Romulo, Numa, Servio Tullio, aliiſque Regibus latis, quæ quia collectæ fuerunt a Papyrio, Juris Papiriani nomen acceperunt. Pulſis Regibus,

Con-

Digitized by Google

Conſules dederunt jura, quorum pro arbitrio jus dicentium immoderatam poteſtatem ægre ferens populus, petiit certam juris ſcripti formam, obtinuitque aliquando, poſtquam Conſules, Patriciique diu reſtitiſſent. Itaque anno ab Urbe condita ccc. factum eſt Senatuſconſultum, ut Legati per Italiam, & univerſam Græciam petitum leges mitterentur; creatique Sp. Poſthumius, S. Sulpicius, & Manlius, qui utiliores Civitatum ſingularum, & Lacædemoniorum, atque Athenienſium leges deſcripſerunt. Quæ Romam allatæ, reductæ fuerunt ſimul cum legibus aliquot Regiis in duodecim tabulas a decem viris ad id delectis cum ſummo imperio, ſilentibus cæteris Magiſtratibus. Has leges partim integras perſcripſerunt, partim emendarunt, partim ad populi mores, & conſuetudinem Urbis inflexerunt, novaſque aliquot ipſi pro temporum opportunitate, ut ſuſpicari fas eſt, interſeruerunt. Ex harum legum ſenſu, & poteſtate deductus eſt uſus, ſive ratio judicii exercendi, & negotiorum agitandorum, certis adhibitis formulis, & ſolemnitatibus ab antiquis Juriſconſultis editis, quæ alteram partem Juris Civilis conſtituerunt, dictam a ſuis auctoribus Jus Flavianum, & Jus Ælianum. Verum ſeneſcente duodecim Tabularum jure, & novis in dies negotiis emergentibus, adjectum veteri Juri, immutatumque a novis Senatuſconſultis, vel Plebiſcitis. Et ut jus civibus promptius redderetur, quod Conſules Urbe abeſſe ſæpe cogerentur, conſtituti ſunt Prætores Urbanus, & Peregrinus, qui jus civibus, ac peregrinis redderent; Prætores etiam Provinciales, ſeu Quæſitores, qui Judiciis capitalibus præeſſent. Ex hujus Magiſtratus juriſdictione prodierunt Edicta, quæ ſingulas prope Juris Civilis partes, vel addendo, vel leniendo attigerunt; hocque Jus dictum fuit Honorarium, quod Magiſtratus ille ſummo in honore eſſet. Creati quoque Ædiles duo, qui lites aliquot privatas dijudicandas ſuſciperent; ſacra-

crarum ædium, locorum publicorum, & annonæ curam gererent; civium dicta, & facta obſervarent, & coercerent, quorum Edicta partem quoque Juris conſtituerunt. Ex his omnibus fontibus Jus emanavit apud Romanos. Verum, ut interpretarentur leges, & accomodarentur ad ſæculi mores, & pro re nata, neceſſaria fuit ars quædam, quæ eſſet moderatrix, & interpres legum. Et primo quidem legum interpretationes, tamquam oracula e Collegio Pontificum proferebantur; tum viri ſapientiſſimi huic rei incubuere. Hi, cum ambiguitas aliqua Juris occurreret, occultam legum vim exprimebant; & hinc reſponſa Juriſconſultorum prodiere, quibus plurimum in judiciis deferebatur. Cœpit autem Juris interpretatio litteris conſignari poſt illata in Italiam Græcorum ſtudia, ut patet ex Cicerone in Libro de Oratore. Primus autem Tiberius Coruncanus, qui vixit cadente ſæculo quinto Urbis conditæ, & præcipua Reipublicæ officia geſſit, ſe ſe publice ad reſpondendum dedit, & diſcipulos habuit, tanta auctoritate, ut ad eum teſte Cicerone Lib. 3. de Orat. de humanis, & divinis referretur. De qua re Pomponius in Lege 2. §. *Juris Civilis*, ita ſcribit: *Ex omnibus, qui Juris ſcientiam nacti ſunt, ante Tiberium Coruncanum publice profeſſum neminem traditur. Cæteri autem ad hunc, vel in latenti Jus Civile retinere cogitabant, ſolumque conſultoribus vacare potius, quam diſcere volentibus ſe præſtabant. Is igitur primus profiteri cœpit, hujus tamen ſcriptum nullum exſtat, ſed reſponſa, & memorabilia ejus fuerunt.* Hunc conſecuti ſunt alii plures Juriſconſulti, quos recenſet doctiſſimus Vincentius Gravina in Libro *De origine Juris*; & præcipue Servius Sulpicius, qui primus Juriſprudentiam certis regulis diſtinxit, & C. Trebatius, ejuſque diſcipulus Antiſtius Labeo, qui novis luminibus Jus Civile illuſtravit. Hi Juriſconſulti auditores ac diſcipulos habuere, duæque fuere celebres Scholæ,

qua-

quarum una derivata eſt ab Antiſtio Labeone, altera ab Atteo Capitone. Sed uſque ad Auguſtum privata auctoritate Juriſconſulti munus ſuſcepere reſpondendi de Jure. Primus Maſurius Sabinus ab Auguſto hanc auctoritatem accepit; duravitque hoc inſtitutum uſque ad Adrianum, qui non petendum id munus reſpondit, ſed ex propriis doctrinæ meritis præſtandum. Igitur ante conditam Monarchiam plures in Urbe fuere Juriſprudentiæ Scholæ, Profeſſoreſque. Et Juriſperiti primo docuere in ædibus, deinde in publicis ſtationibus, uti colligitur ex Gellio Lib. 13. Cap. 13. *Cum ex angulis ſecretiſque librorum, ac magiſtrorum, in medium jam hominum, & in lucem fori prodiiſſem, quæſitum eſſe memini in pleriſque Romæ ſtationibus Jus publice docentium, aut reſpondentium, an Quæſtor Populi Romani ad Prætorem in jus vocari poſſet*. Nullo tamen publico ſalario docuere, uti obſervat Pancirolus Lib. 1. de Claris Legum interpretibus: *Antiquitus jura interpretantes ſalarium ex publico habuiſſe non invenio, Pomponius enim ſcribit, Maſurium Sabinum ab auditoribus ſuſtentatum, qui illi honorarium ſolvebant*. At poſtea Profeſſores Juris in Capitolio ſcholam, & ſalarium habuere.

X. Hactenus de origine artium liberalium in Urbe dictum fuit; nunc de ſcholis, in quibus illæ traderentur, dicendum eſt. Finitimos Romanis populos a vetuſtiſſimis temporibus Scholas habuiſſe pueris inſtituendis certum eſt. Quod Gabiis fuerint ludi litterarii vel Romuli tempore, indicat Plutarchus in Romulo. Tuſculanos quoque hos ludos habuiſſe, idem Plutarchus in Camillo teſtatur. De Faliſcis teſtis eſt Livius Lib. 5. Hiſtoriæ, agens de M. Furio Camillo bellum adverſus Faliſcos gerente: *Mos erat Faliſcis eodem Magiſtro liberorum & comite uti; ſimulque plures pueri, quod hodie quoque in Græcia manet unius curæ demandabantur. Principum liberos, ſicut fere fit, qui ſcientia videbatur præ-*

præcellere erudiebat. Et hunc Magiſtrum narrat in Romanorum Ducis poteſtatem pueros perduxiſſe, ut facilius civitate potiretur; Furium tamen proditionem deteſtatum, illos ad patrios lares remiſiſſe. Romanorum idem mos fuit. Nam Livius Lib. 3. differens de Virginia, quam Appius e Decemviris unus perdite adamabat: *Virgini*, inquit, *venienti in forum* (*ibi namque in tabernis litterarum ludi erant*) *miniſter Decemviri manum injicit*. Unde colligitur & Romæ ludos litterarios fuiſſe, & puellas quoque eo a parentibus miſſas. De his ludis Dionyſius Lib. 11. *Tunc autem puerorum ludi litterarii circa forum erant*. At nonniſi ars Grammatiſtica, ſeu legendi, ſcribendique in his ludis litterariis tradita eſt; ſiquidem liberales artes ſerius in Urbem illatæ ſunt. His vero Romæ receptis, uti dictum fuit, plurimi Profeſſores, plurimæ Scholæ in Urbe extiterunt. Plutarchus Quæſt. Rom. LIX. primum ſcholæ publicæ auctorem facit Spurium Garbilium: *Sero*, ait, *cœptum eſt mercede doceri*, *primuſque ludum litterarim aperuit Sp. Garbilii libertus*, *ejus*, *qui primus uxorem dimiſit*. Svetonius tamen in Lib. de Gram. ait Cratem Mellotem fuiſſe primum, qui in Urbe Grammaticam doceret. Quiſquis ille fuerit, tot deinceps huic docendæ arti incubuere, ut eodem Svetonio teſte, viginti Scholæ quandoque in Urbe fuerint, & mercedes Grammaticorum magnæ. Nam Lutatium Daphnidem ducentis millibus nummorum emptum narrat; & L. Appulejum quadringentis annuis conductum Grammaticam docuiſſe. Quoad Rhetoricam, L. Plotius, teſte Cicerone in Epiſtola ad Titinnium, primus doceri cœpit magno cum Auditorum concurſu. Tum Rhetoribus, ſcholiſque Urbs repleta eſt. Ait enim Svetonius Lib. de Rhetor. *Magno ſtudio hominibus injecto*, *magna etiam profeſſorum*, *& doctorum profluxit copia*, *adeoque floruit*, *ut nonnulli ex infima fortuna in Ordinem Senatorium*, *atque ad ſummos hono-*

res proceſſerint. Neque Philoſophi ſiluere. Inſignis enim in Urbe fuit Panetii Stoici Philoſophi ſchola, ex qua Scipio Africanus, Lælius, Q. Tubero, Q. Mucius Scævola, L. Philippus, G. Gallus, aliique viri clariſſimi, præſertim Juriſconſulti prodiere. Nec ſilentio prætereunda eſt ſchola Tyrannionis Amaſeni, quem Lucullus captivum Romam duxerat, & libertate donaverat, de quo plura habet Plutarchus in vita Luculli. Denique cum temporibus Syllæ, & Luculli Græcis Philoſophis Urbs abundaverit; cumque jam Romani ſtudio Philoſophiæ incenſi eſſent, exemplo clariſſimorum virorum, quorum ſumma erat in Republica auctoritas; atque Lucullus, & Sylla Bibliothecam, Scholaſque rebus Philoſophicis tractandis extruxiſſent, perſpicuum fit, & Peripateticorum Lyceum, & Platonis Academiam, & Epicuri hortos, & Zenonis Stoam, & Pythagoræ, & aliorum Philoſophorum Scholam magna cum auditorum frequentia in Urbe extitiſſe. Hæ ſcholæ dicebantur Auditoria, Pergulæ, ludi litterarii: neque enim Gymnaſia ad Athletarum exercitationem ante Neronem apud Romanos extructa fuere. Sed de loco, ubi artium liberalium Profeſſores docuere dicendum erit Capite ſequenti. Illud vero notandum, hiſce Profeſſoribus ſolutas quidem fuiſſe mercedes, non tamen ex ærario Principis: ſiquidem eis ex ære publico ſalaria nonniſi ab Imperatoribus conceſſa fuere. Ciceronem quoque in ludo litterario docuiſſe pluribus teſtimoniis probat Alexander ab Alexandro Genialium Dierum Lib. 1. Cap. 23. Nam in Epiſt. ad Pœtum, dicit ſe Dionyſium imitari, qui cum Syracuſis expulſus Athenas commigraſſet, ludum inibi aperuit. Et in Epiſtola ad Volumnium Caſſium, quæ eſt poſtrema Lib. 7. Ep. familiarium, ſcribit Caſſium & Dolabellam ſuis auribus frui. Ad Pœtum quoque Lib. 9. Ep. famil. ſcribit: *Veniunt, qui me audiunt quaſi doctum hominem, quia paulo ſum, quam illi doctior*. Et ad Papyrium Pœtum eodem Lib. 9. Ep. ſa-

Digitized by Google

famil. ait: *Hircium ego habeo, & Dolabellam dicendi diſcipulos, cœnandi magiſtros: puto te audiſſe, illos apud me declamitare.* Vatinius quoque ad Ciceronem ſcribens memorat Q. Voluſium Ciceronis diſcipulum. Extat inter Epiſtolas familiares Ciceronis. Et Quintilianus lib. Oratoriarum Inſtitutionum teſtatur, Cœlium, & Panſam a primo ætatis gradu Ciceronem in diſciplinis bonarum artium ſectatos fuiſſe. Denique id colligitur ex Cicerone Lib. 1. de Divin. ubi: *Nuper cum eſſem cum Quinto fratre in Tuſculano, diſputatum eſt. Nam cum ambulandi cauſa in Lycium veniſſemus (id enim ſuperiori Gymnaſio nomen eſt) Perlegi, ille inquit, tuum paulo ante tertium librum de natura Deorum.* Ex quo colligitur, Lycium fuiſſe Gymnaſium in Tuſculano Ciceronis a nomine Ariſtotelicæ ſcholæ dictum. Addendus Plutarchus, qui in vita Ciceronis dicit, ipſum, mutata in Monarchiam Republica, miſſis publicis negotiis, operam præbuiſſe adoleſcentulis Philoſophiæ ſtudium adortis. Jam vero præter Grammaticorum, Rhetorum, Philoſophorum ſcholas in Urbe plurimas; Poetæ quoque, poſt Livium Andronicum, qui primus hanc artem Romæ docuit, ſuos habuere ludos litterarios. Et plurimi in hac arte claruere apud Romanos Nævius, Ennius, Cæcilius, Pacuvius, Attius, Afranius, Lucilius, quos memorat Vellejus Paterculus. Tum Plautus, Terentius, C. Lælius, & Scipio. Pueros vero evolvendis Poetarum carminibus incubuiſſe teſtatur Plinius Lib. 1. Ep. 14. ubi dicit, *pueros auſpicari ab Homero in ſcholis.* Atque harum præcipue liberalium artium ſcholæ in Urbe floruerunt. Nam veterum Romanorum eruditio Grammatica, Poeſi, Rhetorica, & Philoſophia concludebatur; quibus pauci addebant Juriſprudentiam. Hæc quidem ſchola florentiſſima, quod a viris ſapientiſſimis, ac graviſſimis haberetur, qui conſulentibus reſponſa dabant circa legum vim & interpretationem. Mathematicorum autem ſcholæ neque plures,

res, neque inſignes. Nec in Urbe ſolum, verum etiam in Provinciis, ſcholas publicas edocendis liberalibus diſciplinis, quas ad utilitatem, gloriamque civium ſummopere neceſſarias agnoverant, Romani conſtituerunt. Sertorius, ut Hiſpanorum felicitatum augeret, eorumque benevolentiam ſibi captaret, Oſcæ celebrem Scholam, conductis ære ſuo Præceptoribus, aperuit. De qua re in ejus vita Plutarchus: *Maxime autem benevolentiam ſibi comparavit ex his, quæ circa puerorum eruditionem machinatus eſt. Nobiliſſimis ſiquidem adoleſcentibus, in Oſcam urbem convocatis, præceptores eis tradidit Græcarum, & Latinarum litterarum.... At patres eorum vehementer gaudebant cernentes filios prætextatos honeſtiſſime ad Magiſtratus euntes, & Sertorium pro eis ſalaria pendentem, ac ſæpe ipſos examinantem, & præmia doctoribus tribuentem, bullaſque aureas donantem*. Plinius inſignem Scholam Comi in Italia curavit conſtitui, uti ſcribit Lib. 4. Ep. 13. eodemque teſte, Mediolani tunc temporis ita florebant artium liberalium ſtudia, ut novæ Athenæ dicerentur. In magna Grecia innumeræ erant Scholæ. Hinc Cicero pro Archia Poeta ait: *Erat Italia tunc plena Græcarum artium, ac diſciplinarum, ſtudiaque hæc in Latio vehementius colebantur*. Præſertim vero ſub Imperatoribus Scholæ plurimæ conſtitutæ ſunt in Provinciis Romani Imperii, & ſalaria ex ærario publico Profeſſoribus conceſſa. De qua re alibi. Gallos etiam ſtudiis liberalibus imbui Romani curarunt. Nam Svetonius in libro de Grammaticis ait: *Tradunt L. Apulejum ab Eſicio Calvino Equite Romano prædivite quadrigenis aureis conductum ad docendum. Nam in Provincias quoque Grammatica penetraverat, ac nonnulli de notiſſimis Doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata*. Omnium celeberrima fuit Maſſilienſis ſchola, ut Maſſilia a Tacito dicatur ſtudiorum Magiſtra, & ſæpe illuc Romani filios ſuos inſtituendos miſerint.

XI. Su-

Digitized by Google

XI. Supereſt, ut quæ Romanis fuerit ratio inſtituendi pueros liberalibus diſciplinis, expendamus. Et primo quidem Romanorum mos fuit (uti obſervat Cellarius in diſſertatione de ſtudiis liberalibus Romanorum, quæ extat Tom. 3. Theſaur. Antiq. Rom. Sallengre) pueros extra limen producere, ut liberales diſciplinas addiſcerent. Nam in ſcholis, & multorum conventu malebant ſuos inſtitui, quam privatim, ob æmulationem fortaſſe, de qua Vellejus Paterculus Lib. 1. Hiſt. ait: *Alit æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit*. Addi poteſt celebres artium liberalium Profeſſores indignum exiſtimaſſe, ſi ipſimet ad diſcipulos domi ſuæ inſtituendos accederent. Id inſigni probatur teſtimonio Capitolini in vita Antonini Pii Imperatoris. Narrat enim Apollonium Philoſophum ab Imperatore accerſitum, ut Marcum Antoniuum erudiret, reſpondiſſe, diſcipulum ad Magiſtri ſcholam, haud vero Magiſtrum ad diſcipuli domum ſe ſe conferre debere: *Quum Apollonium, quem Chalcide acciverat ad Tiberianam domum, in qua habitabat vocaſſet, ut ei Marcum Antoninum traderet, atque ille dixiſſet: Non Magiſter ad diſcipulum debet venire, ſed diſcipulus ad Magiſtrum; riſit eum dicens, facilius fuit Apollonio a Chalcide Romam venire, quam a domo ſua in Palatium; cujus avaritiam etiam mercedibus notavit*. Et ipſi Cæſares non raro ad Rhetorum, Poetarum, & Philoſophorum Scholas accedebant. Itaque non domi, ſed in Scholis publicis, mos erat apud Romanos litteras addiſcendi. Eo ſervi, & pædagogi pueros ducebant. Nonnulli tamen domi inſtituebantur. Cato Cenſorius ipſe ſe filio præceptorem exhibuit, teſte Plutarcho. Octavius Auguſtus Cajum, & Lucium, quos ſibi filios adſciverat ſua ipſius doctrina imbuit. De qua re Svetonius in ipſius vita: *Nepotes & litteras, & natare, & alia rudimenta per ſe plerumque docuit*. Princeps Romanorum ſtudium fuit Eloquentia, quam Philoſophiæ,

& Ju-

Digitized by Google

& Juriſprudentiæ præferebant. Unde hanc vocabant ſecundam artem. Narrat Cicero de clar. Orat. Cap. 12. Servium Sulpicium ſe ſe ad Juris ſcientiam adplicuiſſe, quod deſperaſſet eloquentia vincere ipſum, & Hortenſium, &, *in ſecunda arte primum eſſe maluiſſe, quam in prima ſecundum*. Itaque primo ſtudebant litteris Græcis, & Homero. Unde Plinius Lib. 2. Ep. 14. dicit, *pueros auſpicari ab Homero in Scholis*. Et Horatius ita ſcribit Lib. 2. Ep. 2.

Romæ nutriri mihi contigit atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles.

Tum ſe dabant Philoſopho ad diſcendam artem diſſerendi, & Rhetori ad diſcendam artem declamandi Græce, & Latine; ſed Græce magis, uti teſtatur Cicero in Bruto Cap. 90. Maxime apud Romanos in more fuit Recitatio, cujus innumera ſunt exempla apud Plinium. Ita Lib. 1. Ep. 13. ait: *Magnum proventum Poetarum hic annus attulit. Toto menſe Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis*. Utilitatem Recitationis oſtendit Lib. 5. Ep. 3. *Has recitandi cauſas ſequor, primum, quod ipſe, qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis auditorum reverentia intendit; deinde, quod de quibuſdam dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit: Multa etiam multis admonetur; & ſi non admoneatur quod quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio, quæ ſatis apertis notis judicium ab humanitate diſcernunt*. Erant Mœcenates, qui domos ſuas hiſce litterariis exercitationibus præbebant. Ipſi Cæſares quandoque recitarunt, vel ad aliorum Recitationes ſe contulere. Tum ſe dabant Latino Oratori, a quo dicendi, & cauſas agendi artificium diſcebant, & in forum producebantur, ut cauſam aliquam patrocinarentur, uti ex Plinio Lib. 2. Ep. 14. Lib. 6. Ep. 23. colligitur. Neque in caſtris ſtipendia merentes ſtudia negligebant. Cato Cenſorius adoleſcens ſtipendium faciens ſub

Digitized by Google

ſub Fabio Maximo apud Tarentinos bellum gerente, Philoſophiam a Nearco Pythagorico, cujus utebatur hoſpitio, accepit, teſte Plutarcho. De Scipione Africano narrat Vellejus Paterculus Polybium, Panœtiumque domi, & in caſtris ſecum habuiſſe, *ſemper inter arma, & ſtudia verſatum, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuiſſe*. Alia plurima ſunt hujus rei exempla. Neque omittendum, conſueviſſe Romanos in ipſis caſtris ludos litterarios habere, ubi obſides, quorum plurimi erant ephæbi, liberalibus diſciplinis inſtituerentur. Nam Svetonius in vita Caligulæ memorat obſides abductos e ludo litterario. Denique Romanis ſolemne fuit in Aſiam, Græciamque, præſertim vero Athenas, Rhodum, Apolloniam, ubi tunc temporis liberales artes inſigniter efflorebant, pergere, audiendi cauſa Oratores, ac Philoſophos clariſſimos. Ita Cicero, Pompejus, Brutus, Atticus, Horatius, aliique plures Athenas, Spartam, Rhodum, Apolloniam, & alia loca Philoſophiæ ſtudio clara, ad Philoſophos audiendos adierunt. Videndi de hac re Falſterus in Quæſt. Rom. & Nicolaus Kriegk in Diatr. de Romanorum peregrinationibus Academicis. Sed & filios ſuos vel ad Maſſilienſes, vel ad Græcos diſcendi cauſa liberales artes ablegarunt. Ita Cicero filium ſuum Cratippo Peripatetico Athenis inſtituendum tradidit. Porro tabellas ad ſcribendum, pueros in ſcholis detuliſſe, & menſtrua ſalaria Idibus menſis perſolviſſe Profeſſoribus, indicat Horatius Sat. 6. Lib. 1.

Noluit in Flavi ludum me mittere magni.
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Lævo ſuſpenſi loculos, tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus æra.

Et præter mercedem menſtruam dabant etiam mercedem quamdam, ſeu munuſculum dictum Minerval in primo ad Magiſtrum ingreſſu.

CAPUT II.

DE GYMNASIO ROMANO SUB ETHNICIS IMPERATORIBUS

Qui Imperatores ſtuduerint liberalibus diſciplinis. II. Quique uſi ſint contubernio, familiaritate, & conſilio Profeſſorum bonarum artium. III. Ut ad Scholas publicas ſæpe acceſſerint audiendi, vel dicendi cauſa. IV. Athenæum, & Scholæ publicæ ab Imperatoribus conſtructæ in Urbe, & Provinciis. V. Et ſalaria conſtituta Profeſſoribus artium liberalium in Urbe, & Provinciis. VI. Tum privilegia eiſdem conceſſa. VII. Clari illius ævi Profeſſores recenſentur. VIII. Adverſa fata bonarum artium ſub Caligula, Nerone, Vitellio, Domitiano, Caracalla, Heliogabulo.

I. ROmanorum res litteraria, quæ circa tempora naſcentis Monarchiæ florere cœperat, mutata deinde Reipublicæ forma, plurimum incrementi accepit ſub Cæſaribus, quorum gentem litteris, & eloquentia cultam fuiſſe affirmat Aurelius Victor. Julii Cæſaris doctrina, præſertim vero eloquentia laudatur a Svetonio, & Cicerone in Bruto, ac comprobatur libris ab eo conſcriptis. Ejuſdem ſtudium in promovendis litteris diſertiſſime patet, quod Svetonio teſte, *Medicos, & liberalium artium Doctores, quo liberius & ipſi Urbem incolerent, & cæteri appeterent civitate donavit*; quod Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaque legum copia, optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros cogitavit; *quodque Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas poſſet publicare,*

re, *data M. Varroni cura comparandarum*, *ac digerendarum ſtuduit*. Octavianus Auguſtus, eodem Svetonio teſte, *eloquentiam*, *ſtudiaque liberalia ab ætate prima*, *& cupide*, *& laborioſiſſime exercuit*. *Mutinenſi bello in tanta rerum mole*, *& legiſſe*, *& ſcripſiſſe*, *& declamaſſe quotidie*, *legitur*. Addit plures compoſuiſſe orationes, librosque; Poeſim, Græcaſque diſciplinas noviſſe, uſum Magiſtro Apollodoro Pergameno; *& ingenia ſæculi ſui omnibus modis foviſſe*. Sed & inſignem Bibliothecam Græcam Latinamque conſtruxit prope Templum Apollinis Palatini; etſi bis mille libros fatidicos Græcos, Latinoſque combuſſerit, exceptis libris Sibyllinis. Tiberium *artes liberales utriuſque generis ſtudioſiſſime coluiſſe*, Græcæ linguæ, Grammaticæ, Poeſis peritum fuiſſe, poemata edidiſſe, & Euphorionis, Rhiani, Partheni Poetarum tum ſcripta, tum imagines publicis Bibliothecis dedicaſſe, ſolitumque experiri quæſtionibus Grammaticos, *quod genus hominum præcipue appetebat*, narrat in illius vita Svetonius. Et quamvis Mathematicos Urbe diſcedere juſſerit, attamen id ad eos referendum eſt, qui hoc nomine abutebantur; ſiquidem Mathematicis diſciplinis addictum patet ex hoc Svetonii teſtimonio: *Circa Deos negligentior*, *quippe addictus Mathematicæ*, *perſuaſioniſque plenus cuncta fato agi*. A Svetonio etiam traditum eſt, C. Caligulam eruditioni parum, eloquentiæ plurimum ſtuduiſſe; Claudium diſciplinis liberalibus ab ætate prima non mediocrem dediſſe operam, ac ſæpe experimenta cujuſque etiam publicaſſe, hiſtorias ſcripſiſſe, & Græca ſecutum eſſe ſtudia; tum ſtatuiſſe, ut in Muſæo Alexandrino, ſtatutis diebus, quotannis recitarentur hiſtoriæ ab ipſo conſcriptæ; Neronem vero liberales diſciplinas omnes fere puerum attigiſſe, quem tamen a Philoſophia mater avertit, monens, imperaturo contrariam eſſe; & a cognitione veterum Oratorum avertit Seneca præceptor, ut eum diutius in ſui admiratio-

 nem

Digitized by Google

nem detineret. Verum his longe præſtitit Veſpaſiani ſtudium in liberales diſciplinas, utpote qui primus ſalaria illarum Profeſſoribus conſtituit, & a Svetonio ornatur hoc elogio: *Ingenia & artes maxime fovit*. Domitiano nulla fuit in rem litterariam cura; bene vero Trajano ejus poſt Nervam ſucceſſori, etſi in bonis artibus leviter verſato. Dicitur enim a Sexto Aurelio Victore in Hiſtoria Auguſta: *Studioſus optimi cujuſque, ac bellicoſi: magiſque ſimpliciora ingenia, aut eruditiſſimos, quamvis ipſe parcæ eſſet ſcientiæ, moderateque eloquens diligebat*. Et a Xiphilino: *Bonarum artium expers, & ignarus fuit, licet vere ea, quæ ad virum doctum pertinent, intelligere, ac facere videretur*. Ejus ſucceſſor Ælius Adrianus dicitur a Spartiano in ejus vita, & ab Aurelio Victore in Hiſtoria Auguſta, Græcis litteris, & Athenienſium ſtudiis eruditus quammaxime, ut Græculus diceretur. Eundem Spartianus tradit fuiſſe poematum, & litterarum omnium ſtudioſiſſimum, Arithmeticæ, Geometriæ, Picturæ quoque, & Muſices peritiſſimum: *Et quamvis eſſet*, inquit, *oratione, & verſupromtiſſimus, & in omnibus artibus peritiſſimus, tamen Profeſſores omnium artium ſemper ut doctior riſit, contempſit, obtrivit. Cum his ipſis Profeſſoribus, & Philoſophis, libris vel carminibus invicem editis ſæpe certavit . . . . . Amavit præterea genus dicendi venuſtum: Controverſias declamavit; Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtio Cæcilium prætulit. Eademque jactatione de Homero, & Platone judicavit. Matheſin ſic ſcire ſibi viſus eſt, ut ſero Calendis Januariis ſcripſerit, quid ei toto anno poſſet evenire; ita ut eo anno, quo periit, uſque ad illam horam, qua eſt mortuus, ſcripſerit, quid acturus eſſet*. Addit, Profeſſoribus bonarum artium Adrianum honores, opeſque contuliſſe, etſi eos contemnere videretur, quod ſe ſe doctiſſimum omnium exiſtimaret, imo eorum familiaritate ſumma uſum eſſe. Atqui tamen in re lit-

litteraria Adriani peritiam, ſtudiumque ſuperavit M. Antoninus Philoſophus ad bonarum artium felicitatem nactus imperium. Quam is bonis artibus ſtuduerit, quot, & quantis uſus ſit præceptoribus, quantum eis detulerit, quantumque ab eis didicerit, ita narrat in illius vita Capitolinus: *Uſus eſt Magiſtris ad prima elementa Euphorione Litteratore, & Gemino Comœdo, Muſico Androne, eodemque Geometra, quibus omnibus, ut diſciplinarum auctoribus plurimum detulit. Uſus præterea Grammaticis Græco Alexandro; quotidianis Latinis Troſio Apro, & Pollione, & Eutychio Proculo Siccenſi. Oratoribus uſus eſt Græcis Annio Macro, Caninio Celere, & Herode Attico; Latino Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & ſtatuam in Senatu petiit; Proculum vero uſque ad Proconſulatum evexit. Honoribus in ſe receptis Philoſophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer ... Uſus eſt etiam Commodo Magiſtro cui & affinitas fuerat deſtinata. Uſus eſt & Apollonio Chalcedonio Stoico Philoſopho. Tantum autem ſtudium in eo Philoſophiæ fuit, ut adſcitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii diſcendi cauſa veniret. Audivit & Sextum Chæronenſem Plutarchi nepotem, Junium Ruſticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum Stoicos..... Studuit & Juri, audiens L. Voluſium Metianum. Tantumque operis, & laboris ſtudiis impendit, ut corpus afficeret, atque in hoc ſolo pueritia ejus reprehenderetur.* Stoicæ Philoſophiæ addictus, habitum Stoici ſumpſit, & pallium indutus humi cubuit, vixque a matre eo perductus eſt, ut inſtrato pellibus lecto accubaret. Nam Philoſophi in lectulis pelle inſtratis ſcribebant, charta ſuper femore collocata. Hos lectulos memorant Seneca Epiſt. 72. & Ovidius Lib. 1. Triſt. Eleg. 10.

Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis,
Nec conſuete meum lectule corpus habes.

Ne-

Neque Pertinaci, aut Septimio Severo deſuit litterarum ſcientia. Nam de Pertinace ſcribit Capitolinus, ſtuduiſſe illum litteris, calculo, & Grammaticæ, imo & Grammaticæ Profeſſorem fuiſſe. Septimius Severus, teſte Spartiano, ex Africa Romam venit ſtudiorum cauſa; Athenas quoque eodem conſilio adiit, Græcis, Latiniſque litteris erudititiſſimus: *Philoſophiæ, ac dicendi ſtudiis ſatis deditus, doctrinæ quoque nimis cupidus*. Ab Antonino Caracalla, & Heliogabulo neglectæ litteræ priſtino honori reſtitutæ ſunt ab Alexandro Severo Principe ſapientiſſimo, quem Lampridius dicit Grammaticæ, Rhetoricæ, Græcæ eloquentiæ, Matheſeos peritum; libros Græcos, præſertim Platonis de Republica, Oratores, Poetaſque aſſidue legiſſe; doctos viros adamaſſe, eoſque frequenter in menſa audiviſſe, *quibus ſe recreari dicebat, & paſci*. Denique Gordianum Juniorem hoc nomine claruiſſe, indicat his verbis Capitolinus: *In ſtudiis graviſſimæ opinionis fuit; forma conſpicuus, memoriæ ſingularis, bonitatis inſignis, adeo ut ſemper in Scholis ſiquis puerorum verberaretur, ille lacrymas non teneret. Sereno Sammonico, qui patris ejus amiciſſimus, ſibi autem præceptor fuit, nimis acceptus, & carus uſque adeo ut omnes libros Sereni Sammonici patris ſui, qui cenſebantur ad LX. & duo millia Gordiano minori moriens illrelinqueret: quod eum ad cælum tulit. Siquidem tantæ Bibliothecæ copia, & ſplendore donatus, in famam hominum litteratorum decore pervenit*. Atque hi potiſſimum Imperatores litterarum gloria claruerunt. Qui a nobis commemorandi fuerunt multiplici nomine, quod e Gymnaſio Romano prodierint, quod Romanos Profeſſores artium liberalium honoribus, & ſtipendiis donaverint, quod Scholas publicas in Urbe præſentia ſua non raro honeſtaverint, quod denique rem litterariam Romæ modis omnibus auxerint.

II. Cum igitur hiſce Imperatoribus liberales diſcipli-

plinæ acceptæ fuerint, mirum non eſt, ſi illarum Profeſſores in ſuum contubernium, familiaritatem, conſiliumque adſciverint. Et ita rem ſe habuiſſe, merito affirmat Themiſtius in oratione ad Jovianum Imperatorem. Ita Auguſto contubernalis fuit ejus præceptor Areus Philoſophus, in cujus gratiam, ſuperato Antonio, veniam Alexandrinis conceſſit. Quamvis enim, enarrante Dione Lib. 52. Mœcenas *Auguſtum monuerit obſervare eos, qui ſe Philoſophiæ nomine populo venditarent, dicendo: Cavere te jubeo Philoſophos, neque enim quia Areum, & Athenodorum, bonos & honeſtos viros expertus es, omnes alios idem ſtudium præſeferentes, ſimiles eorum judicare debes, quum hac ſpecie uſi multi infinita mala populis privatiſque hominibus afferant*: id tamen ad eos ſpectat, qui abuſi Philoſophiæ nomine, ut Auguſti gratiam venarentur, quales Chaldæi erant, incautos multis modis decipiebant. Cæterum Auguſtus fuit in Philoſophos propenſiſſimus, cum non ſolum foverit Athenodorum, & Nicolaum Damaſcenum, ſed & *hortationes ad Philoſophiam* ſcripſerit, teſte Svetonio. Tiberius habuit præceptorem, comitemque Thraſyllum Mathematicum, Philoſophumque. In Aula Neronis claruit L. Annæus Seneca Stoicus Philoſophus. Apud Veſpaſianum C. Muſonius Rufus plurimum valuit gratia. Nervæ, & Trajano cariſſimus fuit Dio Pruſænſis, dictus inde Coccejanus, & ab eloquentia Chryſoſtomus, quem Imperator eximie diligere fatebatur, & in currum, quo triumphantes vehi ſolebant, aſſumebat, ſimulſque cum eo vehebatur. At ſub Caligula, Claudio, Nerone, Domitiano Profeſſores bonarum artium nullo honore aucti, imo contumelia affecti. Hos vero Adrianus pluribus beneficiis, & familiaritate ſua donavit. Ita enim de eo ſcribit Spartianus: *Non omnis tantum generis viros doctos in Aula fovit Grammaticos, Rhetores, Muſicos, Geometras, Pictores, Aſtrologos, ſed Philoſophos quoque habuit cariſſi-*

ſimos, *&* *in his maxime Epictetum*, *Heliodorum*, *&* *Favorinum familiares*. *Gratia enim & beneficiis plerumque cumulavit Profeſſores artium omnes*, *eoſque honoravit*, *&* *divites fecit*, *licet eos quæſtionibus ſemper agitaverit*: *Et cum ipſe auctor eſſet*, *ut multi ab eo triſtes recederent*, *dicebat ſe graviter ferre*, *ſi quem triſtem videret*. Cum præclariſſime Adrianus de re litteraria meruerit, in eo tamen reprehendendus, quod nedum doctos viros, veluti doctior ipſe contemſerit, verum etiam necem eis intentaverit, uti in Favorinum, & Dionyſium Mileſium, egiſſe colligitur ex Spartiano, Dione, Xiphilino, ægre ferens, aliquem ipſo doctiorem videri. Imperante M. Aurelio Antonino Philoſopho, Aulam omnem doctiſſimis artium liberalium Profeſſoribus floruiſſe, certum eſt. Qui quidem præceptores ſuos magnis honoribus auxit. Nam Frontoni artis Oratoriæ magiſtro ſtatuam a Senatu petiit; Proculum autem uſque ad Proconſulatum evexit, præſertim vero coluit Junium Ruſticum inſignem Philoſophum, *quem*, teſte Capitolino, *reveritus eſt*, *& ſectatus*, *qui domi*, *militiæque pollebat*, *Stoicæ diſciplinæ peritiſſimus*, *cum quo omnia communicavit*, *cui etiam ante Præfectos Prætorio ſemper oſculum dedit*, *quem & Conſulem iterum deſignavit*, *cui poſt obitum a Senatu ſtatuas poſtulavit*. Neque Junium Ruſticum ſolum tanto Imperator proſecutus eſt honore, ſed & alios ſuos Inſtitutores: *Tantum autem honorem*, ait Capitolinus, *Magiſtris ſuis detulit*, *ut imagines eorum aureas in Lario haberet*, *ac ſepulchra eorum aditu*, *hoſtiis*, *floribus ſemper honoraret*. Et Xiphilinus in ejuſdem Imperatoris vita memorat quemdam Heliodorum, *qui propter multam Rhetoricæ artis ſcientiam ad Præfecturam Ægypti pervenerat*. Hujus veſtigia ſecutus eſt Alexander Severus, utpote qui, teſte Lampridio, *amavit litteratos homines*, *vehementer eos etiam reformidans*, *nequid de ſe aſperum ſcriberent*; doctos itidem viros differentes ac-

accumbens menſæ frequenter audiebat, *quibus ſe recrari dicebat, & paſci.*

III. Eodemque in liberales diſciplinas ſtudio ducti Imperatores, non raro ad Scholas publicas acceſſerunt, vel ut differentes illarum Profeſſores audirent, vel ut ipſi de rebus litterariis agerent. De Octavio Auguſto Svetonius: *Ingenia ſæculi ſui omnibus modis fovit. Recitantes & benigne & patienter audivit, nec tantum Carmina, & Hiſtorias, ſed & Orationes, & Dialogos.* Eodem Svetonio teſte, Tiberius Tribunum agens Auditoria Profeſſorum frequentabat: *Unum hic tantummodo*, inquit, *neque præterea quidquam notatum eſt, in quo exercuiſſe jus Tribuniciæ poteſtatis viſus ſit. Cum circa Scholas, & Auditoria Profeſſorum aſſiduus eſſet, moto inter antiſophiſtas graviore jurgio, non defuit, qui eum intervenientem, & quaſi ſtudioſiorem partis alterius, convitio inceſſeret. Senſim itaque regreſſus domum, repente cum apparitoribus prodiit, citatumque pro Tribunali voce Præconis, convitiatorem rapi juſſit in carcerem.* Narrat idem Svetonius, Tiberium experiri ſolitum quæſtionibus Grammaticos, *quod genus hominum maxime appetebat.* De Claudio Cæſare inſigne præbet teſtimonium Plinius Ep. 1. 13. *Memoria parentum Claudium Cæſarem ferunt, quum in Palacio ſpaciaretur, audiſſetque clamorem, cauſam requiſiviſſe, quumque dictum eſſet recitare Nonianum, ſubitum recitanti, inopinatumque veniſſe.* Et conſueviſſe Imperatores in Athenæo declamantes audire, indicat Capitolinus agens de Gordiano: *Ubi adolevit*, inquit, *in Athenæo declamavit controverſiis, audientibus etiam Imperatoribus ſuis.* Pertinacem quoque aliquando ſe ad Athenæum contuliſſe, ad audiendos Poetas, idem Capitolinus teſtatur. Narrat, enim milites Prætorianos de caſtris ad obſequium Principis conveniſſe, *eo die, quo Pertinax proceſſionem, quam ad Athenæum paraverat, ut audiret Poetam, ob ſacrificii præſagium diſtulit.* Sed

 Adria-

Digitized by Google

Adrianus bonarum artium ſtudioſiſſimus, ac peritiſſimus cum Profeſſoribus, & Philoſophis, libris, vel carminibus invicem editis ſæpe certavit; quæſtionibus eos ſemper exagitavit; tum in Muſeo Alexandrino quæſtiones plures Profeſſoribus propoſuit, & propoſitas ipſe diſſolvit, quamvis imperio præeſſet, uti narrat in illius vita *Spartianus*. Quæſtiones haſce ab Adriano actas ad Philologiam dumtaxat, & artem Grammaticam referendas cenſet Hermannus Conringius in Antiquitatibus Academicis. Sed ejus familiaritas cum magni nominis Philoſophis Epicteto, Favorino, Heliodoro, Secundo evincit, non illis tantum limitibus concluſam Adriani eruditionem. Veriſimile eſt eum Epicteto, quo familiariter utebatur, ſæpiſſime diſputaſſe. Cujus rei monumentum extat, nempe *Altercatio Adriani cum Epicteto*. Hanc genuinam eſſe Joannes Schefferus de Philoſ. Ital. Cap. 10. aliique cenſent. At Fabricio in Bibl. Græc. & Hermanno in Act. Philoſ. conficta videtur, ea occaſione, quod conſueverit Adrianus quæſtionibus Philoſophos vexare. Et obſervat Hermannus Diſſertationes Epicteti editas ab Aniano auctore ejus vitæ, cum hac *Altercatione* minime convenire; hanceque Platonicum potius, quam Stoicum Philoſophum auctorem habere. Inſigne eſt Lampridii de Alexandro Severo teſtimonium: *Ad Athenæum*, inquit, *audiendorum & Græcorum, & Latinorum Rhetorum, vel Poetarum cauſa frequenter proceſſit*. Quis dubitet M. Antonino Philoſopho idem fuiſſe ſtudium? Et hunc quidem *frequentaſſe Declamatorum Scholas publicas* teſtatur Capitolinus. At non id ſolum. Imo, teſte Suida in ejus vita, tabellis e zona ſuſpenſis ad inſtar puerorum properabat Imperator ad Sexti Chæronenſis Stoici Philoſophi Scholam cupiditate diſcendi: *Marcus, qui & Antoninus*, inquit, *laudatus ille per omnia Philoſophus, cum alios audivit, tum Romæ Sextii Boetii Philoſophi fores ipſe frequentavit. Cum autem eum Lycius quidam Orator,* He-

Herodis Athenienſis Rhetoris diſcipulas prodeuntem rogaret, quo iret, quaque de cauſa: Marcus, etiam ſeni, inquit, diſcere honeſtum eſt. Eo igitur ad Sextum Philoſophum, cogniturus quæ nondum ſcio. Ibi Lycius manu ad cælum ſublata: O *ſol, inquit, Romanorum Imperator, ingraveſcente ætate libellum tractans, Magiſtrum adit: meus autem Rex Alexander annos xxxii. natus obiit*. Eadem narrat Philoſtratus in vitis Sophiſtarum Lib.2. Cap.1. Hæc tamen narratio Bruchero in Hiſt. Philoſ. Period. 2. Par. 1. Lib. 1. Cap. 2. ſuſpecta eſt, ac excogitata videtur ab iis, qui pædagogicos, & ſcholaſticos mores Imperatori objecere, quod veriſimile non ſit, Romanorum Imperatorem, ſuſpenſis e lævo lacerto tabellis, uti pueri properantes ad ludum litterarium, iviſſe ad Sexti Scholam. At iviſſe quidem Imperatores ad Scholas publicas, certum eſt. Neque mirum, ſi Imperator Philoſophus, quique ſummo in imperio Philoſophicam vitam agebat, tantum oſtentaverit ſtudium Philoſophiæ. Denique ſilentio prætereundum non eſt, tantum fuiſſe Principum, ac Romanorum ſtudium artis Oratoriæ, & Poeticæ, ut non ſemel Principes inter alios ludos populo exhibitos, certamina Oratorum, & Poetarum imperaverint. Svetonius referens ludos a C. Caligula editos, addit: *Sed & certamen quoque Græcæ, Latinæque facundiæ, quo certamine ferunt victoribus præmia victos contuliſſe, eorumdem & laudes componere coactos*. Domitianum quoqu e edidiſſe hæc certamina Poetarum, & Oratorum Græce, & Latine, idem Svetonius teſtatur. In his ludis litterariis, qui elegantius diſſeruiſſet, prœmio donabatur.

IV. Neque his limitibus ſe ſe continuit Imperatorum erga liberales artes ſtudium. Athenæum quoque, ſive Scholam publicam illarum Profeſſoribus in Urbe conſtruxerunt; ita dictum, quod Athenæ tunc temporis eſſet litterarum, & doctorum virorum diverſorium omnium

florentiſſimum. Dicebatur quoque Templum Minervæ; uti patet ex Xiphilino, ſcribente de Didio Juliano, Conſulem Silium Meſſalam convocaſſe Prætorianos in Athenæum, ſeu Templum Minervæ, *quod Templum nomen traxit ab exercitatione eorum, qui in ipſo erudiuntur*. Nam ſtudiis liberalibus Minerva imminebat. Ante Adrianum variis in locis Urbis Profeſſores edocebant, fortaſſe etiam in Scholis, xyſtiſque, ſeu porticibus conſtructis a Lucullo prope Bibliothecam. Quandoque in Palatio, uti indicat Plinius Ep. 1. 13. *Memoria parentum Claudium Cæſarem ferunt, quum in Palacio ſpaciaretur, audiſſetque clamorem, cauſam requiſiviſſe, quum dictum eſſet, recitare Nonianum, ſubitum recitanti, inopinatumque veniſſe*. Non autem in Gymnaſiis, quæ nulla fuerunt in Urbe ante Neronem. Ea a Græcis primum instituta delectationis, & exercitationis gratia, ut ait Cicero de Orat. quæ poſtea Philoſophi occuparunt. Plures in Gymnaſiis diſtinguebantur partes, Porticus plenæ exhedris, in quibus Philoſophi, aliique conſidentes diſputarent; Ephebæum, ubi ephæbi corpus exercebant; Coricium, ubi folle luſorio, aut pila luſitarent; Elæotheſium, ubi unguenta recondebantur; Coniſterium, ubi uncti adſpergebantur pulvere; Palæſtra, ubi luctabantur; Sphæriſtirium, ubi pila exercebantur, tandem Balnea. Videndi Voſſius de arte Gymnaſtica, & Laurentius Joubertus, ac Dominicus Auliſius in Diſſertationibus de Gymnaſiis Veterum, quæ extant in Theſauro Antiquitatum Romanarum, auctore Sallengre. Sed antiquis Romanis inuſitata fuere, etſi corporis exercitationes minime negligerent; ſiquidem mos erat juventutem exercere curruum, vel equorum decertatione in campo Martio, item pila, ac palæſtra; in Tiberi etiam natare. Primus Nero Gymnaſium in Urbe conſtruxit. Xiphilinus etiam in ejus vita refert, Neronem inſtituto quinquennali certamine ædificaſſe Gymnaſium, in cujus dedicatione diſtribuit oleum

Digitized by Google

oleum Senatoribus, & Equitibus. Gymnaſium hoc, ubi Neronis ſtatua collocata erat, ictu fulminis conflagraſſe, narrat Tacitus Lib. 15. Annalium. In hoc Gymnaſio Demetrius Philoſophus Cynicus, teſte Philoſtrato, ſe cum Nerone commiſit, atque orationem habuit adverſus eos, qui balneis utuntur, quod illi magnam concitavit invidiam. Deinde alia fuerunt Gymnaſia in Urbe extructa. Nam de Sura Licinio amico Trajani refert Xiphilinus in hujus Imperatoris vita: *Hic adeo dives fuerat, & potens, ut Gymnaſium ædificaverit populo Romano ſuis ſumptibus*. Et in vita Adriani narrat, ab eo morte mulctatum Apollodorum Architectum, *qui Forum, Odeum, & Gymnaſium opera Trajani Romæ fecerat*. Meliori conſilio Adrianus Imperator ille ſapientiſſimus Athenæum in Urbe conſtruxit tradendis liberalibus diſciplinis. Cujus rei teſtis eſt Aurelius Victor de Cæſaribus: *Aelius Hadrianus eloquio, togæque ſtudiis accomodatior, pace ad Orientem compoſita Romam regreditur. Ibi Græcorum more, ſeu Pompilii Numæ, cæremonias, leges, Gymnaſia, Doctoreſque, curare occæpit: adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret*. Quapropter duo primi Romanæ Academiæ, ſeu Univerſitatis auctores habendi ſunt Veſpaſianus, & Adrianus Principes ſapientiſſimi, eoque nomine perpetuo commendandi, quod ille primus ſalaria Profeſſoribus publicis conſtituerit, hic primus Athenæum, ſeu Scholam eiſdem conſtruxerit. His adjungendus Alexander Severus, & ipſe de re litteraria optime meritus, utpote qui ſalariis, ſimulque Scholis donavit Profeſſores artium liberalium. Ita enim in ejus vita Lampridius: *Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruſpicibus, Mathematicis, Mechanicis, Architectis ſalaria inſtituit, & auditoria decrevit*. Hæ Scholæ, ſeu Auditoria dicebantur quoque *Pergulæ*, uti apud Vopiſcum in vita Saturnini, qui regnante Probo imperium occupavit: *In Africa Rhetoricæ ope-*

operam dederat, *Romæ frequentaverat Pergulas magiſtrales*. Pergula erat locus ædium ſuper tectum; & ibi nonniſi e trivio Magiſtros docuiſſe cenſet Caſaubonus in Vopiſcum. Cui refragatur Pitiſcus in Lex. Antiqu. Rom. aſſerens, in Pergulis docuiſſe Profeſſores artium liberalium, etiam qui de publico ſtipendium accipiebant, eaſdemque dici *publicas Magiſtrationes*, *& publicas cellulas*. Nam Leg. 3. Cod. Theodoſ. de ſtud. liber. dicitur: *Univerſos, qui uſurpantes ſibi nomina Magiſtrorum in publicis Magiſtrationibus, celluliſque collectos undecumque diſcipulos circumferre conſueverunt, ab oſtentatione vulgari præcipimus amoveri.* Negat Pitiſcus, nonniſi pauperes Grammaticos, quibus in ædibus habendæ Scholæ poteſtas non erat, in Pergula docuiſſe, ut nonnullis viſum eſt: imo Grammaticos, Mathematicos, cæteroſque Profeſſores artium omnium, affirmat in Pergulis publicis docuiſſe; Pictores quoque Leg. 4. de excuſ. artif. Cod. Theod. de Pict. Profeſs. ibi: *Pergulas*, *& officinas in locis publicis ſine penſione obtineant*. Quidni Pergularum nomen, quia olim in locis ſuper ædium tecta conſtructis, Profeſſores edocuerant, traductum deinde ad Scholas omnes; quemadmodum nomen Gymnaſiii, & Lycei communicatum eſt Scholis omnibus? Olim in Foro, uti diximus, erant ludi litterarii. Hinc P. Victor in libello de regionibus Urbis in octava regione, quæ Forum Romanum complectitur, collocat ludos litterarios. Gothofredus in Commentariis ad Codicem Theodoſianum, & Sirmondus in notis ad Sidonium Apollinarem cenſent, Athenæum fuiſſe in octava Regione ad radices Montis Aventini, ubi Schola Græcorum olim dicta, nunc Eccleſia S. M. in Coſmedin. Sed Scholæ nomen aliquando Collegium denotavit. Alii putant, Athenæum, ſeu Scholam artium liberalium ab Adriano erectam fuiſſe in Capitolio, uti colligitur ex Cod. Juſtin. Lib. 11. Tit. 18. de Stud. liber. Urbis. Atque in eo Capitolii vertice, ubi

Digitized by Google

ubi nunc eſt Eccleſia dicta *Ara cœli*, ac prope extitiſſe Tabularium, & Bibliothecam, probant Pitiſcus, Nardinus, aliique Romanarum antiquitatum periti. Memorat Romanum Athenæum Sidonius Apollinaris Lib. 2. Ep. 9. & Lib. 9. Ep. 14. Eadem fuit cura promovendi rem litterariam ſapientiſſimis Imperatoribus in Provinciis Romani Imperii, præſertim Alexandriæ, & Athenis, ubi olim litteræ quammaxime floruerant. Alexandriæ Ptolomæus Rex Ægypti Muſeum extruxerat, ſeu locum alendis viris doctis ære Principis, atque tradendis liberalibus diſciplinis deſtinatum. Is Ptolomæus non alius ſane fuit, quam Philadelphus, de re litteraria optime meritus, de quo Atheneus ſcribit: *De librorum multitudine, & bibliothecarum conſtructione, & convocatione in Muſeum, quid attinet dicere, cum ea omnes memoria teneant*. Subacta Ægypto, Imperatores Romanos ibi viros doctos aluiſſe, teſtatur Strabo Lib. 17. *Pars Regiæ, & Muſæum, quod deambulationem habet, & exedram, magnamque inſuper domum, in qua cænaculum eſt eorum, qui Muſæi conſortes ſunt, ac litteris humanioribus operam dant. Hoc Collegium publicam habet pecuniam, & ſacerdotem, qui Muſæo præeſt, olim a Regibus, nunc a Cæſare conſtitutam*. Huic veteri Claudius Imperator alterum addidit ipſius nomine Claudium vocatum, uti Svetonius teſtatur; & Atheneus memorat eos, qui in Claudio philoſophantur. Videndus de Muſeo Alex. Gronovius Tom. 8. Antiqu. Romanarum. Pariter Athenis priſtinam in re litteraria gloriam reviviſcere Cæſares curarunt. Nam Adrianum Bibliothecam miri operis, & Gymnaſium, ibi condidiſſe, teſtantur Pauſanias in Atticis, & Aurelius Caſſiodorus in Chronico. Et de Marco Antonino Philoſopho ſcribit Xiphilinus: *Marcus poſtquam Athenas venit, initiatuſque fuit, magnos honores tribuit Athenienſibus; quorum in Urbe Doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos conſtituit ad om-*

omnium gentium utilitatem. Denique cum ab Imperatoribus conſtituti fuerint Profeſſores in Provinciis, conſentaneum erat, ut ibidem etiam Scholæ excitarentur.

V. Attamen bonis artibus juvandis, augendiſque haud ſatis contuliſſent Romanorum Imperatores, niſi etiam magna illarum Profeſſoribus ſalaria decreviſſent. Nam hominum ingenia ita comparata ſunt, ut hoc potiſſimum medio, quo ſibi, ſuiſque rebus cunſulant, excitentur. Quibus, ſi rei familiaris inopia premantur, nec otium eſſet, neque commoditas ſtudiis liberalibus vacandi. Et quidem doctos viros non exiguo beneficio Julius Cæſar affecerat, cum illos civibus Romanis addiderat, teſte Svetonio: *Omnes Medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium Doctores, quo libentius & ipſi Urbem incolerent, & cæteri appeterent civitate donaverat*, Qui idem Antonio Muſæ Medico ob recuperatam ejus ope ſanitatem, narrante Dione, magnam pecuniam contulerat, *& jus aureorum annulorum, erat enim libertus; nec ſolum ei, ſed etiam cæteris omnibus, qui eamdem artem profiterentur, vel eſſent in poſterum profeſſuri*. Namque Medici plerumque ex ſervorum, vel libertorum genere erant. Major tamen fuit Veſpaſiani in Profeſſores bonarum artium munificentia. De eo Svetonius: *Ingenia, & artes vel maxime fovit: primus e Fiſco Latinis, Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit, Præſtantes Poetas, nec non & Artifices coemit, item Coloſſi refectorem inſigni congiario, magnaque mercede donavit; Mechanico quoque grandes columnas exigua impenſa in Capitolium perducturum pollicenti præmium pro commento non mediocre obtulit*. Quod vero hæc Veſpaſiani munificentia ſolos complecteretur Rhetores, eoſdemque in Urbe artem Oratoriam edocentes, Antoninus Pius Rhetoribus addidit Philoſophos, nedum in Urbe, ſed etiam in Provinciis. Ita in ejus vita Spartianus: *Rhetoribus, & Philoſophis per omnes Provincias & ho-*

& honores, & ſalaria detulit. Id antea præſtiterat quoque Adrianus, cujus beneficentia & ad cæteros artium Profeſſores ſe extendit, & ad illos, quibus jam ſatis non eſſet virium ad litteras edocendas: *Sed quamvis*, narrat Spartianus, *eſſet in reprehendendis Muſicis, Tragicis, Comicis, Grammaticis, Rhetoribus, Oratoribus facilis: tamen omnes Profeſſores & honoravit, & divites fecit, licet eos quæſtionibus ſemper agitaverit .... Doctores, qui profeſſioni ſuæ inhabiles videbantur, ditatos, honoratoſque a profeſſione dimiſit*. Eadem veſtigia ſecutus eſt Alexander Severus, de quo ſcriptor ejus vitæ Lampridius: *Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruſpicibus, Mathematicis, Mechanicis, Architectis ſalaria inſtituit, & auditoria decrevit; & diſcipulos cum annonis, pauperum filios modo ingenuos dari juſſit. Etiam in Provinciis Oratoribus Forenſibus multum detulit, pleriſque etiam annonas dedit, quos conſtitiſſet gratis agere*. Itaque Imperatorum beneficio, & inſigni erga bonas artes ſtudio, Profeſſores in Urbe, & Provinciis ſalaria acceperunt. Et Alexandriæ quidem ſolutam fuiſſe a Cæſare pecuniam alendis viris doctis in Muſeo, jam ex Strabone diximus. Athenienſes Profeſſores annua mercede donatos a M. Antonino Philoſopho ſcribit Xiphilinus: *Marcus poſtquam Athenas venit, initiatuſque fuit, magnos honores tribuit Athenienſibus, quorum in Urbe Doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos conſtituit ad omnium gentium utilitatem*. Fuitque Theodotus Sophiſta primus, qui decem mille drachmarum ſtipendium Imperatoris meruit, teſte Philoſtrato in vitis Sophiſtarum. Eodem teſte, Profeſſores Politicæ, & Rhetoricæ ſex mille drachmis fruebantur. Philoſophis quoque cujuſque ſectæ datum ſtipendium teſtatur Lucianus in Eunuco ſcribens, *ſalarium idque non exiguum ab Imperatore fuiſſe conſtitutum ſingulis Philoſophorum generibus, Stoicis, Platonicis, Epicureis, & Peripateticis: ita*

 ut

ut unicuique ſectæ præmium eſſet æquale: *etiam demortuo*, *ex his quopiam*, *alium aliquem in ejus locum ſubrogandum fuiſſe*, *qui ſit Optimatum calculo probatus*; *præmiumque illud non leve fuiſſe*, *ſed ſingulos in annos decies mille nummorum*, *quos acceperint*, *ut doceant juventutem*: *factumque inde eſſe*, *ut cum Peripateticus quidam Profeſſor deceſſiſſet*, *hujus ſectæ Philoſophi ea de ſucceſſione ſingulari certamine conflictarent*, *propoſitis de quæſtionibus Philoſophicis concertationibus*, *& ſpeciminibus*; *ac documentis datis*, *quod eſſent illi factioni addicti*. Hinc colligitur Athenienſes Profeſſores, inſtituto certamine, quod nunc dicitur *Concorſo*, & probatos Optimatum calculo obtinuiſſe munus publice docendi. Sed in aliis Civitatibus Curiales ipſi, quos morum probitate, & artis peritia ſpectatos cognoviſſent, eligebant, & quandoque immunitate promiſſa invitabant Leg. *Nec intra* & Leg. ſeq. Tit. *de Profeſs. & Medicis*. Profeſſores Politicæ memoratos a Philoſtrato cenſet Hermannus Conringius in Qu. Acad. illos fuiſſe Rhetores, qui Scholas habuere in cauſis generis deliberativi. Sed Brucherus putat hanc profeſſionem a Rhetoribus, & Philoſophis prorſus diſtinctam, quia Apollonius, qui eam tenuit, dicitur a Philoſtrato legationibus, publicisque muneribus adhibitus, quod in civilibus rebus clarus haberetur. Aliarum quoque artium erectæ Cathedræ, & ab Imperatoribus deſignabantur, qui illis præficiendi eſſent. Plura de his habet Joannes Meurſius de Fort. Attica. Videntur tamen hæc publica ſtipendia Profeſſoribus Athenienſibus aut ademta, aut imminuta a ſequentibus Imperatoribus. Narrat enim Marinus in vita Procli Cap. 16. *Proclum Platonicæ Philoſophiæ Athenis Profeſſorem hac etiam ratione ſtudia litterarum promoviſſe*, *quod eorum*, *qui litteras tractabant curam ſuſcipiens Principis popoſcerit ſtipendia*, *& ut cuique pro dignitate præmia decernerentur*. Marinus quoque memorat Platonicam quam-

quamdam hæreditatem, quæ Philoſophis eſſet ſalarium; hancque ex privata nonnullorum liberalitate collectam cenſet Conringius. Attamen ſub Juliano qui Scholas Gentilium erexit Athenis ſalaria perſolvebantur Philoſophis, ſiquidem hoc tempore Chryſantium docuiſſe auctoritate publica Athenis teſtatur Eunapius. Plura de Schola Athenienſi, in qua docuere Plutarchus, Syrianus, Proclus, Marinus, Iſidorus, & ultimus omnium Damaſcius, habet Brucherus Hiſt. Philoſ. Period. 2. Part. 1. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 4. Nec ſilentio prætereunda eſt Schola Auguſtodenſis in Gallia, a Conſtantio patre Conſtantini Imperatoris reſtaurata, Eúnomio, qui Rhetoricam edoceret, conceſſis ſexcentis millibus nummorum pro mercede. Qua occaſione habuit ille Orationem ad Præfectum Galliarum de inſtaurandis Scholis, ubi poſt laudatam Imperatorum in promovendis litteris curam, ait: *Salarium me liberaliſſimi Principes ex hujus Reipublicæ juribus in ſexcentis millibus nummum accipere juſſerunt. Hoc ego ſalarium quantum ad honorem pertinet, ad æratum accipio, & in accepti ratione perſcribo: ſed expenſum referre patriæ cupio, & ad reſtitutionem hujus operis, quoad uſus popoſcerit, deſtinare.* Sed redeundum eſt ad Romanos Profeſſores, quibus annua centena Veſpaſianus conſtituit. Hæc ſumma bis mille, & quingentos noſtros aureos efficit. Sunt qui putant, ſalaria in Urbe fuiſſe annua centena, in Provinciis vero ſexagena. Et Tatianus quidem avaritiæ Philoſophos increpans, illorum nonnullos ſexcentorum aureorum mercede donatos indicat: *Tantum*, ait, *a contemptu opum abſunt, ut a Romano Imperatore quidam illorum ad ſexcentos annuos aureos accipiant*. Veriſimilius tamen eſt, hæc ſalaria variaſſe, uti cenſet Lipſius, ſive ex ingenio Principis, ſive ex meritis Profeſſorum. Hinc Eunomio tanta merces perſoluta. Notandum vero eſt, paucos tunc temporis fuiſſe publicos Profeſſores, uti ex legibus Theodoſii, & Juſtinia-

Digitized by Google

ni compertum erit Capite ſequenti. Minores Civitates nonniſi ternos docentes habebant, majores quatuor, hoſque Rhetores, & Grammaticos *L. Si duas* §. 1. *& ſeq. De excuſ. Tut.* L. 1. *De decr. ab Ord. facien.* Cæterum in Civitatibus ſalarium conſtituebatur Profeſſoribus artium liberalium, & Medicis, Decreto Ordinis, uti patet Digeſtorum Lib. 50. Tit. 9. *De Decretis ab Ordine faciendis*, ubi ſtatutum eſt, Medicos non a Præſide Provinciæ, ſed ab Ordine cujuſque Civitatis conſtituendos, *ut certi de probitate morum, & peritia artis eligant ipſi, quibus ſe, liberoſque ſuos in ægritudine corporum committant*; ac Decuriones non poſſe ſine juſſu Principis conſtituere ſalaria, niſi Profeſſoribus bonarum artium, & Medicis: *Sed etſi ſalarium alicui Decuriones decreverint, decretum id nonnumquam ullius erit momenti: ut puta ſi ob liberalem artem fuerit conſtitutum, vel ob medicinam, ob has enim cauſas licet conſtitui ſalaria.*

VI. Salariis Imperatores jura quædam, ſeu privilegia addiderunt, immunitatem nempe a tutela, & cura, & a muneribus civilibus. De qua re Modeſtinus Juriſconſultus Lib. 27. Digeſtorum Titulo 10. *De excuſationibus*, ait ita: *Grammatici, Rhetores, Sophiſtæ, Medici, qui circulatores vocantur, quemadmodum a reliquis muneribus, ita & a tutela, & a cura requiem habent.* Addit, numerum Profeſſorum in unaquaque Civitate, qui vacationem munerum habent, definitum ex epiſtola Antonini Pii Communitati Aſiæ, quam ſic recitat: *Minores quidam Civitates poſſunt quinque Medicos immunes habere, & tres Sophiſtas, & Grammaticos totidem: majores autem Civitates, ſeptem, qui curent, quatuor, qui doceant utramque doctrinam: maximæ autem Civitates decem Medicos, & Rhetores quinque, & Grammaticos totidem. Supra hunc autem numerum ne maxima quidem Civitas immunitatem præſtat. Decet autem, maximo quidem numero uti Metropoles gentium, ſecundo*

au-

autem, *quæ habent vel forum cauſarum*, *vel loca judiciorum*; *tertio autem reliquas*. Additur, hac immunitate illos dumtaxat Profeſſores donandos, qui fuerint decreto Senatus adſciti in ſtatutum Profeſſorum numerum, quique non negligenter ſuo munere functi ſunt. Quoniam vero Antoninus Pius laudata epiſtola Philoſophos haud complexus eſt, ſubdit Modeſtinus: *Et Philoſophos quidem liberari a tutelis Paulus ſcribit ita: Philoſophi, Oratores, Grammatici, qui publice juvenibus proſunt excuſantur a tutelis: nam & Ulpianus libro quarto de Officio Proconſulis ita ſcribit.... De Philoſophis autem eadem Conſtitutio Divi Pii, ita dicit, Philoſophorum autem non eſt conſtitutus numerus, quia rari ſunt, qui philoſophantur. Exiſtimo autem quoniam, qui divitiis ſuperabundant, voluntarie tribuent pecuniam in utilitates patriæ: ſi autem proprie loquantur de ſubſtantia, inde jam manifeſti fient non philoſophantes. Eſt autem Imperatoris Commodi Conſtitutionibus inſcriptum Capitulum ex epiſtola Antonini Pii, in qua manifeſtatur, & Philoſophos habere immunitatem tutelarum: ſunt autem hæc verba: Conſimiliter autem his omnibus Divus pater meus mox ingrediens principatum, Conſtitutione exiſtentes honores, & immunitates firmavit, ſcribens, Philoſophos, Rhetores, Grammaticos, Medicos, immunes eſſe gymnaſiis ſacerdotii ſtantes, & neque ad frumenti, & vini, & olei emptiones, & præpoſitiones, & neque judicare, & legatos eſſe, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum eos cogi*. Ex his patet, ante Adrianum Profeſſores artium liberalium immunitatem habuiſſe a muneribus perſonalibus, & hanc illis ab Adriano confirmatam. Philoſophos vero non fuiſſe immunes a muneribus patrimonialibus, quia verus Philoſophus non videtur, qui de ſuis bonis ſollicitus eſt: bene vero cæteros Profeſſores Conſtitutione Antonini Pii. Additur, a Severo, & Antonino ſtatutum, ut Pro-

ſeſ-

Digitized by Google

ſeſſores fruantur hac immunitate in Patria, ſi ibi doceant: ſecus vero ſi doceant in aliena Patria, exceptis viris doctiſſimis, & Profeſſoribus, qui Romæ docent: *Romæ philoſophantem cum ſalario, vel ſine ſalario, remiſſionem habere, promulgatum eſt a Divo Severo, & Antonino, ita ac ſi in propria patria doceret. Quibus promulgationibus poteſt quis illam rationem adducere, quoniam in Regia Urbe, quæ & habetur, & eſt communis patria, docentes, utique utilem ſeipſum præbens, non minus, quam in propria patria, immunitate fruetur. Legum vero Doctores in aliquo præſidatu docentes, remiſſionem non habebunt, Romæ autem docentes a tutela, & a cura remittuntur*. Sapientiſſime dictum eſt, *Romam haberi, & eſſe communem patriam*. Quam enim univerſi tamquam matrem colunt, decet univerſos tamquam filios complecti, maxime, *qui ſe ipſum utilem præbet*. Quæ autem ſint munera perſonalia, quæ patrimonialia, explicatur Digeſtorum Lib. 50. Tit. 4. *de Muneribus & honoribus*. Ibi alia immunitas memoratur Profeſſoribus conceſſa a Veſpaſiano, & Adriano, præbendi nempe publica hoſpitia: *Magiſtris, qui civilium munerum vacationem habent, item Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philoſophis, ne oſpitem reciperent, a Principibus fuiſſe immunitatem indultam, & Divus Veſpaſianus, & Divus Adrianus reſcripſerunt*. Et eodem Lib. 50. Digeſtorum Tit. 5. *De vacatione, & excuſatione munerum*, Philoſophi declarantur immunes a gerendis tutelis, & ſordidis muneribus corporalibus, *non ea, quæ ſumptibus expediuntur; etenim vere philoſophantes pecuniam contemnunt*. Ibidem Profeſſores Urbis a Paulo declarantur immunes, ac ſi in patria profiterentnr: *Eos qui Romæ profitentur, proinde in patria ſua excuſari muneribus oportere, ac ſi in patria ſua profiterentur*. Hac tamen immunitate civilium munerum minime donantur, qui pueros primas litteras docent. Poetas quoque

que nulla immunitatis prærogativa juvari, declaravit Philippus Imperator Cod. Lib. 10. Tit. 52. *de Profeſſoribus, & Medicis*. Additur, nec Calculatores, qui numerandi artem docent, gaudere immunitate, quam Antoninus Pius Profeſſoribus artium liberalium conceſſit. Porro ſicut in Civitatibus decreto Decurionum Profeſſores eligebantur, ita decreto eorum, illis hæc immunitas aſſerebatur, uti de Medicis declararunt Diocletianus & Maximianus Cod. Lib. 10. Tit. 52 *De Profeſs. & Med.* & uti dicitur Lib. 50. Digeſtorum Tit. 9. *De Decretis ab Ordine faciendis*. Hinc & liberum erat Decurionibus illos Profeſſores dimittere, qui negligenter operam ſuam præſtarent. Ita declaravit Gordianus Imperator Cod. Lib. 10. Tit. 52. *De Profeſs. & Medicis*: *Grammaticos ſeu Oratores Decreto Ordinis probatos, ſi non ſe utiles ſtudentibus præbeant, denuo ab eodem Ordine reprobari poſſe incognitum non eſt*.

VII. Tantis Cæſarum beneficiis crevit, viguit, floruit in Urbe res litteraria. Et quidem ætate Auguſti Roma plures viros doctos aluit. Inter hos Virgilius Poeſis, Philoſophiæ, Medicinæ, & Mathematicæ diſciplinis imbutus; Horatius, Ovidius, Manilius, Lucanus, Perſius, qui carminibus ſuis etiam Philoſophiæ veſtigia expreſſerunt. Et ex Hiſtoricis, Livius, Tacitus, & Strabo Geographus. Tum Anaxilaus Lariſſeus Philoſophus Pythagoricus, quem ab magiæ crimen Urbe, & Italia cedere juſſit Imperator. Q. Sextius novæ cujuſdam ſectæ auctor, cujus extant ſententiæ, quas Rufinus latine vertit, & Xyſto II. Papæ tribuit. Sotion Alexandrinus præceptor Senecæ. Areus præceptor Auguſti. Imperante Adriano, qui viros doctos omnes fovit, ac ſalariis donavit, floruere in Urbe Epictetus, Favorinus, Heliodorus, aliique plurimi. Et Favorinum magni nominis Philoſophum, ac Rhetorem Romæ docuiſſe, magnoſque viros, eorumque filios habuiſſe auditores, narrat Philoſtratus in ejus

ejus vita. Galenus ab Imperatoribus Marco Aurelio, & L. Vero accerſitus Romam venit, diuque ibi manſit, exagitatus tamen a Medicis Urbis, qui ejus gloriæ invidebant. Imperante Philippo, Romam adiit Plotinus inſignis Philoſophus, qui Ammonium præceptorem Alexandriæ audiverat, atque Romæ Scholam inſtituit, ad quam plurimi auditores confluebant, uti narrat in ejus vita Porphyrius. Inter hos Gentilianus Amelius, Paulinus Scythopolites, Euſtochius Alexandrinus, Zethus Medici. Sed & alii magni viri Plotino adhæſerunt, Marcellus, Orontius, Sabinillus, & Rogatianus Senatores Romani; quos in Philoſophiam diligentiſſime incubuiſſe, Porphyrius teſtatur: Rogatianum vero ita Philoſophia occupatum, ut bonorum ſuorum curam neglexerit, & ſervos omnes expulerit, reſpueritque dignitates, nec ullam habuerit Prætor conſtitutus publici muneris rationem, nec lares proprios habitaret, ſed cum amicis quibuſdam cibum, ſomnumque caperet. Audiebant etiam Plotinum mulieres nonnullæ inter quas Gemina in cujus ædibus habitabat; præcipue vero ejus diſcipuli, familiareſque fuere Serapion Alexandrinus, ac Porphyrius. De hac Schola ait Auguſtinus Epiſt. 68. ad Dioſc. *Tunc Plotini Schola Romæ floruit habuitque condiſcipulos multos acutiſſimos, ac ſolertiſſimos viros. Sed aliqui eorum magicarum artium curioſitate depravati ſunt, aliqui Dominum Jeſum Chriſtum ipſius veritatis, atque ſapientiæ incommutabilis, quam conabantur attingere, cognoſcentes geſtare perſonam, in ejus militiam tranſiverunt*. Atque ita annis viginti ſex, magna auctoritate Romæ vixit Plotinus, Galieno Imperatori, & uxori Saloninæ charus, quorum functus benevolentia oravit, ut dirutam qnamdam in Campania Civitatem Philoſophis aptam inſtauraret, permitteretque eam Platonis legibus gubernari, ac Platanopolim dici, quo ipſe cum ſuis eſſet profecturus. In ea Schola res Philoſophicas, Theologicas,

cas, Aſtrologicas, Mathematicas, actas eſſe colligitur ex Porphyrio. Plotini Scholam tum alibi ejus diſcipuli, tum Romæ Porphyrius Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus propagarunt. Quanto autem plauſu docuerit, teſtatur Eunapius in vitis Sophiſtarum. Ei ſucceſſit Jamblicus diſcipulus, & ipſe hoſtis Chriſtianorum. Notat Brucherus Hiſt. Phil. Per. 2. p. 1. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 4. poſt Jamblicli mortem adverſis fatis uſam eſſe Scholam Plotini, quod, Conſtantino ad Chriſtianam religionem converſo, everſa fuerit ſuperſtitio Gentilis, quam tamen reſtituit Julianus apoſtata, qui ex hac Schola habuit præceptores, familiareſque Ædeſium, Maximum, Chryſanthium, & Philoſophiam Alexandrinam gratia, & ſalariis auxit. Quoad Peripateticam Philoſophiam, quam Tyrannio, & Andronicus, editis Romæ Ariſtotelis, & Theophraſti libris, vulgaverant, ea illuſtres habuit ſectatores Soſigenem Julio Cæſari charum, Nicolaum Damaſcenum Auguſto, & Alexandrum Ægeum præceptorem Neronis. His adjungendus Alexander Aphrodiſæus, qui ipſe in libro de fato ſcribit, conſtitutum ſe a Septimio Severo, & Antonino Caracalla Profeſſorem Philoſophiæ Ariſtotelis, & Magiſtrum publicum *præconio teſtimonii eorum*. Athenis tamen non Romæ hunc docuiſſe cenſet Brucherus, quia ipſemet ſcribit ſibi non licuiſſe adire Imperatores. Ex hac quoque ſecta Themiſtius inſignis Philoſophus, poſtquam diu Conſtantinopoli docuiſſet, Romam venit, invitatuſque lautiſſimis conditionibus, ut in Urbe doceret, maluit Conſtantinopolim redire, ubi ducta uxore, & genitis liberis ſedem fixerat, quemadmodum colligitur ex epiſtola Conſtantii ad Senatum, & ex epiſtola prima Libanii ejus diſcipuli ad ipſum data. Plurimum ille valuit gratia apud Conſtantium, Julianum, Jovianum, Valentem, Valentinianum, Gratianum, Theodoſium, a quibus evectus eſt ad ſummos honores. Ex ſecta Cynica Romæ fuere, imperante Nerone, Muſonius, & Demetrius,

de quo narrat Philoſtratus: *Demetrium ſe ipſum cum Nerone commiſiſſe, maxime poſtquam Gymnaſium Nero abſolviſſet, omnium, quæ Romæ eſſent, plurimum admirandum, feſtumque diem ſacrificiis in eoperactis celebravit. Gymnaſium enim ingreſſum Demetrium orationem habuiſſe adverſus eos, qui balneis utebantur, tamquam imbelles, & ſeipſos inquinantes, inaneſque eſſe iſtas impenſas oſtendiſſe. Quibus dictis, quo minus ſtatim capite plecteretur, ei profuiſſe, quod cantus ſuavitate ſe ipſum eo die ſuperaſſet Nero.* Addit, in exilium abiiſſe. Creſcens Philoſophus Cynicus Romæ Chriſtianos, præſertim Juſtinum maxime vexavit. Secta Stoica plurimum in Urbe floruit, præſertim quia Athenodorus Tarſenſis fuit Auguſto præceptor, charuſque, a quo accepit Claudium inſtituendum. Imo regnantibus Antoninis cæterarum ſectarum fortunam ſuperavit. Sub Antonino Pio locum in Cathedra publica, & ſtipendium habuit, uti Lucianus in Eunucho, Capitolinus, & Xiphilinus in hujus Imperatoris vita teſtantur. Et Imperator, qui ſalária ſubtraxerat multis, quos otioſos, nullamque operam conferre reipublicæ putabat, ſtipendio tamen donavit Stoicos. Athenis, Alexandriæ, & Tarſi in Cilicia Stoicam Philoſophiam fuiſſe publice traditam juventuti, certum eſt ex Strabone Lib. 14. An Romæ publice doceri cœpta ſit, ambigit Paganinus Gaudentius Cap. 48. de Philoſ. Rom. Sed Brucherus Hiſt. Phil. Per. 2. p. 1. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 7. affirmat, Stoicos aperuiſſe in ædibus ſuis ludos, annuente Imperatore, quia Capitolinus tradit, M. Antoninum Philoſophum tanto Philoſophiæ amore incenſum, *ut ad domum Apollonii Stoici diſcendi cauſa veniret.* Certe ex hac ſecta ſub Nerone docuerat Romæ Annæus Cornutus Leptitanus, quem in omni eruditionis genere fuiſſe verſatiſſimum, Dio teſtatur, aluitque convictum philoſophantium. Et narrat auctor vitæ Perſii, hunc uſum eſſe apud Cornutum *convictu duorum doctiſſi-*

ctiſſimorum, & ſanctiſſimorum virorum, acriter tunc philoſophantium Claudii Agaternii Medici Lacedæmonii, & Petronii Ariſtocratis Magnetis, quos unice miratus ſit, & æmulatus, cum æquales eſſent, & Cornuto minores. Illius virtutem, ac in docendo diligentiam ſummis laudibus extollit Perſius diſcipuius Satyra 5. qui moriens, ei bibliothecam ſuam, magnamque pecuniam dari juſſit; hanc tamen Cornutus ſororibus, quas hæredes fecerat, reliquit. Suidas nominat Cornutum veluti coævum Livio, & obſcurum Hiſtoricum. At Voſſius, Fabricius, Brucherus notant ab eo diſtinguendum hunc Cornutum iuſignem Philoſophum Stoicum, qui diu poſt Livinm vixit. In exilium abire juſſus eſt a Nerone, quod hunc monuiſſet, ne tot libros ederet inutiles, nulluſque pretii, uti narrat Dio Lib. 62. ſimulque exilio pulſus eſt a Nerone C. Muſonius Rufus, inſignis & ipſe Philoſophus Stoicus, præfectus munitionibus, de cujus memorabilibus dictis, factiſque ſcripſit libellum Pollio Valerius Alexandrinus, ſparſimque apud veteres, præſertim Stobæum, illius eximia dicta leguntur, quorum ſummam exhibet Stollius in Hiſt. Philoſ. moral. Gentil. At annuente Veſpaſiano revocatus, tantam apud ipſum iniit gratiam, ut cum Philoſophi Stoici ab Imperatore pulſi fuerint, ſolus ipſe in Urbe manſerit, teſtibus Xiphilino, & Zonara. Inclaruere etiam tunc temporis Chæremon Ægyptius, L. Annæus Seneca, & Dio Pruſænſis a gratia Coccei Nervæ dictus Coccejanus, & ab eloquentia dictus Chryſoſtomus. Euphrates Alexandrinus Plinii junioris præceptor Imperatoribus Veſpaſiano, & Adriano charus, cum morbo, & ſenecta eſſet attritus, hauſta cicuta ſe occidit, impetrata ab Adriano venia. Hiſce Stoicis adjungendi ſunt Epictetus, quo familiariſſime uſus eſt Adrianus, & Sextus Chæronenſis, qui Romæ publice docuit magna fama, & ad cujus Scholam ipſe M. Aurelius Imperator properabat. Præcipue tamen hujus ſectæ

 orna-

ornamentum ipſe fuit Imperator M. Aurelius Antoninus. Vigente deinde Chriſtiana religione, multo illuſtrior facta eſt hæc ſecta, quod Stoici ſe Chriſtianorum moribus & præceptis conformari curarunt. Videndus Bruckerus in Diſſertatione de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus. Secta Epicuræa, quæ teſte Luciano in Eunucho publice docebatur, ſoluto ſtipendio, Athenis, & alibi, habuit Romæ ſectatores Plinium ſeniorem, & Lucianum hoſtem Chriſtianorum, quos calumniis vexavit, cum regnante M. Aurelio Antonino, Ægyptum adminiſtravit. Porro cenſet Bruckerus, Auguſtum Stoicis, & Peripateticis faviſſe; Tiberium amaſſe Pythagoricos peritos divinandi; Claudium, Cajum, Neronem exiguum Philoſophis omnibus pretium ſtatuiſſe; Veſpaſiano, & Tito regnantibus Pythagoricos, Stoicoſque in Aula floruiſſe; ſub Trajano, & Adriano, Philoſophos omnis generis; & Platonicos in aula Severi, Julia favente. E Græcis Rhetoribus, ſeu Sophiſtis, celeberrimus in Urbe fuit Adrianus Tyrius, quem ex Athenienſi cathedra Romam duxit M. Antoninus Imperator, & ubi tanta cum gloria thronum Sophiſticum eſt moderatus, ut teſte Philoſtrato, ſubito ac declamationem fore denunciaverat, Senatores, Equites, omnes magno ſtudio ad Athenæum convolaverint, illumque audiverint, veluti ſuaviſſimam Philomenam. Idem Philoſtratus teſtis eſt, Philagram celebrem Sophiſtam ex Athenienſi Schola a Marco Imperatore ad ampliſſimæ Urbis ſuggeſtum accerſitum eſſe. Ex eodem Philoſtrato in libro de vitis Sophiſtarum conſtat, ſub Marco Imperatore Evodianum Smyrnæum, Herodem Athenienſem, Hermogenem Tarſenſem Græcos Sophiſtas Romæ profeſſos eſſe. His adjungendi ex eodem Philoſtrato Ælianus Sophiſta Romanus, quem plurimum commendat Philoſtratus, quod Romanus homo eleganter Græce diſſeruerit: & Aſpaſius Ravennas, qui Alexandro Severo fuit ab epiſtolis, & in Urbe præfuit annonæ.

E. La-

E Latinis vero Rhetoribus Quintilianus dicitur in Caſſiodori Chronico ex Hiſpania ſub Domitiano Romam veniſſe, & primus publico ſalario Rhetoricam docuiſſe.

VIII. Tandem adverſa bonarum artium fata ſub Ethnicis Imperatoribus commemoranda ſunt; illudque notandum Cæſares illos, qui virtutibus omnibus, etiam litteris bellum intuliſſe. Primo quidem Tiberium Mathematicos expellere voluiſſe, ſed deprecantibus, ac artem deſituros promittentibus veniam conceſſiſſe, ſcribit Svetonius. At Mathematicorum nomine Chaldæi potiſſimum indicantur, qui vaniſſimis præſagiis homines decipiebant. Cæterum Tiberio liberales artes acceptas fuiſſe Svetonius teſtatur; imo ipſas Mathematicas diſciplinas: *Circa Deos*, inquit, *ac religiones negligentior*, *quippe addictus Mathematicæ*, *perſuaſioniſque plenus cuncta fato agi*. A Caligula neglectas litteras indicat Svetonius, ubi refert contemſiſſe illum Homeri, Virgilii, & Livii libros, ac bibliothecis omnibus voluiſſe eos amovere; ſæpe quoque jactaſſe ſe aboliturum omnem Juriſconſultorum uſum. Neronem voluiſſe Philoſophiæ ſtudia prohibere, quod Philoſophos malis artibus, magiæ, & divinationi deditos exiſtimaret, factumque eſſe ex iſto Imperatoris in Philoſophiam odio, ut magni quidam viri in vincula conjicerentur, alii hac, illac dilaberentur, narrat Philoſtratus in vita Apollonii Tyanei. Sed ex parte ſaltem ſuſpecta eſt doctis viris hæc Philoſtrati narratio. Silent enim hanc Philoſophorum perſecutionem Svetonius, & Dio, etſi accurati fuerint in deſcribenda Neronis inſania. Svetonius hoc unum refert: *Neronem*, *interfecta matre*, *cum furiis exagitaretur*, *&* *materna ſpecie*, *facto per Magos ſacro evocare manes*, *&* *exorare tentaviſſe*. Et Plinius Lib. 3. Cap. 2. tradit: *omnia*, *quæ Magi promittunt*, *Neronem vana falſaque comperiſſe*, *cum nemo umquam ulli arti validius faviſſet*. At ſi deceptus hiſce impoſturis Nero occaſionem arripuiſſet Philoſophos exagitan-

gitandi, id Scriptores illi minime prætериſſent. Imo Philoſtratus ipſe refert Apollonium, & Demetrium Philoſophos Cynicos Romæ tunc fuiſſe. Veroſimilius eſt, illud Philoſophorum genus, quod artes Chaldæas, magiam nempe, & vaticinandi peritiam jactabat, Neronem deceptum, Urbe excedere juſſiſſe. Quibus, cum Pythagorici, & Platonici, qui ex Ægypto per omnes Romani imperii provincias ſe diffuderunt, ipſi ſe ſe aggregarent, fieri potuit, ut tamquam Chaldæarum artium ſtudioſi Urbe rejicerentur. Cæterum hanc narrationem a Philoſtrato confictam ad Apollonii virtutem extollendam probat Gaudentius in libro de Philoſophia Romanorum. Certe tamen a Vitellio Mathematici, & Urbe pulſi, & graviter exagitati, quos intra Kalendas Octobris, Urbe, Italiaque juſſit abire. De eo Svetonius: *Nullis tamen infenſior, quam vernaculis, & Mathematicis; ut quiſque deferretur inauditum capite puniebat, exacerbatus, quod poſt edictum ſuum, quo jubebat, intra Kalendas Octobris Urbe, Italiaque, Mathematici excederent, ſtatim libellus eſt propoſitus, & Chaldæos dicere, Bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eumdem Kalendarum diem uſquam eſſet.* Veſpaſianum, qui Vitellio ſucceſſit, ingenia, & artes, Profeſſoreſque eximie foviſſe, dictum alibi fuit. Atqui tamen Stoicos Philoſophos ejecit Urbe, uno excepto C. Muſonio Rufo, qui ipſi erat addictiſſimus. Narrat enim Xiphilinus in illius vita, Stoicos Philoſophos prætextu Philoſophiæ multa ignominioſa in Principem diſſeruiſſe; & hinc *Mucianus Veſpaſiano perſuaſit, ut omnes, qui eſſent ejus ſectæ, ex Urbe expelleret, dixitque in eos multa, ira magis incitatus, quam ſtudio doctrinæ. Itaque Veſpaſianus ſtatim Philoſophos Roma expulit præter Muſonium; Demetrium vero, & Hoſtilium in inſulas relegavit.* Narrat Svetonius, ut a Domitiano neglectæ fuerint litteræ: *Liberalia ſtudia*, inquit, *in initio imperii neglexit, quamquam bibliothecas incendio abſumptas*

Digitized by Google

ptas impenſiſſime reparare curaſſet, exemplaribus undique petitis, miſſiſque Alexandriam, qui deſcriberent, emendarentque. Numquam tamen aut Hiſtoriæ, Carminibuſve cognoſcendis operam ullam aut ſtylo vel neceſſario dedit. Præter Commentarios, & acta Tiberii Cæſaris nihil lectitabat; epiſtolas, orationeſque, & edicta alieno formabat ingenio. Mirum proinde non eſt, ſi eodem Svetonio teſte, *Philoſophos Urbe Italiaque ſubmovit*. At illatam bonis artibus contumeliam vindicarunt Adrianus, Antoninus Pius, & M. Antoninus Philoſophus in omnes Philoſophos propenſiſſimi. A quorum tamen veſtigiis longe receſſit Antoninus Caracalla, de quo Xiphilinus: *Antoninus nihil cogitabat boni, neque enim didicerat; id quod ipſe fatebatur, & ob eam cauſam, nos, quos noverat ſtudioſos eſſe, negligebat. Severus quidem inſtituerat eum omnibus rebus, quæ ad virtutem pertinent, & corpus animumque ejus ita exercuerat; ut cum jam eſſet Imperator, verſaretur cum Doctoribus, & magnam diei partem philoſopharetur, ungereturque, & equitaret ad millia paſſuum* XCIIII. *ſeque turbida tempeſtate in natando exerceret. Quibus ex rebus quamquam valuit viribus corporis, tamen ipſum doctrinæ cepit oblivio, non aliter quam ſi nomen ejus numquam audiviſſet.* Cui ſimillimus filius Antoninus Heliogabalus Princeps foediſſimus, quam averſo fuerit animo a ſtudiis liberalibus indicat Herodianus Lib. 5. Hiſtoriæ: *Poſtea igitur quam Alexander Cæſar eſt appellatus, volebat eum ſtatim Antoninus ſuis illis inſtitutis imbuere, ut ſcilicet choros agitans, ſaltanſque, & ſacerdotii particeps, veſtitu eodem, atque artibus uteretur: quem tamen mater Mammæa ab omni illa fœditate vindicabat, ſummotis clam Doctoribus omnium diſciplinarum, modeſtiamque edocens, ac palæſtra virilibuſque gymnaſiis inſuefaciens: Græciſque eum pariter, & Latinis literis inſtituens. Quibus rebus magnopere Antoninus indignabatur, jamque*

que

Digitized by Google

que adoptionis, imperiique participati pœnitebat. Quapropter omnes illius Doctores Aula exegit, quoſdamque illuſtriores partim morte, partim exilio affecit; ridiculas afferens cauſas, quod filium ipſius corrumperent, neque agitare eum choros, atque ebacchari ſinerent, ſed ad modeſtiam componerent, & virilia officia edocerent. His adjungendus Licinius, quem ajunt dicere ſolitum, peſtem, ac venenum eſſe Reipublicæ litteras. Inſanum caput! Porro de Licinio ita ſcribit Pomponius Lætus in Compendio Hiſtoriæ Romanæ: *Litterarum acerrimus hoſtis afferens venenum, ac peſtem reipublicæ eſſe Philoſophos, & Oratores, quos odio præcipue habuit, & inſectabatur. Litterarum enim adeo expers, ut nomen decretis vix ſubſcribere poſſet.* Atque his imperantibus, tum Rempublicam, tum Romanum Gymnaſium male ſe habuiſſe compertum eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

DE GYMNASIO ROMANO SUB IMPERATORIBUS CHRISTIANIS

Leges Valentiniani. II. Et Theodoſii de Studiis liberalibus Urbis Romæ. III. De Studio Juriſprudentiæ in Romano Gymnaſio. IV. Quæ privilegia conceſſerint Profeſſoribus Imperatores Chriſtiani. V. Quæque ſtipendia. VI. Quam floruerit his temporibus Romanum Gymnaſium. VII. Julianus Imperator Chriſtianos a Scholis prohibuit. VIII. De Gymnaſio Romano, imperantibus Gothis.

I. Qualis fuerit ſtatus Gymnaſii Romani ſub Imperatoribus Chriſtianis, diſertiſſime patet ex pluribus illorum legibus in utroque Codice relatis. Et primo quidem ex celebri Conſtitutione Valentiniani I. quæ extat Lib. XIV. Tit. IX. Codicis Theodoſiani, data ſub anno tertio ejus Conſulatus, qui incidit in annum Chriſti CCCLXX. & directa Olybrio Urbis Præfecto. Etſi enim ea præſeferat nomina Imperatorum Valentiniani, Valentis, & Gratiani, quod mos eſſet nomina omnium Principum, qui ſimul imperium adminiſtrabant, legibus inſcribere, tamen ſoli Valentiniano, cui hæc pars ſuberat Occidentalis imperii, eſt tribuenda. Plures hac Conſtitutione leges Imperator ſapientiſſimus ſtatuit ad optimam in Urbe Studiorum ordinationem, quæ totæ eo collimant, ut qui litteris addiſcendis ſe tradunt, ſeriam, diligentemque huic rei operam præſtent. Itaque primo juſſit, dandas eſſe litteras a Judicibus Provincialibus, ut conditionem teſtarentur illorum, qui Urbem adirent ſtu-

Digitized by Google

ſtudiorum cauſa. Id vero, ne profugi, ne ſceleſti homines, ne ii etiam, quibus eſſet in patria manendum, prætextu ſtudiorum ſe ſubducerent patria, & ad Urbem confugerent. Hinc etiam Eccleſiaſticis legibus cautum fuit, ut nullus peregrinus ad communionem admitteretur, qui non afferret teſtimoniales litteras Epiſcopi ſui. Has Judicum Provincialium litteras exhibendas ſtatuit Magiſtro Cenſuum; & huic, cæteriſque Cenſualibus curam injunxit recenſendi in tabulas nomina, patriam, merita illorum, qui Romam venerant ſtudiorum cauſa; atque explorandi, quibus ſtudiis vellent incumbere, quo in loco degerent, quam vitæ rationem ſectarentur. Nam Cenſualium munus in Urbe fuit referre in tabulas cives omnes, eorumque bona, tum ad tributa perſolvenda, tum ad vim imperii dignoſcendam. Igitur hac Valentiniani lege, Cenſuales debuerunt deſcribere eos omnes, qui in Urbe Litteris addiſcendis vacabant, & eorum vitam inſpicere, ac curare, ne ſpectacula frequenter adirent, ne luxuoſis conviviis totos ſe darent, ne turpes conventus inirent, data eis facultate verberibus afficiendi, vel Urbe ejiciendi, quos turpem, otioſamque vitam agere deprehendiſſent. Quemadmodum vero otioſos, ac inhoneſtos adoleſcentes voluit Imperator verberibus, aut exilio puniendos; ita diligentes, optimoſque voluit præmiis afficiendos. Quapropter juſsit, ut Cenſuales ſingulis annis conſcium facerent Imperatorem illorum omnium, qui de litteris optime meruiſſent, & quorum opera uti poſſet in adminiſtratione imperii. Verba Conſtitutionis hæc ſunt: *Quicumque ad Urbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad Magiſtrum Cenſus Provincialium Judicum, a quibus copia eſt danda veniundi, ejuſmodi litteras proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expreſſa teneantur. Deinde, ut in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam navare proponant. Tertio, ut hoſpitia eu-*

eorum ſollicite Cenſualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam, quam ſe adſeruerint expetiſſe. Idem immineant Cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent, qui turpem, inhoneſtamque famam, & conſociationes (quas proximas putamus eſſe criminibus) æſtiment fugiendas, neve ſpectacula frequentius adeant, aut adpetant vulgo intempeſtiva convivia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, ut ſi quis de his non ita in Urbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus adfectus, ſtatimque navigio ſuperpoſitus abjiciatur Urbe, demumque redeat. His ſane, qui ſedulam operam profeſſionibus navant, uſque ad viceſimum ætatis ſuæ annum Romæ liceat commorari. Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeari, ſollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur. Verum ne hæc perfunctorie fortaſſe curentur, præcelſa ſinceritas tua officium Cenſuale commoneat, ut per ſingulos menſes, qui, vel unde veniant, quive ſint, pro ratione temporis ad Africam, vel ad cæteras Provincias remittendi brevibus comprehendat. His dumtaxat exceptis, qui Corporatorum ſunt oneribus adjuncti. Similes autem breves etiam ad ſcrinia manſuetudinis noſtræ annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibuſque compertis utrum quandoque nobis ſunt neceſſarii judicemus. Dat. iiij. Id. Mart. Triv. Valentiniano & Valente iij. A. A. Coſs.

Plura de hac ſapientiſſima lege diſſerunt Gothofredus in Commentariis ad Codicem Theodoſianum, & Hermannus Conringius in Diſſertatione ad hanc rem, quæ extat Tomo tertio Antiquitatum Romanarum, auctore Sallengre. Illud perſpectum eſt, voluiſſe Imperatorem, ut omnem, diligentemque operam Litteris addiſcendis navarent, qui hanc ob cauſam venirent ad Urbem. Hinc illius cura, ne ſe voluptatibus darent, neve inutiles, otioſique, magno cum Reipublicæ damno, in Urbe commorarent-

Digitized by Google

rentur . Quoniam vero periculum erat, ut adoleſcentes, abſolutis ſtudiis, quorum cauſa Romam venerant, diuturniorem ibi moram traherent, qua ſe ſubducerent oneribus in patria ſua ſubeundis, hinc voluit Imperator, ut illorum nulli ſas eſſet, poſt expletum vigeſimum ætatis ſuæ annum, diutius in Urbe morari, & a patriis laribus abeſſe. Ab hac vero recedendi neceſſitate illos excepit, qui adſcripti fuiſſent quibuſdam Societatibus Artificum, quas *Corporatorum* vocabant. Pluribus autem modis poterat quis hiſce Societatibus addici, tum etiam, ſi Corporatorum filiam ſibi matrimonio copulaſſet. Nam ex Lege Codicis Theodoſiani ſi quis ducebat filiam piſtoris manebat piſtrino obnoxius, *& familiæ piſtoris adnexus oneribus etiam parere cogatur*. Jam vero ex hac Conſtitutione colligitur Imperatores in magna totius Imperii negotiorum mole, rectam ſtudiorum Urbis ordinationem, reique litterariæ incrementum minime neglexiſſe.

II. At Valentinianus iis conſuluit, qui in Romano Gymnaſio addiſcendis Litteris incumbebant. Theodoſius vero Junior anno CDXXV. ipſis bonarum artium Profeſſoribus providit. Extat hujus Imperatoris Conſtitutio in Codice Theodoſiano, quam tamen non ad Romanum, ſed ad Conſtantinopolitanum Gymnaſium ſpectare cenſet doctiſſimus Gothofredus, quod ex argumenti æqualitate, videatur conjungenda, cum lege ultima, *De operibus publicis*, & lege unica, *De Profeſſoribus*, *qui in Urbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitivam*: quæ certe leges ſpectant ad Gymnaſium Conſtantinopolitanum. Verum hæc ipſa Theodoſii Conſtitutio a Triboniano relata eſt in Codice Juſtiniani Lib. XI. ſub titulo, *De ſtudiis liberalibus Urbis Romæ*, *& Conſtantinopolis*, quo patet, eam ad utrumque Gymnaſium referendam eſſe. Nam curarunt Imperatores Scholam Urbis Conſtantinopolitanæ, ubi ſedem Orientalis imperii ſtatuerant, ad normam formamque Romanæ Scholæ compo-

ponere. Nec umquam Tribonianus hanc Legem Romano Gymnaſio accomodaſſet, ſi ea ſolam Academiam Conſtantinopolitanam complexa eſſet. Adhæc leges fere omnes Imperatorum de Profeſſoribus, deque ſtudiis, ſtudia, Profeſſoreſque Urbis Romæ minime omittunt. Veriſimile autem non eſt, Theodoſium neglecta Urbis Schola, ſolius Conſtantinopolitanæ Scholæ curam habuiſſe. Sed etiamſi Theodoſius hanc Conſtitutionem tulerit pro una Conſtantinopolitana Schola, certum tamen eſt, Juſtinianum eamdem pro Romano quoque Gymnaſio renovaſſe. Ita vero ait: *Univerſos, qui uſurpantes ſibi nomina Magiſtrorum in publicis Magiſtrationibus, Celluliſque collectos undecumque diſcipulos circumferre conſueverunt, ab oſtentatione vulgari præcipimus amoveri, ita ut ſi quis eorum poſt emiſſos divinæ ſanctionis affatus, quæ prohibemus, atque damnamus, iterum forte tentaverit, non ſolum ejus, quam meretur, infamiæ notam ſubeat, verum etiam pellendum ſe ex ipſa, ubi verſatur illicite, certe cognoſcat. Illos vero, qui intra plurimorum domos eadem exercere privatim ſtudia conſueverunt, ſi ipſis tantummodo diſcipulis vacare maluerint, quos intra parietes domeſticos docent nulla hujuſmodi interminatione prohibemus. Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii Auditorium conſtituti: hi omnibus modis privatarum ædium ſtudia ſibi interdicta eſſe cognoſcant; ſcituri, quod ſi adverſus cæleſtia ſtatuta fata facientes deprehenſi fuerint, nil penitus ex illis privilegiis conſequantur, quæ his, qui in Capitolio docere tantummodo præcepti ſunt, merito deferuntur. Habeat igitur Auditorium ſpecialiter noſtrum, in his primum, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat Oratores tres numero, decem vero Grammaticos, in his etiam, qui facundia Græcitatis pollere noſcuntur, quinque numero ſint Sophiſtæ, & Grammatici æque decem. Et quoniam non in his artibus* tan-

tantum adoleſcentiam glorioſam optamus inſtitui, profundioris quoque ſcientiæ, atque doctrinæ Magiſtris ſociamus auctores. Unum igitur adjungi cæteris volumus, qui Philoſophiæ arcana rimetur; duos quoque, qui Juris, ac legum voluntates pandant: ita ut unicuique loca ſpecialiter deputata adſignari faciat tua ſublimitas, ne diſcipuli ſibi invicem poſſint obſtrepere, vel Magiſtri, neve linguarum confuſio permixta, vel vocum, aures quorumdam aut mentes a ſtudio litterarum avertat. Data eſt Theophylo Urbis Præfecto, atque inſcripta nomine Theodoſii, & Valentiniani junioris Imperatorum. Primum itaque cautum eſt hac lege, ne quis temere ſibi uſurparet munus publice docendi. Nam quemadmodum plurimum intereſt Reipublicæ, ut cives recte ſapienterque liberalibus Diſciplinis imbuantur; ita plurimum intereſt Reipublicæ, ut ab optimis, probatiſque Magiſtris doceantur. Quapropter plurimis Imperatorum legibus Profeſſores in ſingulis civitatibus, Decurionum ſuffragiis fuerunt conſtituendi. In Urbe vero ab ipſis Imperatoribus Profeſſores eligebantur. In hanc rem Julianus Imperator legem edidit Cod. Lib. x. Tit. LII. *de Profeſſoribus, & Medicis*, quæ ſic habet: *Magiſtros ſtudiorum, Doctoreſque excellere oportet moribus primum, deinde facundia. Sed quia ſingulis Civitatibus adeſſe ipſe non poſſum, jubeo, quisquis docere vult, non repente, nec temere proſiliat ad hoc munus, ſed judicio Ordinis probatus, decretum Curialium mereatur, optimorum conſpirante conſenſu*. Vetuit igitur Imperator, nulla Principis auctoritate, aliquos in Urbe publice docere, magnumque Auditorum numerum, qui mos fuit Sophiſtarum, ſibi modis omnibus procurare. Privatam tamen diſciplinam permiſit, quod ea non multitudinem, ſed paucos complectatur, neque præſeferat publicam auctoritatem. At publicos Profeſſores a tradendis privatim diſciplinis prohibuit, tum ne aliis curis occupati ſuo deeſſent muneri,

ri, tum ne ſuo, & privatorum commodo deſervire viderentur, qui toti ſervire debent Reipublicæ. Præterea numerum Profeſſorum Romani, ac Conſtantinopolitani Gymnaſii Imperator præſcripſit, qui in Capitolio docerent diſtinctis in cellulis, ne ſtudia perturbarentur. Latinam Grammaticam decem Profeſſores, totidem alii Græcam docuere. Et ſolemne fuit Romanis peritia utriuſque linguæ inſtitui, ut qui Græce neſciret, indoctus haberetur. Romana Eloquentia, ſeu Ars Oratoria a tribus Oratoribus tradebatur. Hujus Romani ſtudioſiſſimi fuere, maxime ii, qui ſe Foro, ac Juriſprudentiæ dabant. Græcam Facundiam quinque Sophiſtæ tractabant. Sophiſtæ dicti ſunt Rhetores Græci, quorum ars in eo potiſſimum verſabatur, ut cauſa inferior dicendo evadere poſſet ſuperior, & ut in utramque partem de quavis re propoſita diſputarent. Horum ſumma fuit apud Veteres exiſtimatio, ut ſalariis, honoribus, coronis, ſtatuiſque donati fuerint, in Legationibus, & Magiſtratibus adhibiti, victu publico ſuſtentati, & omni honoris genere adfecti. Illorum vitas ſcripſere Philoſtratus, & Eunapius. Neque tunc primum in Urbe thronum docendi accepere, cum jam antea ab Adriano, & Antonino Imperatoribus ſtipendia, auditoria, & privilegia obtinuiſſent. Unum Philoſophia habebat Profeſſorem; quo patet Sophiſtas hac lege a Philoſophis diſtingui, etſi non raro Philoſophi dicti fuerint Sophiſtæ. Nec etiam, tunc primum Philoſophia in publica Urbis pulpita aſcendit; cum ex dictis Capite antecedenti conſtet, ſub Cæſaribus plures Philoſophos ſtipendio Principis in Urbe docuiſſe. Major fuit in Auditorio Romano numerus Sophiſtarum, quam Philoſophorum, quia Veteres Eloquentiam majori in pretio habuerunt. Videndi Nicolaus Kriegk in Diſſertatione de Eloquentia Sophiſtarum, & Ludovicus Creſollius in Theatro veterum Rhetorum, ubi magna eruditione tradit omnem Sophiſtarum diſciplinam, mores, vitam, dicendi, do-

Digitized by Google

docendique rationem. Mathematicis nullam hæc Conſtitutio ſtatuit in Capitolio ſedem, etſi olim Alexander Severus ipſis ſalaria, & auditoria decreviſſet. Sed hiſce temporibus potiſſimum apud Alexandrinos, & Græcos Mathematicæ Diſciplinæ vigebant.

III. Juriſprudentia nunc primum in Urbe publico ſtipendio, & auditorio donata eſt. Nam veteres Imperatores preſertim Adrianus, & Alexander Severus, etſi cæteris liberalium artium Profeſſoribus ſtipendia, & auditoria contuliſſent, omiſerant tamen Juriſconſultos. Ita vero in publicis Cathedris locum nacta eſt, ut tamen non in omnibus Imperii Civitatibus, in quibus eſſent cæterarum artium Scholæ publicæ, ſed in Regiis Urbibus dumtaxat Roma, & Conſtantinopoli, quibus Thedoſius, & Valentinianus Berytum metropolim Phœniciæ addiderunt, fas eſſet Juriſprudentiam edoceri. Quæ earum Urbium prærogativa jam ante Juſtiniani tempora obtinuit. Eam namque Juſtinianus confirmans in Conſtitutione de ratione, & methodo Juris docendi ad Anteceſſores, teſtatur, *jam a retro Prin ipibus conſtitutum*, ut Jura nonniſi in Scholis Romana, Conſtantinopolitana, & Berytenſi interpretarentur. Non is igitur primus hanc prærogativam Regiis illis Urbibus aſſeruit, ſed a prædeceſſoribus Principibus aſſertam confirmavit citata Conſtitutione, quam promulgavit anno DXXXIII. edito novo Codice Juris ex libris Inſtitutionum, libris Digeſtorum, librisque Conſtitutionum Imperialium conflato, ubi ait: *Hæc autem tria volumina a nobis compoſita tradi eis tam in Regiis Urbibus, quam in Berytenſium pulcherrima Civitate, quam & legum nutricem bene quis appellat, tantum modo volumus, quod jam & a retro Principibus conſtitutum eſt, & non in aliis locis, quæ a majoribus tale non meruerint privilegium, quia audivimus etiam in Alexandrina Civitate, & in Cæſarienſium, & in aliis quoſdam imperitos devagare, & doctrinam diſciplnis adul-*

adulterinam tradere, quos ſub hac interminatione ab hoc conamine repellimus, & ſi auſi fuerint in poſterum in hoc perpetrare, & extra Urbes Regias, & Berytenſium metropolim hoc facere, denarum librarum auri pœna plectantur, & reiiciantur ab ea Civitate, in qua non leges docent, ſed in leges committunt. Jus itaque fuit Romani Gymnaſii, quemadmodum & Conſtantinopolitani, ac Berytenſis, a Theodoſio, aliiſque Imperatoribus conceſſum, & a Juſtiniano confirmatum, ut ibi ſolum Leges explicarentur. Indubium autem eſt, ex his tribus nobiliſſimis ampliſſimarum Urbium Gymnaſiis, Romanum in hac re cæteris longe præſtitiſſe, quod Jura Romæ nata eſſent, a Romanis Magiſtratibus, & a Romanis Juriſconſultis data, uti dicitur Leg. *Omnes dies· C. de Feriis*, unde Romam nuncuparunt legum matrem, ac domicilium. Hinc deficientibus legibus, conſuetudo Romanæ Urbis vim legis obtinebat. Ita declaravit Juſtinianus in Conſtitutione de conceptione Digeſtorum ad Tribonianum, his verbis: *Sed ſiquæ leges in veteribus libris poſitæ, jam in deſuetudinem abierunt, nullo modo vobis eaſdem ponere permittimus: cum hoc tantummodo obtinere volumus, quæ vel judiciorum frequentiſſimus ordo exercuit, vel longa conſuetudo hujus Almæ Urbis comprobavit, ſecundum Salvii Juliani ſcripturam, quæ indicat, debere omnes Civitates conſuetudinem Romæ ſequi, quæ caput eſt Orbis terrarum, non ipſam alias Civitates. Romam autem intelligendum eſt non ſolum veterem, ſed etiam regiam noſtram, quæ Deo propitio cum melioribus condita eſt auguriis.* Patet igitur e Salvii Juliani ſententia, conſuetudines Romanæ Urbis loco legis fuiſſe. Quod & probavit Juſtinianus, etſi hanc Urbis dignitatem communem quoque fecerit Civitati Conſtantinopolitanæ, ubi Imperatores ſedem ſuam collocaverant. Verum Romanarum conſuetudinum major longe eſſe debuit auctoritas, quod Romæ primum Jura nata eſſent, &

 inſi-

inſigniter crevissent. Itaque ſicuti nobiliſſimis Juriſprudentiæ ſtudiis tria hæc Gymnaſia Romanum, Conſtantinopolitanum, Berytenſe, cæteris omnibus Imperii Scholis præſtabant, ita eadem Juriſprudentiæ gloria, Romanum Gymnaſium, tum omnes Imperii Academias, tum etiam Conſtantinopolitanam & Berytenſem Scholas longe ſuperabat. Fatendum tamen, Jus Romanum diutius in Schola Conſtantinopolitana, quam in Romana manſiſſe. Nam in Oriente Jus Civile Juſtiniani translatum in Græcam linguam viguit uſque ad annum DCCCLXVI. quo Baſilius Macedo novos libros Juris edidit nomine Baſilicorum, quorum auctoritas manſit ad finem uſque Græci imperii. At in Occidente, occupata a Longobardis Italia, Juſtiniani Jus exulavit, una excepta Ravenna, a qua etiam receſſit, poſtquam octavo ſæculo ab Imperio Romano per Aiſtulphum Longobardorum Regem fuit avulſa. Hinc in Italia Romanis legibus Viſigothicæ, Longobardicæ, Francicæ, Burgundiones ſucceſſere, & ita periit Jus Romanum, ut deletis Longobardis, fruſtra, etſi magno ſtudio a Carolo Magno quæreretur, ac uſque ad Lotharii tempora, ſæculum ſcilicet duodecimum, delituerit.

IV. Ex adductis Principum Conſtitutionibus novimus, quot fuerit in Romano Gymnaſio Profeſſores, quæ Diſciplinæ illic traderentur, quibus legibus adoleſcentes Litteris incumbentes adſtringerentur. Progredimur ad privilegia, quæ Profeſſoribus bonarum artium Chriſtiani Imperatores conceſſere. Primus occurrit Conſtantinus, quem Victor teſtatur, *nutriſſe artes bonas, præcipue ſtudia Litterarum*, quemque laudat Porphyrius ep. VI. ob ſummam Litterarum curam in magna imperii mole. Hujus extat Lex prima in Codice Theodoſiano Lib. XIII. Tit. III. *De Profeſſoribus, & Medicis*, qua eis confirmat immunitatem a ſubeundis muneribus perſonalibus, ita tamen, ut a conſequendis Reipublicæ honoribus minime excluderentur: *Fungi eos honoribus volentes permittimus*,

mus, *invitos non cogimus*, & eórum perſonas vindicát ab injuriis, ſanctáſque declarat. Quæ lex in Codice Juſtinianeo Lib. x. Tit. LII. ita legitur inſcripta Voluſiano: *Medicos, & maxime Archiatros, Grammaticos, & Profeſſores alios litterarum, & Doctores legum una cum uxoribus, & filiis, necnon & rebus, quas in Civitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civilibus, vel publicis immunes eſſe præcipimus: & neque in Provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, vel exhiberi, vel injuriam pati: ut ſi quis eos vexaverit, pœna arbitrio judicis plectatur, mercedes etiam eorum, & ſalaria reddi jubemus, quo facilius liberalibus ſtudiis, & memoratis artibus multos inſtituant.* Quæ verba indicant, hoc privilegium non omnes viros doctos complecti, ſed eos tantum, qui alios inſtituebant. Certum eſt Profeſſoribus etiam Romani Gymnaſii hanc immunitatem collatam eſſe. Nihilo tamen minus Valentinianus, & Valens Conſtitutione data Principio Præfecto Urbis, quæ extat Lib. XIII. Tit. III. Codicis Theodoſiani, illos expreſſe hac eadem immunitate donarunt: *Medicis, & Magiſtris Urbis Romæ ſciant omnes immunitatem eſſe conceſſam; ita ut etiam uxores eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & a cæteris oneribus publicis vacent: eoſdem ad militiam minime comprehendi placeat: Sed nec hoſpites militares recipiant.* Profeſſores itaque a ſubeundis publicis muneribus, ab excipiendis hoſpitibus, & a dandis militibus, liberi, exemptique fuere. Honorius, & Theodoſius vetera privilegia iiſdem confirmarunt, ac addiderunt, ut immunes eſſent ab omni præſtanda collatione. Legitur illorum Conſtitutio loco citato Codicis Theodoſiani: *Grammaticos, Oratores, atque Philoſophiæ præceptores, nec non etiam Medicos, præter hæc, quæ retrolatarum Sanctionum auctoritate conſecuti ſunt privilegia, immunitateſque, frui hac prærogativa præ-*

cipimus, ut univerſi, qui in Sacro Palatio inter Archiatros militarunt, cum Comitivam primi Ordinis vel ſecundi adepti fuerint, aut majoris gradum dignitatis aſcenderint, nulla municipali, nulla Curialium conlatione, nulla Senatoria vel glebali deſcriptione vexentur; ſeu indepta adminiſtratione, ſeu accepta teſtimoniali meruerint miſſionem, ſint ab omni functione omnibuſque muneribus publicis immunes, nec eorum domus ubicumque poſitæ militem ſeu judicem ſuſcipiant hoſpitandum. Quæ omnia filiis etiam eorum, & conjugibus illibata præcipimus cuſtodiri, ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inviti. Hæc autem & Profeſſoribus memoratis, eorumque liberis deferenda mandamus. Hæc Conſtitutio in Codice Juſtinianeo nonnullis detractis legitur, quæ, ut obſervat Cujacius, ipſum Conſtitutionis ſenſum corrumpunt. Quoniam vero aliqui, ut his immunitatibus fruerentur, ſumpto Philoſophi habitu, ſe ſe hujus Diſciplinæ Profeſſores jactabant, declararunt Valentinianus, & Valens, ſolos publicos Philoſophiæ Profeſſores ad id munus a Magiſtratu delectos immunitate uti poſſe, cæteros Philoſophos gerendis Patriæ muneribus ſubeſſe: *Turpe enim eſt, ut patriæ functiones ferre non poſſit, qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitetur.* His patet, ampliorem immunitatem ab Imperatoribus Chriſtianis Profeſſores bonarum artium conſecutos eſſe. Adhæc Profeſſores Romani, & Conſtantipolitani Gymnaſii, poſtquam annis viginti in tradendis liberalibus Diſciplinis meruiſſent, Lege Theodoſii, & Valentiniani rude donati, honorabantur Comitiva primi Ordinis, & Vicariis adæquabantur. Comitiva erat honoris titulus a Conſtantino Imperatore inventus, uti conſtat ex Euſebio Lib. IV. de vita Conſtantini; cujus Ordinis plures fuere, alii dicti Comites Conſiſtoriani, alii Palatii, alii rei militaris, ut patet ex Libro XII. Codicis, Titulo X. & ſequentibus. Qui vero poſt adminiſtrationem Provinciæ evaſerant

rant Comites primi Ordinis, adæquabantur Vicariis. Hujus quoque honoris participes fuere Profeſſores Regiarum Urbium, qui annis viginti munus docendi geſſiſſent. Extat hæc Conſtitutio inſcripta Theophilo Præfecto Urbis, Lib. VI. Tit. XXI. Codicis Theodoſiani, & refertur in Codice Juſtinianeo Lib. XII. Tit. XV. his verbis: *Grammaticos tam Græcos, quam Latinos, Sophiſtas, & Juriſperitos in hac Regia Urbe profeſſionem ſuam exercentes, & inter ſtatutos connumeratos, ſi laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe monſtraverint, ſi docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpretandique ſubtilitatem, & copiam diſſerendi ſe habere patefecerint, & cætu ampliſſimo judicante digni fuerint æſtimati, cum ad viginti annos obſervatione jugi, ac ſedulo docendi labore pervenerint, placuit honorari, & his, qui ſunt ex vicaria dignitate connumerari*. In Codice Theodoſiano hæc addita ſunt verba: *& cætu ampliſſimo judicante digni fuerint æſtimati, qui in memorato Auditorio Profeſſorum funguntur officio*. Ex his verbis colligit doctiſſimus Cujacius, hanc legem conjungendam eſſe cum alia Theodoſii lege de ſtudiis liberalibus Urbis Romæ, & Conſtantinopolis, quæ numerum ſtatuit Profeſſorum in Capitolii Auditorio; atque adeo hanc Comitis dignitatem conferri etiam Profeſſoribus Gymnaſii Romani: licet Lex iſta Theodoſii, & Valentiniani in utroque Codice inſcripta ſit *de Profeſſoribus, qui in Urbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitivam*. Certe hæc Conſtitutio illos eoſdem Profeſſores complectitur, *quos in Auditorio Capitolii* docere juſſerat Theodoſius. At hujus Conſtitutio ſtudium nedum Conſtantinopolitanum, ſed etiam Romanum complectitur. Et Regiæ Urbis dignitas utrique Civitati conveniebat. Cæterum ante hæc tempora Profeſſores Romani poſt annos viginti rude donabantur. Ita Quintilianus de ſeipſo ait: *Poſt impetratam ſtudiis meis quietem, quæ per viginti annos erudiendis*

diendis juvenibus impenderam. Nam Codicis Lib. v. Tit. LV. qui viginti annis ſtipendia acceperant, veterani ab Antonino Imperatore dicuntur. Sed ad Comitis dignitatem conſequendam ſatis non erat annis viginti publice in Regia Urbe docuiſſe. Siquidem hoc beneficio erant illi afficiendi dumtaxat, qui optimis eſſent moribus inſtructi, qui officio ſuo minime defuiſſent, quique ſuffragio Patrum digni hoc honore habiti eſſent. Itaque doctis viris privilegia, & honores conferebantur. Valentinianum laudat Themiſtius oratione undecima, hoc quidem nomine: *Quis tanta præmia propoſuit? quis eloquentiæ laude celebres, cum illuſtribus virtute bellica ducibus parem ad dignitatis gradum evexit?* Et de Mauricio refert Suidas: *Dicitur eloquentiam maximi feciſſe, & in optimis quibuſque diſciplinis verſatos maximis honoribus affeciſſe*. Denique a Theodoſio juniore bonarum artium amantiſſimo confirmata ſunt privilegia, & beneficia omnia Grammaticis, Oratoribus, Philoſophis conceſſa prædeceſſorum Principum munificentia Legibus XVI. XVII. XVIII. Libro XIII. Titulo III. Codicis Theodoſiani.

V. Neque ab Imperatoribus Chriſtianis neglecta ſunt Profeſſorum ſtipendia, quæ ipſis Veſpaſianus, Antoninus, Alexander Severus conſtituerant. Ea enim Profeſſoribus ſolvi juſſit Conſtantinus citata Lege Codicis Juſtinian. Lib. x. Tit. LII. *De Profeſſoribus & Medicis*, ſcribens Voluſiano: *mercedes etiam eorum, & ſalaria reddi jubemus, quo facilius liberalibus ſtudiis, & memoratis artibus multos inſtituant*. Imo, cum Alexander Severus annonas quibuſdam dumtaxat Oratoribus Forenſibus conceſſiſſet, eaſdem Valens, Gratianus, & Valentinianus omnibus Profeſſoribus bonarum artium in præcipuis Imperii Civitatibus contulere. Horum Principum Conſtitutio inſcripta Antonio Galliarum Præfecto, extat Lib. XIII. Tit. III. Codicis Theodoſiani, aitque: *Per omnem Diœceſim commiſſam magnificentiæ tuæ frequen-*

quentiſſimis in Civitatibus, quæ pollent, & eminent claritudine præceptorum, optimi quique erudiendæ præſideant juventuti: Rhetores loquimur, & Grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ, quorum Oratoribus viginti quatuor annonarum e fiſco emolumenta donentur, Grammaticis Latino, vel Græco duodecim annonarum deductior paulo numerus ex more præſtetur, ut ſingulis urbibus, quæ metropoles nuncupantur, nobilium Profeſſorum electio celebretur. Nec vero indicemus, liberum ut ſit cuique Civitati ſuos Doctores, & Magiſtros placito ſibi juvare compendio; Triverorum vel clariſſimæ Civitati uberius aliquid putavimus deferendum: Rhetori ut triginta, item viginti Grammatico Latino, Græco etiam, ſi qui dignus reperiri potuerit, duodecim præbeantur annonæ. Annona dicebatur ſtipendium in ſpeciebus conſiſtens in frumento, vino, oleo, pane, carne, ſale, quod ad unius hominis victum ſufficeret. Eæ ſolvebantur militibus, unde dictæ annonæ militares, de quibus extat Titulus XXXVII. Libri XII. Codicis Juſtinianei. Aliæ dictæ civiles, quæ aliis Officialibus præſtabantur, deque his agit Titulus XXV. Libri XI. ejuſdem Codicis. Porro annonas Profeſſoribus quoque Romanis perſolutas eſſe indicat Symmachus Lib. I. ep. 73. quæ eſt ad Heſperium: *Priſcianus frater meus*, inquit, *cum primis Philoſophorum litteratura, & honeſtate cenſendus, Senatu auctore ſalarii emolumenta conſequitur. Super ejus annonis dicitur orta dubitatio. Cui ſi nihil talis compendii Optimatium voluntas ante tribuiſſet, eruditio ſua fructum ferre debuiſſet. Scis enim bonas artes honore nutriri, atque hoc eſſe ſpecimen florentis Reipublicæ, ut Diſciplinarum Profeſſoribus præmia opulenta pendantur. Quæſo igitur, ne hac inquietudine aut illius minuatur utilitas, aut ampliſſimo Ordini cenſendi auctoritas derogetur: Intereſt famæ, & gloriæ tuæ, ut confirmandi magis, quam negandi commodi cauſa, de Philoſo-*

loſophi ſalario dubitare videarii. Illud quoque colligitur ex hac epiſtola, Profeſſoribus nempe Urbis, ſalaria a Senatu decreta eſſe: *Priſcianus Senatu auctore ſalarii emolumenta conſequitur*. Hinc hortatur Heſperium, ne ampliſſimi Ordinis decretis deroget. Atque notanda eſt Symmachi ſententia de ſtipendiis Profeſſorum: *bonas artes honore nutriri, atque hoc eſſe ſpecimen florentis Reipublicæ, ut Diſciplinarum Profeſſoribus præmia opulenta pendantur*. Quare Leo Imperator exoptabat, ut militum ſtipendia in Philoſophos erogarentur, quod milites alantur turbata Republica, Philoſophi vero Republica florente: *Cum aliquando Eulogio Philoſopho*, narrat de Leone Imperatore Suida, *ſtipendium dari juſſiſſet, quodam ex Eunuchis dicente pecuniam illam militibus eſſe impendendam, dixit: Utinam mea ætate fiat, ut ſtipendia militum in Philoſophos convertantur*. Sed res minime ceſſit ex voto. Auctor eſt Zonaras, Juſtinianum Imperatorem, cum ei pecunia non ſuppeteret ad plurium Templorum ædificia ab eo incepta, ademiſſe Profeſſoribus bonarum artium ſtatuta in ſingulis civitatibus ſtipendia. Dubiam tamen faciunt in hac re Zonaræ fidem leges plurimæ de Profeſſorum ſalariis, quas in Codice Juſtinianus inſeruit. Veriſimile eſt hanc bonarum artium calamitatem, in barbararum gentium irruptiones, quæ Imperium occuparunt, referendam eſſe. Quoad Profeſſores Urbis, labente quarto ſæculo, cum Symmachus in vivis erat, amiſerant ſtipendia. Is enim Lib. v. ep. xxxiii. ſcribit Eſeſtioni plures illi hoſpites affuturos, *poſtquam Romanæ juventutis Magiſtris ſubſidia detracta ſunt ſolemnis alimoniæ*. Inchoato vix quinto ſæculo, nempe anno ccccx. Urbs ab Alarico Gothorum Rege direpta eſt, rurſumque anno cccclv. a Genſerico Rege Vandalorum. Ex hac publica clade, enaſci potuit occaſio auferendi Profeſſoribus ſtipendia, quæ eis ſequenti ſæculo Athalaricus reſtituit.

VI. His

Digitized by Google

VI. His temporibus, ſumma fuit Romani Gymnaſii gloria, quam Optimorum Principum cura, & beneficia illi conciliaverant. Et quidem ex allata Valentiniani Conſtitutione, celeberrimam tum fuiſſe toto Terrarum Orbe Scholam Romanam, ad quam ex Africa, & ex omnibus Imperii Romani Provinciis, ut ipſa verba Legis indicant, homines confluebant cauſa addiſcendi liberales Diſciplinas, præſertim Juris ſcientiam, merito colligit in Diſſertatione ad hanc legem Hermannus Conringius. Tantoque in numero confluebant, ut juſſerit Imperator, nomina eorum ſingulis menſibus referri ad Præfectum Urbis; ſimulque, ne poſt expletum annum vigeſimum in Urbe remanerent. Quamvis tunc temporis in omnibus Romani Imperii Provinciis Scholæ publicæ eſſent, ac Profeſſores ære publico conducti. In Galliis ſtudia fuiſſe ætate ſua florentiſſima, teſtatur Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum; & nihilo tamen minus e Gallia Romam ſtudiorum cauſa plurimi adibant: *Audio te habere matrem religioſam, multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudivit infantem, ac poſt ſtudia Galliarum, quæ vel florentiſſima ſunt, miſit Romam, ut ubertatem Gallici, nitoremque ſermonis gravitas Romana condiret*. Rutilius Numatianus Lib. 1. Itinerari ſui ſcribit, Palladium Gallum miſſum Romam ad diſcenda Jura. Sidonius Apollinaris Lib. 1. ep. 6. hortatur Eunapium, ut ad diſcendum Jus pergat Romam *domicilium Legum, Gymnaſium Litterarum*. Carthagine tam vigebant ſtudia bonarum artium, ut Auguſtinus duas dixerit Urbes Latinarum Litterarum artifices, Romam, Carthaginemque; & Salvianus Lib. 7. de Gubern. ait, *illic liberalium artium Scholæ, illic Philoſophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum Gymnaſia, vel morum*. Et tamen ex Africa, uti patet e laudata Valentiniani lege, adoleſcentes innumeri Romam ſtudiis ut incumberent, petebant. Ita Septimius Severus Impera-

Digitized by Google

tor ex Africa Romam venerat ſtudiorum cauſa. Eodem conſilio Alypius, teſte Auguſtino Lib. 6. Confeſ. Cap. 8. Urbem petiit. Ipſe Auguſtinus bonis artibus Carthagine inſtitutus, Romam petere conſtituit, ut ibi uteretur florentiſſimo Litterarum ſtatu. De qua re ita ſcribit Lib. 5. Confeſs. Cap. 8. *Non ideo Romam pergere volui, quod majores quæſtus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc ſuadebant, promittebatur, quanquam & iſta ducebant animum tunc meum, ſed illa erat tunc cauſa maxima, & pene ſola, quod audiebam quietius ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coertione ſedari, ne in ejus Scholam, quo Magiſtro non utuntur, paſſim, & proterve irruant, nec eos admitti omnino, niſi ille permiſerit. Contra apud Carthaginem fœda eſt, & intemperans licentia Scholaſticorum: irrumpunt impudenter, & prope furioſa fronte perturbant ordinem, quem quiſque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit .... Ergo quos mores, cum ſtuderem meos eſſe nolui, eos, cum docerem cogebar perpeti alienos, & ideo placebat ire, ubi talia non fieri, omnes, qui noverant, indicabant.* Rurſus in eodem Lib. 5. Confeſs. Cap. 11. teſtatur Auguſtinus adoleſcentum, qui Romæ tunc ſtudiis vacabant, non eam fuiſſe audaciam, quam Carthagine improbaverat: *Sedulo ergo agere cœperam, propter quod veneram, ut docerem artem Rhetoricam, & prius domi congregare aliquos, quibus, & per quos innoteſcere cœperam, & ecce cognoſco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam revera illas everſiones a perditis adoleſcentibus ibi non fieri, manifeſtatum eſt mihi. Sed ſubito ne mercedem Magiſtro reddant, conſpirant multi adoleſcentes, & transferunt ſe ad alium, deſertores fidei, & quibus præ pecuniæ caritate, juſtitia vilis eſt.* Inde plurimi affirmarunt, inter quos doctiſſimus Sirmondus in notis ad epiſtolas Sidonii Apollinaris, Auguſtinum in Romano Athenæo Rhetoricam docuiſſe. At difficultatem creat, quod

quod mercedem a diſcipulis videatur accepiſſe, cum tamen in Athenæo publica mercede Profeſſores alerentur. Veriſimile tamen eſt, eo anno, quo Auguſtinus Romam venit, & quo Symmachus Præfecturam Urbis gerebat, *detracta eſſe Magiſtris Romanæ juventutis ſubſidia ſolemnis alimoniæ*, ut ex eodem Symmacho diximus. Nam & eo anno Urbs magna penuria laboravit, quam deſcribit Baronius. Certe non domi tantum, ſed etiam in Athenæo videtur Auguſtinus docuiſſe. Nam ait, ſe in Urbe *prius domi congregare aliquos, quibus, & per quos innoteſceret cœpiſſe*. Poſtea igitur locum in Scholis publicis obtinuit, tanta fama, ut Symmachus Urbis Præfectus illum ad publicum munus docendi, Mediolanum miſerit. Et quod Auguſtinus refert de audacia Carthaginienſium ſtudioſorum, deque quiete, qua in Urbe Scholæ fruebantur, id ſpectat ad Scholas publicas, eſtque tribuendum Legi Valentiniani de ſtudiis liberalibus Urbis Romæ. Contigit Auguſtini Romam adventus anno Domini CCCLXXXIII. ſequenti vero anno a Symmacho Urbis Præfecto, quem Theodoſius de hoc monuerat, miſſus eſt Mediolanum, impertita etiam evectione publica, ut ibi Rhetoricam publice profiteretur. De qua re ita ipſe ſcribit Lib. 5. Confeſs. Cap. 13. *Poſtquam miſſum eſt a Mediolano Romam ad Præfectum Urbis, ut illi Civitati Rhetoricæ Magiſter provideretur, impertita etiam evectione publica, ego ipſe ambivi per eoſdem ipſos Manichæis vanitatibus ebrios, quibus, ut carerem, ibam, ſed utrique neſciebamus, ut dictione propoſita, me probatum Præfectus tunc Symmachus mitteret*. Inde patet etiam, quam floruerit Urbs litteris, ut ex Urbe arceſſerentur Profeſſores bonarum artium, qui in præclariſſima docerent Civitate Imperii. Et hæc cura tanti erat, ut ad ipſum Urbis Præfectum ſpectaret; nec is temere Profeſſorem conſtituebat, ſed quem jam in publicis Scholis probaſſet. Hoc eodem quarto ſæculo Roma habuit al-

Digitized by Google

terum præclariſſimum Rhetoricæ Profeſſorem, eumdemque Chriſtianum, Marium Victorinum Afrum, quem publice docuiſſe Rhetoricam, regnante Conſtantino, Auguſtinus Lib. 8. Confeſ. Cap. 2. & Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis teſtantur. Is dicitur ab Auguſtino: *Doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus, quique Philoſophorum tam multa legerat, & dijudicaverat, & dilucidaverat, doctor tot nobilium Senatorum, qui etiam ob inſigne præclari Magiſterii, quod cives hujus Mundi eximium putant, ſtatuam in Romano foro meruerat, & acceperat.* Plures Platonicorum libros hunc Latinitate donaſſe, ipſe Auguſtinus teſtatur. Scripſit etiam contra Arianos, & Commentarios in epiſtolas Pauli, quorum meminit Hieronymus. Notandum vero, inſignes Profeſſores Urbis ſtatua in foro Trajani ex Senatuſconſulto donatos eſſe. Hujus Victorini diſcipulus Romæ fuit Hieronymus, qui eo ſe contulerat, ut Græcis, Latiniſque litteris inſtitueretur. Ita ipſe in Chronico ad annum xx. Conſtantii: *Victorinus Rhetor, & Donatus Grammaticus Magiſtri, & præceptores mei Romæ inſignes habebantur.* Et in Commentariis ad Ezechielem Cap. 40. affirmat, ſe puerum Romæ liberalibus ſtudiis eruditum. Tum in Commentariis ad Epiſtolam ad Galatas Cap. 2. dicit, ſe adoleſcentulum Romæ controverſias declamaſſe, & ad vera certamina fictis litibus ſe exercuiſſe, ſæpe adiiſſe Tribunalia Judicum, ut diſertiſſimos audiret Oratores. Imo in Regula Monacharum Cap. 11. diſerte dicitur Hieronymus publicum Profeſſorem in Urbe egiſſe: *Ut meas miſerias detegam, me antequam viceſimum annum ætatis attingerem Urbs Roma in ſummum prælegerat Magiſtrum in omnibus pene liberalibus artibus. Nondum Sancti Spiritus Scholas intraveram, nondum cæcutiens pervenire ad ſanctæ veritatis poteram diſciplinam.* Donatus inſignis Grammaticus, cujus extant Commenarii in Terentium, & Vir-

& Virgilium, hac ætate in Urbe publice docebat. Hac quoque ætate, docuit Romæ Rhetoricam Proereſius præclariſsimus Rhetor, cujus vitam ſcripſit Eunapius, qui e Schola Athenienſi ſub Conſtantio Imperatore ad Urbem venerat, ibique tantam conſecutus eſt gloriam, ut ſtatua donatus ſit, cum hac inſcriptione, *Regina Rerum Roma Regi Eloquentiæ*. Proereſio Athenas redeunti ſucceſsit Euſebius Alexandrinus illius diſcipulus, de quo Eunapius citato loco: *Romanis rogantibus uti proprium ſuum diſcipulum ad ſe mitteret, Euſebium patria Alexandrinum eo miſit, qui cum Urbis Romæ moribus congruere videbatur; quippe is ad aſſentationem eruditus, Proceribus palpari norat, & Athenis ſeditioſus homo habebatur, alioſque præ ſe contemnere, ſe ſe maximi facere conſueverat. Quapropter hominem urbanarum nequitiarum haud imperitum eo ſubmiſit: nam quod ad Oratoriam facultatem attinet, id dixiſſe ſat eſt, quod Ægyptius fuerit, ea vero gens Poetices ſtudio mirum in modum inſanit, ita ut ſeria tractans Mercurius ab iis diſceſſerit.* Inde colligitur, Romæ tunc temporis gratos potiſsimum fuiſſe Sophiſtas, qui ſe magni feciſſent, & in Procerum laudes ſe ſe effudiſſent. Alterum inſignem in Romano Athenæo Rhetoricæ Profeſſorem Palladium laudat Symmachus Lib. 3. ep. 50. & Lib. 1. ep. 9. ubi de eo ait: *Movit novus Athenæi hoſpes Latiare Concilium, diviſionis arte, inventionum copia, ſenſuum gravitate, luce verborum*. Denique non omittendus Ennodius Ticinenſis, quem ſæculo quinto in Romano Gymnaſio docuiſſe affirmat doctiſsimus Sirmondus in notis ad illius Dictiones, etſi Gattus in libello de Gymnaſio Ticinenſi, in hac Schola jam illum docuiſſe opinetur. Extat enim inter *Dictiones*, ſeu Orationes Ennodii una *in dedicatione Auditorii quando ad forum translatio facta eſt*, ubi de Romano Gymnaſio ſermonem eſſe indicant hæc verba: *Vincta hic ora tenet mens captiva, non agnoſcit forum*

rum Romani Populi, *non liberalis eruditionis Gymnaſium*, *qui adhuc quaſi in ſeceſſibus conticeſcit*. Ex quibus verbis colligitur, agi de Auditorio Romano, quod e priſtinis ſedibus translatum fuerat ad forum, atque hac occaſione Ennodium Orationem habuiſſe. Quanta vero fuerit Romani Gymnaſii gloria ſexto ſæculo, mox dicendum erit.

VII. Florentiſſimum hunc Gymnaſii Romani, reique litterariæ ſtatum Julianus Auguſtus haud leviter turbavit, qui, ut Chriſtianæ religionis incremento, gloriæque obſtaret, & Ethnicæ ſuperſtitioni conſuleret, quam Chriſtiani validiſſimis ex ipſorum Philoſophia, Theologiaque deſumptis argumentis convellebant, Chriſtianos prohibuit a docendis Litteris, addiſcendiſque. Ad hanc rem, primo decrevit, nullos eſſe in Imperii Civitatibus conſtituendos Profeſſores, inſcio Imperatore, uti legitur in Codice Theodoſiano, Titulo de Profeſſoribus, & Medicis: *Magiſtros ſtudiorum*, *Doctoreſque excellere oportet moribus primum*, *deinde facundia*. *Sed quia ſingulis Civitatibus adeſſe ipſe non poſſum*: *Jubeo*, *quiſquis docere vult*, *non repente*, *nec temere proſiliat ad hoc munus*, *ſed judicio Ordinis probatus decretum Curialium mereatur*, *Optimorum conſpirante conſenſu*. *Hoc enim decretum ad me tractandum referetur*, *altiore quodam honore*, *noſtro judicio ſtudiis Civitatum accedant*. Cum igitur decretum de eligendis Profeſſoribus ad ſe juſſerit tranſmittendum, jam voluit arbitrio ſuo reſervatum, quinam Profeſſores eſſent Scholis præficiendi. Clarius tamen id ſtatuit edicto, quod inter ejus epiſtolas editas a Petro Martinio Morentino legitur, ubi poſtquam dixerit: *Omnes*, *qui quidvis docere profitentur*, *bonis moribus eſſe debent*, *neque opiniones novas*, *& a ſenſu populari abhorrentes afferre*: *ſed imprimis tales eſſe debent*, *qui adoleſcentes in veterum ſcriptis inſtituunt*, *ſive ſint Rhetores*, *ſive Grammatici*, *& præcipue Sophiſtæ*, *qui non*

non ſolum verborum, ſed etiam morum Magiſtros eſſe volunt, & ad ſe Philoſophiam de adminiſtrandis rebus publicis pertinere contendunt. Addit, turpe eſſe, ut Chriſtiani incumbant explicandis illorum Auctorum ſcriptis, quos ob cultum Deorum accuſant impietatis, & amentiæ; quapropter illis vel abſtinendum eſſe a Scholis, vel a Deorum cultu reiiciendo. Quod Juliani edictum ipſi Ammiano Marcellino Scriptori Ethnico iniquum viſum eſt, ajenti Lib. XXII. *Illud autem inclemens obruendum perenni ſilentio, quod arcebat docere Magiſtros Rhetoricos, & Grammaticos ritus Chriſtiani cultores*. Rurſum Lib. XXV. dicit, Julianum ſe inclementer geſſiſſe, *quod docere vetuit Magiſtros Rhetoricos & Grammaticos Chriſtianos ut tranſirent a Numinum cultu*. Quibus verbis Ammianus Marcellinus veram indicat cauſam, cur Julianus Chriſtianos a docendo prohibuerit, ne ſcilicet auditores ſuos ab Ethnica ſuperſtitione dimoverent. Nam tunc temporis Chriſtianorum erant Scholæ plurimæ, & celeberrimæ. Hujuſmodi erat Schola Alexandrina, in qua Pantænus, Clemens Alexandrinus, Ammonius, Origenes inſignes Philoſophi Chriſtiani edocuerant res ſacras, prophanaſque. De Origene ſcribit Euſebius Lib. VI. Cap. XVIII. *Diſcipulos acutioris ingenii ad Philoſophiam introducebat, Geometriam illis tradens, & Arithmeticam aliaſque prævias diſciplinas, inde ad varias Philoſophorum ſectas eos perducens*. Celebris etiam fuit Schola Ædeſſena, ubi Euſebium Epiſcopum Emeſenum humanioribus litteris imbutum tradunt Socrates, & Sozomenus. Et teſtatur Sozomenus Lib. V. Cap. XVII. Julianum id ob invidiam in Apollinarem, & alios celebres Chriſtianos Profeſſores decreviſſe: *Nam non mediocriter ejus animum offendebat non ſolum Apollinaris Syrus, vir omni doctrinæ genere, & orationis formis inſtructus, verum Baſilius, & Gregorius Cappadoces, qui omnibus illius ætatis Rhetoribus laudem præripiebant, atque alii eodem tempore*

Digitized by Google

pore quamplurimi diſerti viri, *quorum alii ſunt Niceni Concilii decreta, alii hæreſim Arianam amplexati. Hinc igitur ſolum quoniam magnam ad perſuadendum facultatem poſſe parari cenſebat, vetuit ne Chriſtiani Gentilium diſciplinis inſtruerentur*. Promulgato itaque hoc Imperatoris Edicto, ſiluit, deſiitque a docendi munere Muſonius inſignis Philoſophus Chriſtianus, uti in Proereſii vita teſtatur Eunapius. Proereſium quoque magni nominis Philoſophum Scholam deſeruiſſe, ſcribit Hieronymus in Chronico. Siluit etiam celeberrimus in Romano Gymnaſio Profeſſor Rhetoricæ Marius Victorinus, de quo teſtatur Auguſtinus Lib. VIII. Confeſ. Cap. v. delegiſſe potius Cathedram deſerere, quam a Chriſtiana fide deficere: *Loquacem Scholam deſerere maluit*, *quam verbum tuum*, *quo linguas infantium facis diſertas*. Contigit hæc rei litterariæ calamitas anno CCCLXII. Quæ nova aucta eſt calamitate, cum etiam prohibuerit Imperator Chriſtianos Litteras addiſcere, *Vetuit*, inquit Theodoretus Lib. III. Cap. VIII. *ne Galilæorum filii* (*ſic enim Chriſtianos vocabat*) *Poeticæ*, *& Rhetoricæ*, *ad Philoſophiæ ſtudiis erudirentur*. Et Sozomenus ſcribit: *Vetuit ne Chriſtianorum liberi Poetas*, *& alios Scriptores Gentiles perdiſcerent*, *neque horum Doctores adirent*. Extat in hanc rem graviſſima Oratio Gregorii Nazianzeni in Julianum. At paucos poſt annos reſtituti fuere Cathedris Profeſſores Chriſtiani, hac lege Valentiniani, & Valentis Imperatorum, quæ extat in Codice Theodoſiane, Titulo de Profeſſoribus, & Medicis: *Si qui erudiendis adoleſcentulis vita pariter*, *& facundia idoneus erit*: *vel novum inſtituat Auditorium*, *vel repetat intermiſſum*. Atque ita publicæ Scholæ Profeſſoribus, ut Auditoribus Chriſtianis iterum patuerunt. Haſce tamen Gentilibus Profeſſoribus ſexto ſæculo Juſtinianus occluſiſſe videtur. Narrat quidem Procopius in Anecdotis, quem Zonaras exſcripſit, Juſtinianum prohibuiſſe Philoſophiam pu-

publice doceri. Sed de Procopii in hac re fide merito dubitat Hermannus Conringius in Antiquitatibus Academicis, cum Codicis Juſtinianei Tituli de Profeſſoribus, deque ſtudiis liberalibus Urbis Romæ, & Conſtantinopolis aliud teſtentur. Nam in eo Codice Philoſophi donantur Cathedra, ſtipendiis, ac immunitatibus. Veriſimile eſt, ſolos Philoſophos Gentiles Juſtinianum e Cathedris amoviſſe, quibus ſubtracta eſſe eo tempore ſalaria, alii quoque Scriptores teſtantur. Inde Iſidorum Gazæum, Damaſcium Syrum, Simplicium Cilicem, Eulalium Phrygem, Priſcianum Lydum, Hermiam, & Diogenem Phœnices Philoſophos abiiſſe in Perſiam, narrat Bruckerus in Hiſtoria Philoſophiæ. Immerito tamen vir doctiſſimus exinde Juſtiniano adſcribit invectam in Oriente Litterarum inſcitiam. Nam Juſtinianus ſuis legibus in Codice deſcriptis rei litterariæ quammaxime conſuluerat; tum ea tempeſtate, vigente jam Chriſtiana religione, tot, tantique erant ex hoc numero Profeſſores, ut jam Gentiles amoveri poſſent a Scholis ſine ullo rei litterariæ detrimento.

VIII. Hactenus Gymnaſii Romani fortunam ſub Imperatoribus Chriſtianis proſecuti ſumus; jam pergimus ad Gothorum Principum tempora. His regnantibus, maxime floruiſſe in Urbe ſtudia artium liberalium colligitur ex Caſſiodoro in præfatione Divinarum Lectionum: *Cum ſtudia*, inquit, *ſæcularium litterarum magno deſiderio fervere cognoſcerem, ita ut multa pars hominum per ipſa, ſe Mundi prudentiam crederet adipiſci*. Hinc a Theodorico Rege apud Caſſiodorum Lib. 5. ep. 22. Roma dicitur *Civitas Litterarum*. Confluebant ad Urbem ex remotiſſimis regionibus adoleſcentes ſtudiorum cauſa, quos ſapientiſſimi Reges nolebant ab Urbe recedere, niſi in bonis artibus ſatis eſſent verſati. Id patet ex epiſtola Theodorici Regis Symmacho Patricio apud Caſſiodorum Lib. 4. ep. 6. *Spectabilis Valerianus in Syracuſana Civi-*

tate conſiſtens reverti ſe ad lares proprios ſupplicavit, qui ſtudiorum cauſa liberos ſuos ad Romanam Civitatem deduxit. Quos illuſtris magnificentia tua ex noſtra continens juſſione in ſupradicta Urbe faciat commorari, nec illis liceat ante diſcedere, niſi hoc noſter proloquatur affatus. Ita enim ex illis ſtudiorum provectus acquiritur, & noſtræ juſſionis reverentia cuſtoditur. Non ergo ſibi putet impoſitum, quod debuit eſſe votivum. Nulli ſit ingrata Roma, quæ dici non poteſt aliena. Illa Eloquentiæ fœcunda mater, illa virtutum omnium latiſſimum templum. Sentiatur plane, quod clarum eſt, non ſine gratia eſſe creditur, cui habitatio tanta præſtatur. Eadem fere habet Theodoricus in epiſtola ad Feſtum Patricium apnd eumdem Caſſiodorum Lib. 1. ep. 6. ubi occaſione cujuſdam Filagrii, qui fratris filios Romam duxerat ſtudiorum cauſa, ſtatuit, inconſulto Principe, minime concedendam eſſe facultatem diſcedendi ab Urbe iis, qui illic addiſcendis litteris incumberent. Magna ſane Gymnaſii Romani gloria, quod tantam illius curam gererent Principes. Magna quoque Principum gloria, quod litterarum incremento tantum conſulerent. Cujus rei aliud ſuggerit argumentum inſignis epiſtola Athalarici Regis Gothorum, qui circa annum DXXX. imperium tenuit Italiæ, inſcripta Senatui Romano, ut Profeſſoribus artium conſueta ſtipendia ſolverentur. Extat inter opera Caſſiodori Lib. 9. ep. 21. atque ita ait: *Filiorum cauſas jure ad patrum cognoſcimus remiſiſſe perſonas; ut ipſi de illorum provectu debeant cogitare, quorum intereſt Studia Romana proficere. Neque enim credendum eſt, vos inde poſſe minus eſſe ſollicitos, unde & generi veſtro creſcit ornatus, & cœtui provenit aſſidua lectione conſilium. Nuper ſiquidem, ut eſt de vobis cura noſtra ſollicita quorumdam ſuſurratione cognovimus Doctores Eloquentiæ Romanæ laboris ſui conſtituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut Scho-*

la-

larum Magiſtris deputata ſumma videatur imminui. Quapropter cum manifeſtum ſit, præmium artes nutrire nefas judicavimus Doctoribus adoleſcentium aliquid ſubtrahi, qui ſunt potius ad glorioſa ſtudia commodorum augmento provocandi. Prima enim Grammaticorum Schola eſt fundamentum pulcherrimum litterarum, mater glorioſa facundiæ, quæ cogitare novit ad laudem, loqui ſine vitio, hoc in curſu orationis, ſic errorem cognoſcit abſonum, quemadmodum boni mores crimen deteſtantur externum. Nam ſicut Muſicus conſonantibus choris efficit dulciſſimum melos, ita diſpoſitis congruenter accentibus, metrum novit decantare Grammaticus. Eſt Grammatica magiſtra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis antiquorum, nos cognoſcitur juvare conſiliis. Hac non utuntur barbari Reges: apud legales Dominos manere cognoſcitur ſingularis. Arma enim & reliquæ gentes habent: ſola reperitur Eloquentia, quæ Romanorum Dominis obſecundat. Hinc Oratorum pugna civilis juris claſſicum canit. Hinc cunctos Proceres nobiliſſima deſertitudo commendat, & ut reliqua taceamus, hoc quod loquimur, inde eſt. Qua de re P. C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem propria divinitate largimur, ut ſucceſſor Scholæ liberalium litterarum, tam Grammaticus, quam Orator, nec non Juris expoſitor, commoda ſui deceſſoris ab eis, quorum intereſt, ſine aliqua imminutione percipiat: & ſemel primi Ordinis veſtri, ac reliqui Senatus ampliſſimi auctoritate firmatus: donec ſuſcepti operis idoneus reperitur, neque de transferendis, neque de imminuendis annonis a quolibet patiatur improbam quæſtionem: ſed vobis ordinantibus atque cuſtodientibus emolumentorum ſuorum ſecuritate potiatur, Præfecto Urbis nihilominus conſtituta ſervante. Et ne aliquid pro voluntate præbentium relinquatur incertum, mox ut ſex menſes exempti fuerint, ſtatutæ ſummæ conſequantur

 præ-

prædicti Magiſtri mediam portionem. Reſidua vero anni tempora cum annorum debita redhibitione claudantur. Ne cogantur de alieno pendere faſtidio, cui piaculum eſt vel horarum aliquo vacaſſe momento. In tantum enim, quæ ſunt decreta, volumus firmiſſime cuſtodiri, ut ſi quis cujus intereſt differendam putaverit hanc quaſi debitam functionem procurato more uſurarum diſpendia ipſe patiatur: quia juſta commoda laudabiliter laborantibus, plectenda cupiditate ſubtraxit. Nam ſi opes noſtræ ſcenicis pro populi oblectatione largimur, & ea ſtudioſiſſime conſequuntur, qui adeo neceſſarii non habentur, quanto magis illis ſine dilatione præbenda ſunt, per quos, & honeſti mores proveniunt: & Palatio noſtro facunda nutriuntur ingenia. Hæc autem præſentibus litterarum Magiſtris venerando cœtui noſtro præcipimus intimari. Ut ſicut nos agnoſcunt de ſuis commodis eſſe ſollicitos, ita a ſe provectus adoleſcentium enixius noverint nos exigendos. Ceſſet nunc illa ſatyris Doctoribus querulis uſurpata ſententia: quia duabus curis ingenium non debet occupari. Ecce jam habere probantur tolerabile hoſpitium: unde nunc merito, uni ſollicitudini jugiter inhærentes, toto vigore animi ad bonarum artium ſtudia transferantur. Recte, ſapienterque dictum eſt ab Athalarico, Senatui Romano ornamentum, conſiliumque accedere e publicis Scholis. Nam quæ eſſet alicujus Civitatis facies, ſi nullus, vel vix ullus, eſſet bonis artibus locus. Deeſſet in arduis, ac difficillimis negotiis conſilium; & morum corruptela vix ullis legibus coerceretur. Hinc criminis loco habet Rex ſapientiſſimus Profeſſoribus bonarum artium, e quibus ſumma provenit Reipublicæ utilitas, ſtipendia detrahere. Quod artes nutriendæ ſint præmiis; quod præmiis Cives ſint ad ſtudia litterarum magis, magiſque excitandi; quod deſtituti ſtipendiis jam a re litteraria abſtrahantur; quod denique, ſi Scenicis ad populi voluptatem pinguia conceduntur ſtipendia, ea de-

deneganda non ſint Profeſſoribus ad totius Reipublicæ utilitatem. Hæc vero ſtipendia ſingulis ſex menſibus juſſit perſolvenda, ea lege, ut uſuræ præſtandæ eſſent, ſi ſtipendia differrentur. Et Præfecto Urbis, Senatuique Romano hæc incumbebat cura. Huic quoque incumbebat cura conſtituendi Profeſſores, uti colligitur ex illis verbis: *& ſemel Primi Ordinis noſtri, ac reliqui Senatus ampliſſimi auctoritate firmatus, donec ſuſcepti operis idoneus reperitur, neque de transferendis, neque de imminuendis annonis a quolibet patiatur improbam quæſtionem*. Ut enim in aliis Imperii Civitatibus Decuriones, ita in Urbe, Senatus Profeſſores conſtituerunt. Denique ex hac epiſtola colligitur, non alios tunc fuiſſe in Romano Gymnaſio Profeſſores, quam Grammaticos, Rhetores, Juriſconſultos. Nulla de Philoſophis mentio eſt. Nihilo tamen minus his temporibus fuere in Urbe inſignes quidam Philoſophi, ac Mathematici, Martianus Felix Capella Carthaginienſis, Severinus Boethius Senator Romanus, Dionyſius Exiguus, & Aurelius Caſsiodorus Cancellarius Theodorici Regis Gothorum, quorum libri de Philoſophia, deque Mathematicis Diſciplinis indicant cæteras liberales artes præter Eloquentiam, ac Juriſprudentiam, minime in ſola Græcia hæſiſse. Atque is fuit ſtatus Gymnaſii Romani regnantibus Gothis.

* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

CAPUT IV.

DE GYMNASIO ROMANO MEDIO ÆVO.

Medio ævo extinctæ Litteræ in Oriente. II. Et Occidente. III. Gregorius Magnus ab hoc crimine vindicatur. IV. De Schola Palatii Pontificii. V. Profeſſores bonarum artium ex Urbe in Galliam abducti a Carolo Magno. VI. Cura Romanorum Pontificum in excitandis Scholis, litteriſque. VII. De Scholis publicis in Italia a Lothario erectis. VIII. An decimi ſæculi ignorantia Urbem quoque involverit.

I. FUneſta bonis artibus ingredimur ſæcula. In Oriente extincta Athenienſi Schola, imperantibus Principibus, neque pretium, nec honorem litterjs ſtatuentibus, crebriſque Arabum incurſionibus, deſiit fere univerſa res litteraria. Cui calamitati inferendæ plurimum contulit Leo Iſaurus Imperator, quem a viris doctis, litteriſque abhorruiſſe, *ac eruditionum Scholas, quæ a Conſtantino Magno uſque ad ea tempora floruerant*, *extinxiſſe*, teſtantur Paulus Diaconus Lib. 21. Cap. 19. Anaſtaſius Bibliothecarius, & Martyr Theophanes in Eccleſiaſtica Hiſtoria. Præcipue vero Bibliothecam Palatinam, & inſigne Doctorum virorum Collegium immani crudelitate ſuſtulit Princeps imperitiſsimus. Ut enim narrat Zonaras: *Domus erat baſilica proxime forum ærarium, in qua multi Codices, & humanæ, & generoſioris, & Divinæ ſapientiæ aſſervabantur ab antiquis temporibus ei ad habitandum aſſignata, qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum Doctorem appellabant. Is duodecim contubernales habebat excel-*

len-

lenter erditos: his publicus victus præbebatur, hos eruditionis & cognitionis avidi accedebant, hos Imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibebant. Eos Leo ſi cœpiſſet, & in ſuam ſententiam pertraxiſſet, omnia ſibi confecta putabat: Sed cum ſæpe cum iis egiſſet fruſtra, eos domum dimiſit in illas ædes regias, multamque materiam aridam circum eos collocatam noctu incendi juſſit, atque ita ædes cum libris, & doctos illos, & venerabiles viros combuſſit. Quamvis Hermanno Conringio in Antiquitatibus Academicis ſuſpectæ ſit fidei hæc Zonaræ narratio, quod nec ſceleris atrocitatem nec Collegium, Doctoremque Oecumenicum alii Scriptores memorent; ea tamen probatur Franciſco Patricio in Diſcuſſionibus Peripateticis, Bruchero in Hiſtoria Philoſophiæ, Chriſtiano Lupo in Commentariis ad Can. XVIII. Concilii V. Romani ſub Gregorio VII. aliiſque, utpote quam referunt etiam Cedrenus, Michael Glycas, & Codinus in libro de Originibus Conſtantinopolitanis. Sed & Magiſtri Oecumenici dignitatem, qui Palatio, ac Bibliothecæ præerat, eſſe antiquiſsimam, ac eam ante Anaſtaſium Imperatorem geſsiſſe Georgium Chæroboſcum, cujus plures extant in Bibliotheca Regia Pariſienſi libri cum Titulo *Doctoris Oecumenici*, affirmat Leo Allatius in Diatriba de claris Georgiis. Præterea Leonem ad inſtar Juliani Imperatoris, & Abdelæ Saracenorum Principis prohibuiſse Chriſtianos a diſcendis litteris, narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in Hiſtoria. Perdendis quoque bonis artibus Imperator Michael Amorienſis contulit, de quo ſcribit Georgius Cedrenus: *Michael litteraturam eſt adeo averſatus, ut ne pueros quidem ea permiſerit erudiri, ne vel veſaniæ ipſius coarguendæ, atque refellendæ inſtrumenta alii inde pararent, vel diſciplina adiuti, cum oculorum ac linguæ velocitate in legendo uterentur, ipſi palmam ejus rei præriperent. Adeo enim in litteris componendis, & conficiendis ſyl-*

labis

labis erat tardus, ut alius librum facilius perlegeret, quam ipſe ſui nominis elementa percenſeret. Hinc omnem Orientem ignorantia occupavit. Rediit tamen litteris lux quædam, medio ſæculo nono, Michaele imperante, & Barda Cæſare, qui de reſuſcitandis litteris, revocandaque Philoſophia conſilium cœpit, & pro illorum temporum conditione perfecit. De quo Cedrenus: *Bardas profanas quoque litteras, quæ Imperatorum barbarie, atque inſcitia jam a multis annis prorſus abſoleverant, & evanuerant, recreavit, ſingulis ſcientiis certo loco ſuas Scholas attribuens, ſupremæ autem omnium Philoſophiæ ad ipſam Regiam in Magnaura.* Et infra: *Bardas Sergium Leonis diſcipulum Geometrico Gymnaſio, & Theodoſium itidem ejus familiarem Arithmetico, ac Aſtronomico ludo præpoſuit. Large eis ſumptus ſuppeditavit, utque erat ſtudioſus bonarum artium, ſæpe ipſe quoque Scholas frequentavit, alacritatem diſcentium ſuo exemplo confirmans. Hoc pacto bonas litteras, prorſus ante extinctas, ita ut ne veſtigium quidem earum, aut ſcintilla extaret, brevi temporis ſpatio admagnam evexit amplitudinem.* Eadem narrant Zonaras, & Curopolates. Laudatus a Cedreno Leo, quem Barda conſtituit Philoſophiæ Profeſſorem, fuit ſummus Philoſophus, Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani conſobrinus, ac poſtea Archiepiſcopus Theſſalonicenſis. Atque hæc omnia ad litterarum reſtaurationem egiſſe Bardam conſilio Photii viri doctiſſimi ſuſpicatur Hermannus Conringius in Antiquitatibus Academicis. Diu tamen non viguit hæc rei litterariæ reparatio; ſiquidem imperio a Tyrannis oppreſſo, rurſum jacuere litteræ uſque ad ſæculum decimum, cum Conſtantinus Porphyrogenitus illis reſtituendis incubuit. Audiendus Cedrenus: *Scientias Arithmeticam, Muſicen, Aſtronomiam, Geometriam, & omnium principem Philoſophiam, quæ jam longo tempore, ob incuriam, & inſcitiam Imperatorum pe-*

perierant, *ſua induſtria inſtauravit*; *conquiſitis qui in quovis genere excellerent*, *ac conſtitutis Doctoribus*, *ſtudioſiſque receptis*, *& conductis*. *Quo factum eſt*, *ut exigui temporis decurſu*, *barbarie profligata*, *urbs litteris floruerit*. Ex his poſtremis Cedreni verbis colligit doctiſſimus Thomaſsinus de Benef. Par. 2. Lib. 1. Cap. 100. nedum Profeſſoribus, ſed etiam Studioſis publicos ſumptus conceſſos fuiſſe a munificentiſsimo Principe. Obſervat quoque, in notitiis Imperii, & Palatii recenſeri *Summum Philoſophorum*, eum nempe, qui præerat Scholæ Philoſophiæ in Palatio, & hac dignitate Pſellum aliquando donatum. Attamen extinctum cum Conſtantino litterarum lumen, teſtatur Libro quinto Alexiadis Anna Comnena, uſque ad imperium Alexis Comneni, qui eas rurſum revocavit in lucem, privilegiis, & ſalariis conſtitutis illarum Profeſsoribus, quæ memorantur a Balſamone in Commentariis ad Canonem XIX. Concilii Trullani. Atque exinde floruere in Oriente litteræ, etſi cum antiquorum temporum elegantia minime comparandæ, uſque ad captam ſæculo decimoquinto a Turcis Conſtantinopolim, everſumque Græcorum imperium; qua calamitate, Græcorum doctiſsimi Italiam, Romamque adeuntes, bonarum artium ſtudia non leviter adjuvarunt.

II. Deficientibus in Oriente litteris, diſſoluta conjunctione inter utramque Imperii Romani partem, deſiere in Occidente Græci ſermonis uſus, Græcorum librorum cognitio, & litterariæ peregrinationes, fonteſque illi, e quibus derivata fuerant in Occidentales Terras flumina eruditionis, & præcipue Philoſophiæ. Adhæc Principes barbari imperium tenuerunt, armis potius, quam litteris incumbentes, neque favore, aut benevolentia viros doctos complexi ſunt, nec eorum ſtudia adjuvarunt. In Italia iis temporibus, cum eam Heruli ſub Odoacre, Gothique ſub Teodorico occuparunt, non potuit tam cito excidere litterarum amor; unde & plu-

res viri docti, Severinus Boethius, Ennodius Ticinenſis, Caſſiodorus, Dionyſius Exiguus, Arator, Venantius Fortunatus ætate illa Italiam illuſtrarunt. At Longobardis, Alboino Duce, illius imperio potitis, ſcientia fere omnis exolevit, ac ſæculo ſeptimo ſumma litterarum inſcitia Italiam omnem occupavit. Illius ævi Chartæ ab Epiſcopis, Principibus, & Judicibus ſignatæ, barbariſmis, & ſolecifmis undiquæ adſperſæ, ſatis indicant, neque Grammaticæ ſtudium inter Italos viguiſſe. Hinc Paulus Diaconus Lib. 7. Cap. 7. de Geſtis Longobardorum veluti rem memoria dignam notat floruiſſe Ticini ſub Cuniberto Rege, anno DCC. Felicem Grammaticum: *Eo tempore floruit in arte Grammatica Felix patruus Flaviani præceptoris mei, quem in tantum Rex dilexit, ut ei baculum argento, auroque decoratum inter reliqua ſuæ largitatis munera condonaret*. Sed non leve argumentum litterariæ hujus in Italia calamitatis ſuggerit epiſtola Gregorii II. Romani Pontificis, anno DCLXXX. cum Legatos ſuos miſit ad Concilium VI. generale: *Pro obedientia*, inquit, *quam debuimus, non pro confidentia eorum ſcientiæ, illos dirigimus. Nam apud homines in medio Gentium poſitos, & labore corporis quotidianum victum conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum ſcientia*. Subdit, ſe, ſuoſque ea tantum tenere cum ſimplicitate cordis, quæ tradita ſunt; ac ſtudere, ne quid minuatur, mutetur, vel augeatur. Patres quoque Concilii Romani eadem occaſione ita ſcripſerunt Imperatori: *Si ad eloquentiam ſæcularem* (reſpicimus) *non æſtimamus quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiæ glorietur, quandoquidem in noſtris regionibus, diverſarum gentium quotidie æſtuat furor*. Nec octavo ſæculo feliciora auſpicia nactæ ſunt litteræ. Imo ſummam in Occidente barbariem invaluiſse, pluribus tradit Baluzius in notis ad Reginonem Prumienſem. Idque colligi etiam poteſt ex Ca-

Digitized by Google

Canone VIII. Concilii Toletani VIII. ſæculo ſeptimo, quo Clericus ordinari prohibetur, qui ignoraverit Pſalterium, & Cantiones ſolemnes, & Baptiſmi cæremonias; ut proinde ad eccleſiaſticam eruditionem ſatis erat legere, & pſallere. Quin etiam canendi ars ſæculo octavo videtur litterarum, ac Philoſophiæ locum obtinuiſse. Unde, præſente Carolo Magno, de canendi arte graviter diſceptatum fuiſse, narrat in illius vita Monachus Engoliſmenſis: *Ecce orta eſt contentio per dies feſtos Paſchæ inter Cantores Romanorum, & Gallorum. Dicebant ſe Romani doctiſſime cantilenas eccleſiaſticas proferre, ſicut docti fuerant a S. Gregorio Papa, Gallos corrupte cantare, & cantilenam ſanam deſtruendo lacerare, quæ contentio ante Dominum Regem Carolum pervenit. Galli vero propter ſecuritatem Domini Regis Caroli valde exprobabant Cantoribus Romanis. Romani propter auctoritatem magnæ doctrinæ, eos ſtultos, ruſticos, & indoctos veluti bruta animalia affirmabant, & doctrinam S. Gregorii præferebant ruſticitati eorum.* Dignam ſane Romanis, Gallis, Imperatore controverſiam! Quapropter Carolus Magnus, accerſitis ex Britannia, ubi tunc vigebant artium liberalium ſtudia, viris doctis, ea tum in Italia, tum in Gallia reſtitui curavit. Et licet in Italia quædam tunc temporis Scholæ eſſent, ac in Caſtellis, viciſque Parochi docerent Grammaticam, uti ex quibuſdam Chartis Epiſcoporum Mutinenſium obſervat Clariſſimus Muratorius Diſſert. 43. Tomo 3. Antiquitatum Medii Ævi, tamen Scholæ nobiliorum diſciplinarum nullæ. Itaque hoc ævo, tenebris ignorantiæ involuto, nonniſi in Monaſteria Ordinis S. Benedicti, ſtudia liberalium artium, miſera tamen, veluti in aſylum ſe receperunt. Sunt qui hanc gloriam S. Benedicto adſcribunt qui cum in Regula ſua decreviſſet, ut qui initiari vellent ſacro Ordine, prius docerentur, occaſionem dederit erigendi in Monaſteriis eas Scholas, in quas litteræ, tam-

Digitized by Google

quam in latibulum quoddam ſeceſſerunt. Alii tamen receptæ huic opinioni refragantur, nihil illum ad litterarum culturam Regula ſua contuliſſe, quem averſo a litteris fuiſſe animo, colligunt ex Dialogo ſecundo S. Gregorii Papæ, ubi Benedictus dicitur Romæ liberalibus ſtudiis operam dediſſe, hiſque deſpectis, neſcium, & ſapienter indoctum receſſiſſe. Quæ vero paſſim referunt Scriptores de Romanorum nobilium filiis ſancto præceptori commiſſis, non ad inſtitutionem litterariam, ſed aſceticam, ad evitanda ſæculi vitia, ajunt referenda eſſe. Ipſam quoque S. Benedicti Regulam de Studiis liberalibus habere nihil, & lectionem, & meditationem aſceticam ſolummodo injungere, opus quoque manuum ſuis commendare, ad inſtar veterum Aſcetarum. Denique ita rem ſe habuiſſe in aliis Monaſticis Ordinibus illius ætatis, uti colligitur ex illorum Regulis a Luca Holſtenio editis, unumque Caſſiodorum *Inſtitutiones Divinas humanaſque* ſive *Lectiones* pro ſuis Monachis Vivarienſibus edidiſſe. Hæc utrinque diſputata legi poſſunt apud Conringium, Naudæum, Mabillonium. Illud tamen certum eſt, a ſæculo nono in Monaſteriis Benedictinorum viros doctiſſimos floruiſſe, ut proinde merito dici poſſit, illorum præſidio, quicquid litterarum quodammodo fuit, veluti a naufragio ſervatum fuiſſe. Ludovicus Pius, qui Carolo M. ſucceſſit, & cujus eruditionem in Græca & Latina lingua laudat Theganus, editis Capitularibus, Epiſcopos excitavit ad Scholas inſtruendas. Viciſſim ab eo petiere Epiſcopi in Concilio Pariſienſi VI. anno Chriſti DCCCXXIX. ut publicas erigeret Scholas, ne excideret fructus tot laborum, quibus Carolus Magnus, & ipſe, magnam ſibi gloriam comparaverant. Eaſdem publicas Scholas a Carolo Calvo Imperatore reſtaurari petierunt Concilium Valentinum III. anno DCCCLV. Can. 18. & Concilium Tullenſe apud Saponarias anno DCCCLV. At frequentes Normannorum incurſiones, & inteſtina Caro-

rolinorum Principum bella, incremento litterarum obſtiſtere, donec eas jamdiu neglectas Hugo Capitius revocaverit. In Germania hanc litterarum reſtaurationem Ottones Imperatores præſtitere. In Anglia debetur hæc gloria Alfredo Regi bonarum artium amantiſſimo, qui ſæculo nono, uſus opera Noeti Monachi, & aliorum doctorum virorum, quos e diſſitis regionibus accerſerat, litteras reſtauravit; quas deinde poſt Danorum incurſiones priſtino reſtituerunt ſplendori Henricus II. Richardusque. De litterarum in Italia, & Urbe fortuna dicendum mox erit.

III. Huic bonarum artium calamitati inducendæ cauſam, occaſionemque dediſſe Gregorium Magnum Pontificem graviſſimum, atque ſanctiſſimum, ut qui humaniores litteras, ac Philoſophiam contemſit, ut illarum loco ſtudia Scripturarum, artemque canendi ſubſtitueret, falſo opinatur Jacobus Bruckerus in Hiſtoria Philoſophiæ. Obſervat is Period. 2. Par. 2. Lib. 2. Cap. 2. jam a ſæculo primo obtinuiſſe, ut Aſtrologi, Genethliaci, Chaldæi, aliique hujus furfuris homines, abuſi honeſto Philoſophiæ nomine, ſe ſe jactarent Philoſophos, ac Mathematicos, & pro talibus quoque haberentur, uti conſtat ex pluribus Scriptoribus, præſertim Gellio Lib. 1. Cap. 9. Noctium Atticarum ajente: *Vulgus, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit*. Ea ſignificatio etiam ſæculo ſexto obtinuit, ut patet ex Titulo XVIII. Lib. x. Codicis Juſtinianei *De Maleficis & Mathematicis*; & ex Lib. IX. Codicis Theodoſiani *de Mathematicis Urbe Roma, ac omnibus Civitatibus pellendis & eorum Codicibus cremandis*. Hujuſmodi homines, etſi accepti vulgo, qui his ſtudiis delectari ſolet, exoſi tamen fuere Principibus, eorumque Miniſtris, quod ſæpe in vitam Principis agerent, & vaticiniis alerent animos rebellium. Hinc Urbe, & Imperio Romano ejecti, gravibuſque pœnis coerciti. Notatu digna-

gna ſunt verba Julii Firmici Lib. 1. Cap. 7. Mathem. *Cave quando de ſtatu Reipublicæ; vel de vita Romani Imperatoris aliquid interoganti reſpondeas. Non enim oportet, nec licet ut de ſtatu Reipublicæ aliquid nefaria curioſitate dicamus. Sed & ſceleratus, atque omni animadverſione dignus eſt, ſi quis interrogatus de fato dixerit Imperatoris, quia nihil nec dicere poterit, nec invenire .... Sed nec aliquis Mathematicus verum aliquid in fato Imperatoris definire poterit, ſolus enim Imperator ſtellarum non ſubjacet curſibus, & ſolus eſt, in cujus fato ſtellæ decernendi non habent poteſtatem. Cum enim fuerit totius Orbis Imperator, & dominus, fatum tum ejus Dei ſummi judicio gubernatur*. Eoſdem Eccleſia ſuis legibus perſtrinxit, præſertim, quia eorum ars ſexcentis eſſet ſuperſtitionibus involuta. Hinc *doctiſſimus Gregorius*, ait Joannes Sariſberienſis Policr. Lib. 2. Cap. 2. *qui melleo prædicationis imbre totam rigavit, & inebriavit Eccleſiam, Matheſim juſſit ab Aula recedere.* Imo addit Sariſberienſis, *ut traditur a majoribus incendio dedit probatæ lectionis ſcripta Palatinus quæcumque tenebat Apollo; in quibus erant præcipua, quæ cæleſtium mentem, & ſuperiorum oracula videbantur hominibus revelare*. Combuſſit nempe Bibliothecam ab Imperatoribus in Æde Apollinis juxta Palatium extructam, quæ cum ex parte, jam cœleſti igne tacta ſub Commodo conflagraſſet, tandem a Gregorio deleta eſt. Id vero feciſſe Gregorium, eo conſilio, ut Sacrarum Litterarum lectionem hominibus eo fortius commendaret, idem Sariſberienſis Lib. 8. Cap. 19. aſſerit: *Fertur tamen Beatus Gregorius Bibliothecam combuſiſſe gentilem, quo Divinæ Paginæ gratior eſſet locus, & major auctoritas, & diligentia ſtudioſior*. Hanc Sariſberienſis narrationem ex incerto rumore hauſtam Petrus Bayle in Dictionario, ac Joannes Barbeyracus in Tractatu de Morali Patrum, quamvis uterque ad contumelias propenſiſſimus,

Digitized by Google

mus, tamen dubiam, ſuſpectæque fidei habent. Factum tam inſigne Joannes Diaconus in illius vita minime ſiluiſſet. Attamen Bruchero probatur, quod Gregorium abhorruiſſe a prophanis litteris conſtet ex illius epiſtola ſcripta Viennenſi Epiſcopo Lib. 9. Ep. 48. *Pervenit ad nos, quod ſine verecundia memorare non poſſumus, fraternitatem tuam Grammaticam quibuſdam exponere. Quam rem ita moleſte ſuſcepimus, ac ſumus vehementius aſpernati, ut ea, quæ prius dicta fuerunt, in gemitum, & triſtitiam verteremus, quia in uno ſe ore Jovis laudibus, Chriſti laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque ſit Epiſcopis canere, quod nec laico religioſo conveniat conſidera.... Si poſthac evidenter ea, quæ ad nos perlata ſunt, falſa eſſe claruerint, nec vos nugis, & ſæcularibus litteris ſtudere conſtiterit, Deo noſtro gratias agimus, qui cor veſtrum maculari blaſphemis nefandorum laudibus non permiſit*. Ex his omnibus Brucherus affirmat, grave vulnus rei litterariæ Gregorium Pontificem inflixiſſe, quod exoſo Mathematicorum nomine, omnem Philoſophiam inuſſerit, quod optimos libros emedio tulerit, quodque ſæculares litteras veluti nugas, & blaſphemias habuerit. Atqui tamen hujus criminis Gregorius immeritiſſimus accuſatur. Neque enim illi inviſa fuit Philoſophia, vel eodem habuit loco Philoſophos, Chaldæoſque, qui, teſte Joanne Diacono in illius vita, in Pythagorica Philoſophia fuerat ab ephæbis verſatus. Neque optimos libros combuſſit, uti ſilente Joanne Diacono, Sariſberienſis narrat ex incerto rumore. Et licet combuſſiſſet, non alios tamen, quam eos, *in quibus erant præcipua, quæ cæleſtium mentem, & ſuperiorum oracula videbantur hominibus revelare*, ideſt fatidicos, Aſtrologicis vaticiniis plenos; cujus generis bis mille libros Auguſtus Imperator, narrante Svetonio, juſſerat igni tradi. Hinc & Matheſin juſſit ab Aula recedere, quam etiam Imperatores Urbe, & Imperio ejecerant, pœniſ-

niſque coercuerant. Neque averſatus eſt humanas litteras, veluti nugas, blaſphemiaſque, qui ipſis addiſcendis vacaverat, teſte Gregorio Turonenſi illius ævi Scriptore: *Litteris Grammaticalibus, Dialecticis, atque Rhetoricis ita erat inſtitutus, ut nulli in Urbe ipſa videretur eſſe ſecundus*. Quique liberales artes, & Latini ſermonis elegantiam, una cum Sacrarum Scripturarum ſtudiis in ipſo Pontificio Palatio excepit, coluitque, uti ex Joanne Diacono mox dicturi ſumus. Ægre tamen tulit Epiſcopum, neglecto graviſſimo munere ſuo, ſæcularibus litteris delectari potius, quam ſacris; tantoque illarum amore rapi, ut ipſe Grammaticam edoceret. Crimen erat Epiſcopo, potius Deorum laudibus, quam Chriſti oblectari, quod & laico crimen fuiſſet. Id etiam egre tulit Hieronymus etſi humanarum litterarum peritiſsimus ſcribens Damaſo: *Sacerdotes Dei omiſſis Evangeliis, & Prophetis videmus Comœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba canere, tenere Virgilium, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis*. Id etiam ægre tulit S. Auguſtinus Ep. 117. indignum exiſtimans Epiſcopo Eccleſiaſticis curis occupato explanare quæſtiones de Dialogis Ciceronis: *O rem*, ait, *dignam vigiliis, & lucubrationibus Epiſcoporum*. Et in Ep. 118. Cap. 34. ait, res, quæ in Ciceronis libris leguntur, minime congruere Epiſcoporum profeſsioni, non quidem per ſe ipſas, ſed prout a Cicerone depromtæ. Et rurſum Lib. 2. de Gen. ad litt. Cap. 34. ſcribit, diſputationes de ſyderum magnitudine, & intervallis, Epiſcopo minime convenire. Itaque Gregorio, uti & cæteris Patribus, mens fuit hortandi Epiſcopos, ut toti vacarent Divinis Scripturis, avocandique illos ab earum rerum ſtudio, quæ implendo muneri ſuo potuiſſent obſtare. Non quod ſæculares litteras per ſe ipſas ſpectatas veluti nugas, blaſphemiaſque exiſtimarent, ſed quod tales eſſent comparate ad Divinas Scripturas. Hinc etiam Gre-

Gregorius, teſte in illius vita Joanne Diacono, Epiſcopos prohibuit a Gentilium librorum lectione. Quod & a Concilio Carthaginenſi IV. Can. 16. fuerat ſancitum: *Ut Epiſcopus Gentilium libros non legat*. Cæterum doctiſsimi Eccleſiæ Patres in ſæcularibus litteris non leviter fuerunt verſati; & Baſilius librum edidit *de libris Gentilium legendis*, ubi ait, diſciplinas ſæculares inſtar habere foliorum, quibus ornantur arbores, & fructus muniuntur, ac conſervantur.

IV. Optaverat Caſsiodorus, & auctor fuerat Agapeto Papæ, ut Scholæ Theologiæ in Urbe conſtituerentur. Narrat enim in præfatione Divinarum Lectionum, ſe vehementer doluiſse, quod, cum in Urbe inſigniter efloreſcerent humanæ Litteræ, nulli tamen eſsent publici Magiſtri, qui ſacras Litteras profiterentur; *graviſſimo dolore permotus, quod Scripturis Divinis Magiſtri publici deeſſent*: Tum totis viribus apud Agapetum Papam egiſse, ut ne Romæ deeſsent publicæ Scholæ ſacracrarum rerum, ſimiles earum, quæ olim Alexandriæ, & quæ etiam tum Niſibi florebant: *Niſus ſum cum Beatiſſimo Agapito Urbis Romæ, ut ſicut apud Alexandriam multo tempore fuiſſe traditur inſtitutum, nunc etiam in Niſibi Civitate Syrorum Hebræis ſedulo fertur exponi, collatis expenſis in Urbe Romana profeſſos Doctores Scholæ potius acciperent Chriſtianæ, unde anima ſuſciperet æternam ſalutem, & caſto, atque puriſſimo eloquio, fidelium lingua comeretur*. Ad eam igitur uſque ætatem, nempe annnm DXXXV. quo Agapetus Pontifex ſedere cœpit, nullæ fuerunt in Urbe Theologicæ Scholæ publicæ, quamvis eſſent Scholæ, eæque inſignes humanarum litterarum. Quod, uti obſervat Baronius, traditione potiſsimum a majoribus derivata, ſacræ res inniterentur. Verum refellendis, & vincendis Hæreticis neceſse fuit doctrinam ſacrarum litterarum diligentius perſcrutari, ac communiri. Hinc optabat Caſsiodorus publicos Theo-

Digitized by Google

logicæ Diſciplinæ Profeſsores conſtitui; reſque ceſsiſset e voto, niſi ingruentia bella obſtitiſsent: *Sed cum propter bella ferventia, & turbulenta nimis in Italico Regno certamina, deſiderium meum nullatenus valuiſſet impleri, quoniam non habet locum res pacis, temporibus inquietis: ad hoc divina charitate probor eſſe compulſus, ut ad vicem Magiſtri introductorios vobis libros iſtos, Domino præſtante confecerim, per quos, ſicut æſtimo, & Scripturarum Divinarum ſeries, & ſæcularium litterarum compendioſa notitia Domini munere panderetur*. His verbis patet, Caſſiodorum non eas voluiſſe in Urbe Scholas ſacrarum rerum, quæ ſtudia excluderent humanarum litterarum, ſed quæ cum ipſis conſociarentur. Unde in Opere de Divinis Lectionibus, ubi palam facit, quibus clarere debeant ſtudiis Chriſtianæ Scholæ, minime prætermittit ſæculares diſciplinas; ſed ſacris inſtitutionibus adjungit librum de ſeptem diſciplinis Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia, quibus omnibus Monachos ſuos Vivarienſes jubet inſtituendos. Jam vero hanc ipſam Scholam ſacrarum ſimul, & humanarum litterarum, cujus ſtatuendæ auctor fuerat Caſſiodorus Agapeto Papæ, & quam in Urbe conſtitui temporum injuria minime permiſerat, Gregorius Magnus Summus Pontifex, labente ſexto ſæculo, in ipſis Ædibus Pontificiis collocavit. Narrat enim in ejus vita Joannes Diaconus, accerſitos a Gregorio in Palatium doctiſſimos quoſque a Clero, Monaſteriiſque, quorum plerique poſtea epiſcopalibus donati ſunt ſedibus, & quorum ſtudio Divinæ, & humanæ litteræ inſigniter in Urbe floruerunt. *Videbantur paſſim cum eruditiſſimis Clericis adhærere Pontifici religioſiſſimi Monachi ... Tunc rerum ſapientia Romæ ſibi Templum viſibiliter quodammodo fabricarat, & ſeptemplicibus artibus veluti columnis nobiliſſimorum totidem lapidum, Apoſtolicæ ſedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famu-*

mulantium barbarum quodlibet in ſermone, vel habitu preferebat, ſed togatu. Quiritium more, ſeu trabeata Latinitas ſuum Latium in ipſo Latiali Palatio ſingulariter obtinebat. Refloruerant ibi diverſarum artium ſtudia. Quæ de Latini ſermonis elegantia, quæ in Palatio vigebat, quæque de ſtudiis *diverſarum artium* ibi refloreſcentibus ſcribit Joannes Diaconus, ea apertiſſime indicant, non ſolis ſacris Litteris, verum etiam humanis, ſuum fuiſſe locum in Schola Palatii Pontificii. Idque clarius indicatur illis *ſeptemplicibus artibus*, quibus, veluti tot columnis, affirmat atrium Apoſtolicæ Sedis fulciri. Illarum quippe nomine deſignantur ſeptem artes liberales, quas Caſſiodorus ſacris Inſtitutionibus conjunxit, & quæ nomine trivii, & quadrivii expreſſæ ſunt medio ævo, nempe Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Muſica, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia. Fatendum igitur eſt, Gregorium ſuam inſtruxiſſe Scholam ad inſtar cæterarum Scholarum Epiſcopalium, & Chriſtianarum, in quibus ſacræ litteræ, ſimul cum humanis conjungebantur. Hinc a doctiſſimo Thomaſſino de Benef. Part. II. Lib. I. Cap. 95. dicitur tunc temporis Roma *domicilium diſciplinarum omnium ſacrarum, & Schola litterarum florentiſſima, ſicut & artium.* Hæc Palatina Schola diu viguit medio ævo, atque in ipſo erat Palatio Lateranenſi, ubi Summi Pontifices habitarunt. Ibi, ii qui ſacris erant Ordinibus initiandi, Divinis Scripturis, Eccleſiaſticicis Diſciplinis, atque Cantu inſtituebantur. Nam hiſce ſæculis ignorantiæ, tota litteratura, eaque exigua, Clericis, Monachiſque concludebatur. Sæpiſſime Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Romanorum Pontificum meminit hujus Scholæ in Patriarchio Lateranenſi, ubi Pontifices plurimi fuerunt ſacris litteris inſtituti. De Leone III. ſcribit: *Qui a parva ætate in veſtiario Patriarchii enutritus, & educatus, omnemque eccleſiaſticam Diſciplinam ſpiritualiter eruditus, tam in Pſal-*

terio, quam in ſacris Scripturis pollens, Subdiaconus factus &c. Et in vita Paſchalis I. ait: *Qui a primævo ætatis ſuæ Divino cultui mancipatus, atque in ſacroſanctæ Eccleſiæ Patriarchio, ſtudiis Divinis, ſalutiferæque Scripturæ imbutus, tum in Pſalterio, quam in ſacris paginis Novi ac Veteris Teſtamenti ſpecialiter eruditus.* Eadem fere habet in vitis Pauli I. Stephani II. Stephani III. Stephani IV. Gregorii II. Valentini, Sergii II. Benedicti III. qui omnes e Schola Palatii Lateranenſi prodiere. Et ſi qui in Monaſteriorum Scholis litteras didiciſſent, ad Lateranenſem deinde Scholam accedebant ſacris ſtudiis operam daturi. Ita de Leone IV. refert Anaſtaſius: *Hic primum a parentibus ob ſtudia litterarum in Monaſterium B. Martini Confeſſoris Chriſti, quod foris muros hujus Civitatis Romanæ juxta Eccleſiam B. Petri Apoſtoli inſtitutum eſt, quo uſque litteras ſacras plenius diſceret ſponte conceſſit*, indeque ad Lateranenſe Patriarchium ſe contulit. Erat & in Patriarchio Lateranenſi Bibliotheca, cujus curam habuiſſe Gregorium II. narrat in hujus Pontificis vita Anaſtaſius; quæque illic permanſit, donec ibi Pontifices habitarunt, translataque Avenionem Sede, libri eo translati ſunt, & nonniſi ſub Martino V. Romam reducti, uti ſcribit Raſponus in libro de Baſilica Lateranenſi. Fortaſſe Bibliothecarius imminebat Scholæ, uti indicare videtur in vita Stephani VI. Anaſtaſius: *Iſte quidem Beatiſſimus Pontifex nobilium parentum Romanorum proſapia ortus, dum per Dei gratiam creſceret, ſacris eſt edoctus dogmatibus ſtudio & ſollicitudine Zachariæ ſanctiſſimi Epiſcopi conſanguinei ſui, & Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarii. Quem ſcilicet cum inſpiceret piæ memoriæ Hadrianus Junior Pontifex moribus bonis pollentem, & litterarum ſtudiis ferventem a prædicto genitore ſuo eum auferens ad Subdiaconatus, Deo favente, gradum provexit.* In hac vero Lateranenſi Schola nedum viguiſſe ſtudia cantus, miniſteriique eccle-

cleſiaſtici, ſed præcipue Divinarum Scripturarum, atque ſacrarum Traditionum, indicat Anaſtaſius ſexcentis locis. Nam Pontifices in Lateranenſi Patriarchio eruditos affirmat Divinis Litteris, ſacriſque doctrinis. Unde tunc temporis Romana Schola ſacrarum rerum, erat omnium celeberrima, ad quam e diſſitis regionibus Clerici, Monachique confluebant. Narrat enim Beda Lib. IV. Cap. XXIII. Monachum quendam Anglum in Monaſterio Hildæ Abbatiſſæ Sacris Scripturis diſcendis incubuiſſe, tum eodem conſilio petiiſſe Cantiam, ut Theodorum Archieſcopum audiret, *ubi poſtquam aliquamdiu lectionibus ſacris vacavit, etiam Romam adire curavit, quod eo tempore magnæ virtutis æſtimabatur*. Romam quoque ſe contulit ſtudiorum cauſa notiſſimus ille Vilfridus poſtea Eboracenſis Archiepiſcopus, uſus Bonifacio Archidiacono præceptore, a quo & Eccleſiaſticas diſciplinas, & methodum feſtos dies computandi accepiſſe, narrat Beda Lib. V. Cap. XX. *Veniens Vilfridus Romam, & orationi, atque meditationi rerum Eccleſiaſticarum quotidiana mancipatus inſtantia pervenit ad amicitiam viri ſanctiſſimi, ac doctiſſimi Bonifacii videlicet Archidiaconi, qui etiam erat Conſiliarius Apoſtolicus Papæ, cujus magiſterio quatuor Evangeliorum libros ex ordine didicit, & computum Paſchæ rationabile, & alia multa, quæ in patria nequiverat, Eccleſiaſticis diſciplinis accomoda, eodem Magiſtro tradente percepit*. Quam ſcientiam detulit in Angliam. Ex his omnibus compertum eſt, in magna illa litterarum clade, quæ medio ævo Occidentem omnem involvit, ſacra ſtudia in Urbe minime deſiiſſe, & Scholam Lateranenſem a Pontificibus excitatam, ſervatamque, antiquo Athenæo, & veteri Auditorio Capitolii, ſi non in humanarum litterarum gloria, in ſacrarum tamen rerum ſtudio ſucceſſiſſe. Hinc doctiſſimus Thomaſſinus citato loco aſſerit, Romanam Scholam omnium ea tempeſtate fuiſſe præclariſſimam; & Clariſſimus Muratorius Diſſert. 43.

43. Antiquitatum medii ævi, enarrans calamitatem litterarum in Italia, fatetur in Urbe ſacrarum rerum ſtudia permanſiſſe. At præter Palatinam Scholam, alias non defuiſſe Romanis pueris Scholas liberalibus artibus addiſcendis, colligitur ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui in vita Hadriani I. narrat anno DCCLXXIV. Carolo Magno ad Urbem venienti obviam occuriſſe ad primum lapidem Scholam militiæ, & *Scholas puerorum, qui pergebant ad diſcendas litteras*, ramos olivarum geſtantes in lætitiæ argumentum, uti olim mos fuit.

V. Præter eccleſiaſticas diſciplinas, ſtudia artium liberalium pro illorum temporum conditione minime defierunt in Urbe, cum ex ea Carolus Magnus abduxerit in Galliam ad reſtaurandas litteras Profeſſores Grammaticæ, & Arithmeticæ. Teſtis eſt hujus rei Monachus Engoliſmenſis in vita Caroli Magni ad annum DCCLXXXVII. ubi narrata contentione, quæ Romæ fuit de cantu inter Romanos, Galloſque Cantores, & ut Carolus ſecum in Galliam duxerit Romanos Cantores duos, ſubdit: *Similiter erudierunt Romani Cantores ſupradicti Cantores Francorum in arte organandi, & Dominus Rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticæ, & Computatoriæ Magiſtros ſecum adduxit, & ubique ſtudium litterarum expandere juſſit*. Et rurſus infra: *Reverſus eſt in Franciam, adducens ſecum Cantores Romanorum, & Grammaticos peritiſſimos, & Calculatores*. Ut proinde, quemadmodum in Eccleſiaſtico Cantu Profeſſores Romani ætate illa excellebant, ita Profeſſores Grammaticæ, & Arithmeticæ; cum Carolus Magnus ſelectiſſimos quoſque ad ſtudia in Galliis renovanda adhibuerit, præſertim Alcuinum Anglum doctiſſimum, & Clementem Monachum Scotum. Jam vere duos illos Romanos Profeſſores Grammaticæ, & Arithmeticæ, a Monacho Engoliſmenſi memoratos, Petrum, Joannemque appellatos fuiſſe, atque abunde inſtructos ſeptem liberalibus diſci-

plinis

plinis teſtatur Enkecardus junior Monachus Sangallenſis in libro de Caſibus S. Galli Capite quarto. Medio ævo curſus omnis ſtudiorum ſeptem liberalibus diſciplinis aſſolvebatur, & harum nomine indicabantur Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Muſica, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia. Quapropter Romanorum Profeſſorum peritia, non in Grammatica ſolum, & Arithmetica, verum etiam in aliis illis diſciplinis, uti aſſerit Monachus Sangallenſis, verſabatur. Cum autem illos, juſſu Caroli Magni *ubique ſtudia litterarum expandiſſe*, ſcribat Monachus Engoliſmenſis, perſpectum ſit, Romanos Profeſſores ſeptem illis diſciplinis tradendis in Gallia incubuiſſe. Hinc Romanum Gymnaſium a Carolo in Galliam translatum ſcribit Joannes Balæus in libro de Scriptoribus Anglis: *Gymnaſium ex Roma circiter annum ſalutis DCCXCI. Lutetiam Pariſiorum tranſtulit, quod & illuc Athenis perſimili prius cura venerat, & conjectis primum ſtudii fundamentis per Joannem, & Claudium mirifice illud lecturis colluſtrabat publicis*. Huic conſonat Martinus Polonus in Hadriano Pontifice ad annum Chriſti DCCLXXXVII. *Hoc tempore, inquit, floret Albinus, qui & Alcuinus Caroli eruditor: hic genere Anglicus fuit, ingenio clarus, & Philoſophia excellentiſſimus, non tantum ſcientia, ſed etiam morum honeſtate præclarus. Ab eo Carolus didicit omnes artes liberales, qui etiam ſtudium de Urbe Roma Pariſios tranſtulit, quod de Græcia illuc translatum fuerat a Romanis*. Non Profeſſores ſoſum, ſed etiam libros ex Urbe in Galliam detulit Carolus Magnus. Legitur enim apud Ducheſnium in Hiſtoria Francorum epiſtola Hadriani Pontificis ad Carolum, qua dicitur: *Direximus etiam Excellentiſſimæ Præcellentiæ veſtræ & libros quantum reperire potuimus, ideſt Antiphonale, Reſponſale, inſimul Artem Grammaticam, Ariſtotelis, Dionyſii Areopagitæ libros, Geometricam, Orthographicam, Grammaticam, omnes Græco eloquio Scri-*

Scriptores, nec non & Horologium nocturnum. Unde patet, quanta tunc temporis fuerit in Urbe, & omni Occidente inopia librorum. Itaque Carolus acceptis ex Urbe libris, ac Profeſſoribus artium liberalium, uſus conſilio, & opera Alcuini viri doctiſſimi, extinctas in Gallia litteras conatu omni ſtuduit revocare. Et primo quidem ad inſtar Scholæ Palatii Pontificii, Scholam Palatinam excitavit, cui ipſum Alcuinum præfecit. Qui etiam in Turonenſi Civitate erexerat Scholam, & ipſemet docuerat Grammaticam, Philoſophiam, Aſtronomiam, ſacraſque Scripturas. Nam Divinarum rerum ſtudia cum ſtudiis artium liberalium copulanda eſſe, pluribus probabat Alcuinus. Tum aliæ plures erectæ Scholæ publicæ in Gallia, & Germania, quas recenſet Launojus in libello de Scholis celebrioribus a Carolo Magno vel inſtitutis, vel reſtauratis. Et obſervat Thomaſſinus de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina Part. 2. Lib. 1. Cap. 96. cura Caroli Magni, quadruplices tunc fuiſſe Scholas Presbyterales, Epiſcopales, Monaſteriales, & Palatinas; atque in iis ſtudia efferbuiſſe humanarum litterarum, Philoſophiæ, Arithmeticæ, Dialecticæ, Aſtronomiæ, Theologiæ, Canonum, & Scripturarum. Italiam quoque ſuis beneficiis complexus eſt. Nam Joannem Albinum Monachum Scotum miſit Papiam, teſte Monacho Sangallenſi, ut nobiliores edoceret ſcientias. Cum enim Scoti duo in ſæcularibus, & ſacris litteris verſatiſſimi, ex Hibernia in Galliam veniſſent, atque paratos ſe ad docendas mercede litteras teſtati eſſent; Carolus, his accerſitis, horum unum nomine Clementem in Galliam manere juſſit, pueriſque erudiendis præfecit; alterum in Italiam, Ticinumque ablegavit, *ut qui illic ad eum voluiſſent ad diſcendum congredi potuiſſent*. Hinc Papienſe Gymnaſium a Carolo Magno inſtitutum aſſerunt Middendorpius in libello Academiarum univerſi Orbis, aliique. Plura de hac re habet Antonius Gattus in libello de Gymnaſio Ti-

Ticinenſi, ubi tradit Scholas publicas Papienſes ante Carolum floruiſſe, reſtauratas tamen a Carolo circa annum DCCLXXX. miſſo Papiam Joanne Albino Scoto, cujus in Italiam, & Galliam adventum vindicat a cenſura Joannis Launoji. Reviviſcere igitur viſæ ſunt litteræ ætate Caroli Magni, pluresque fuere in Gallia inſignes Scholæ, Turonenſis, Lugdunenſis, Remenſis, & aliæ a Launojo recenſitæ; omnium vero celeberrima fuit Palatina quam ad inſtar Scholæ Palatii Pontificii excitaverat Carolus Magnus, & ubi tum alii, tum Rabdodus Epiſcopus Ultrajectenſis eruditus eſt liberalibus diſciplinis. De quo in ejus vita Surius, die 29. Novembris: *Primo ad Caroli Regis Francorum, inde ad Ludovici ejus Filii Aulam ſe contulit, non quod Palatinos ambiret honores: ſed quod intra Regis Palatium liberalium diſciplinarum ſtudia præclara colerentur. Præerat illi Gymnaſio Manno Philoſophus*. Et Regis Palatium dicebatur Schola, uti patet ex Can. 12. Concilii Cariſiacenſis anno DCCCLVIII. Quemadmodum igitur in Palatina Schola Regum Francorum, ſtudia tum ſacra, tum prophana excolebantur, ita & in Schola Palatina Lateranenſi, ad cujus exemplar illam Carolus compoſuerat. Proinde ambigendum non eſt, quin medio ævo fuerit in Urbe Schola publica ſacrarum, & humanarum litterarum; e qua Carolus Magnus Profeſſores bonarum artium abduxit in Galliam, ut extinctas litteras reſtitueret.

VI. Cujus quidem rei aliud eſt non leve argumentum, quod nempe curaverint Romani Pontifices in illa litterarum calamitate, Scholas ubique excitari publicas artium liberalium. Neque enim ipſi in Urbe principe eas permiſsiſſent Scholas deeſse, quas alibi ne deeſsent, ſummo ſtudio curarunt. Hæc ſemper fuit Romanorum Pontificum cura, ut vel procul diſsitæ gentes tenebris ignorantiæ involutæ, humanis, ſacriſque litteris erudirentur. Auctor eſt Beda Lib. 4. Cap. 12. a Vitaliano Pa-

pa, qui ſedere cœpit anno DCLVII. miſſos in Angliam Theodorum origine Græcum, & Adrianum Abbatem, a quibus Angli ſacram, humanamque ſcientiam accepere: *Et quia litteris ſimul Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ut diximus, abundanter ambo erant inſtructi, congregata diſcipulorum caterva, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina in rigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam Metricæ artis, Aſtronomiæ, & Arithmeticæ Eccleſiaſticæ diſciplinam inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus contraderent. Indicio eſt, quod uſque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis, qui Latinam Græcamque æque ut propriam in qua nati ſunt, norunt.* Artes illæ liberales vocantur *Eccleſiaſticæ* a Beda, quod Eccleſiaſticis diſciplinis conſociarentur, & deſeruirent. Illæ igitur in Urbe colebantur, & ex Urbe ad Angliam, Galliamque tranſmittebantur. Eaſdem in Scholis publicis Epiſcopalibus tradi, Summi Pontifices decreverunt. Concilium Romanum ſub Eugenio II. celebratum anno Chriſti DCCCXXVI: Can. 34. ſtatuit: *De quibuſdam locis ad nos refertur, non Magiſtros, neque curam inveniri pro ſtudio litterarum. Idcirco univerſis Epiſcopis, ſubjectiſque plebibus, & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur, ut Magiſtri, & Doctores conſtituantur, qui ſtudia litterarum, liberaliumque artium, ac ſancta habentes dogmata aſſidue doceant: quia in his maxime Divina manifeſtantur, atque declarantur mandata.* Confirmatum eſt idem Decretum a Leone IV. in Concilio Romano anno DCCCLIII. additumque, ut ſi quando deeſſent in Scholis hiſce, artium liberalium Profeſſores, ne Catechiſtæ certe deeſſent, & Theologi, qui ſacra docerent: *Etſi liberalium artium Præceptores in plebibus, ut aſſolet, raro inveniuntur, tamen Divinæ Scripturæ Magiſtri, & Inſtitutores Eccleſiaſtici Officii nullatenus deſint, qui & annualiter proprio Epiſcopo de ejuſdem actionis opere ſollieiti inquiſiti de-*

debeant reſpondere. Tanta tunc erat litterarum calamitas. In his igitur Scholis Epiſcopalibus conjungendæ erant humanæ litteræ ſimul cum Divinis. Atque ita rem ſe habuiſſe conſtat ex teſtimoniis Scriptorum illius ævi a Launojo congeſtis. Præſertim ex Trithemio in Chronico Hirſaugienſi ad annum DCCCCLII. ſcribente, in Scholis Epiſcopalibus, & Monaſteriorum præeunte Scholaſtico, ſive Profeſſore, præter ſacras litteras, curſum trivii, & quadrivii abſolutum fuiſſe. Nam medio ævo omnes artes in duas claſſes dividebantur, quarum inferior complectens Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam dicebatur curſus trivii, claſſis vero ſuperior complectens Muſicam, Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam dicebatur curſus quadrivii, uti conſtat ex Joanne Sariſberienſi. In Schola Eccleſiæ Paderbonenſis hæc viguiſſe ſtudia, tradit auctor vitæ S. Meinuerci Epiſcopi apud Surium, die 5. Junii: *In Paderbonenſi Eccleſia publica floruerunt ſtudia, quando ibi Muſici fuerunt, & Dialectici enituerunt, Rhetorici, clarique Grammatici. Ubi Mathematici claruerunt, & Aſtronomi habebantur, Phyſici atque Geometrici. Viguit Horatius, magnuſque Virgilius, Salluſtius, & Statius*. Atque alias quoqne Scholas Eccleſiarum, & Monaſteriorum, hæc fere ſtudia complexas eſſe, probat doctiſſimus Thomaſſinus.

VII. Eodem hoc nono ſæculo, revocandis in Italia litteris, & publicis Scholis conſtituendis, præter Romanos Pontifices, Lotharius Imperator, quem Ludovicus Pius ejus parens anno DCCCXXIII. in conſortium imperii adſciverat, & Italiæ regno præfecerat, ſuam operam contulit. Nam edito Capitulari, quod evulgavit Muratorius Tom. 1. Part. 2. Script. Ital. & Tom. 3. Antiqu. medii ævi, Diſſert. 43. ſtatuit, ut in omni Italia eſſent Scholæ quædam publicæ, ad quas e vicinis Oppidis adoleſcentes convenirent: *De doctrina vero, quæ ob nimiam incuriam atque ignaviam quorumque Præpoſito-*

 rum

rum cunctis in locis eſt funditus extincta, placuit, ut ſicut a nobis conſtitutum eſt, ita ab omnibus obſervetur. Videlicet ut ab his, qui noſtra diſpoſitione Artem docentes alios, per loca denominata ſunt conſtituti, maximum dent ſtudium, qualiter ſibi commiſſi Scholaſtici ita proficiant, atque doctrinæ inſiſtant, ſicut præſens expoſcit neceſſitas. Propter opportunitatem tamen omnium apta loca diſtincte ad hoc exercitium providimus, ut difficultas locorum longe poſitorum, ac paupertas nulli fieret excuſatio. Primum in Papia conveniant ad Dungallum de Mediolano, de Brixia, de Laudo, de Bergamo, de Novaria, de Vercellis, de Derthona, *de Aquis, de Genua, de Aſte, de Cuma. In Eboreja ipſe Epiſcopus hoc per ſe faciat. In Taurinis conveniant de Vighintimilio, de Albegano, de Vadis, de Alba. In Cremona diſcant de Regia, de Placentia, de Parma, de Mutino. In Florentia de Thuſcia reſipiſcant. In Firmo de Spoletinis Civitatibus conveniant. In Verona de Mantua, de Tridento. In Vicentia de Patavi, de Tarviſio, de Feltris, de Ceneta, de Aſilo. Reliquæ Civitates forum Julii ad Scholam concurrant.* Magnam litterarum calamitatem, ut in tanta Italiæ parte, nonniſi eſſent novem Scholæ publicæ, ad quas e diſſitis Civitatibus debuerunt ſe ſe adoleſcentes conferre. Atque in his Scholis *Ars* docebatur. Hujus autem nomine cenſet Muratorius Grammaticam indicari, quod ætate illa vix ullus eſſet in Italia uſus Rethoricæ; quod ordinatus Philoſophiæ, ac Theologiæ curſus in Scholis tradi cœperit nonniſi poſt annum milleſimum; quodque Divinarum Scripturarum ſtudia haud dici potuiſſent Artes. Sola igitur Grammatica in his Scholis a Lothario conſtitutis tradebatur. Verum tunc temporis Ars Grammatica humaniores quoque litteras, Poeſin, Oratoriam, & Hiſtoriam explicando veterum libros complectebatur. Quapropter Joannes Monachus in vita S. Odonis Cluniacenſis Abbatis circa annum DCCCCL. dicit hunc *Gramma-*

ticæ

ticæ artis liberalibus ſtudiis educatum. Notat quoque Muratorius ſingulis Scholis unum præfuiſſe Magiſtrum, & Ticinenſi quidem Gymnaſio Dungallum Monachum Hibernum, qui e Britannia, ubi tunc vigebat res litteraria, venit in Italiam, & Bobienſe Cænobium pluribus Libris ditavit, quique pro cultu SS. Imaginum contra Claudium Taurinenſem Epiſcopum diſputavit. At neque Romanorum Pontificum, neque Lotharii ſtudio aucta eſt in Italia res litteraria. Imo Claudius Taurinenſis Epiſcopus minime dubitavit Concilium quoddam Epiſcoporum Italiæ vocare Congregationem indoctorum virorum. Et cum ſæculo nono Carolus Calvus, uti ſcribit Herricus Monachus Antiſſiodorenſis in præfatione ad vitam S. Germani, doctos viros in Galliam acciret ad litteras promovendas, in Græcia quidem, & Hibernia eos perquiſiſſe dicitur, non autem in Italia. Tum ex Concilio Romano anno DCCCXXVI. colligitur abundaſſe Italiam Clericis indoctis, quos Concilium prohibet miniſterio, *ut docti valeant ad debitum miniſterium pervenire*. Et Epiſcopos ipſos inde monendos a Metropolitano, *ut doceri poſſint*. Romæ tamen haud extinctas fuiſſe litteras colligitur ex aliquibus doctis viris, qui tunc in Urbe floruere, Anaſtaſio, & Guillelmo Bibliothecariis, Joanne Diacono, aliiſque; & e Schola Lateranenſi, quæ adhuc perdurabat, & ubi inſtituti fuere Sergius II. Stephanus VI. aliique hujus ævi Pontifices. Beneventi quoque nec defuere litteræ. Nam Anonymus Salernitanus, quem edidit Muratorius Tomo 2. Part. 2. Scriptorum rerum Italicarum, ſcribit, quo tempore Ludovicus II. Beneventi erat circa annum DCCCLXXX. *triginta duos Philoſophos eam Urbem habuiſſe, ex quibus unus inſignis Ildericus nomine inter illos degebat, non ſolum liberalibus diſciplinis apprime imbutus, ſed etiam probæ virtuti deditus*. Opinatur Muratorius, ex commercio Græcorum, apud quos Barda Cæſar anno DCCCLIX. liberales

artes

artes revocaverat, tantam ſcientiæ copiam ad illos derivaſſe.

VIII. Sæculum decimum plane funeſtiſſimum nactæ ſunt litteræ. De hoc ſæculo Baronius: *Novum nunc inchoatur ſæculum, quod ſui aſperitate, ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia Scriptorum appellari conſuevit obſcurum.* Et Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. Cap. 12. ait hoc ſæculo nullum fuiſſe indoctius, infeliciuſque. Scribit quoque Carolus Sigonius de Regno Italiæ Lib. 7. Cap. 178. hoc ſæculo, *litterarum ſtudia fuiſſe ferre nulla, niſi Philoſophiæ, & Theologiæ; nam Jus Civile Romanum uſque ad Lotharium Imperatorem prope Italiæ fuit incognitum, & Medicorum uſus ſemper fuit major, quam dignitas, Poetæ, & Oratores, ſi qui hoc nomine digni erant, ſibi potius, quam populo canebant. Qui vero cæteris antecedere eloquentiæ laude, ac varia litterarum doctrina putabantur, ii plerique Monachi erant.* At neque Philoſophiæ honorem ullum fuiſſe, probat Bruckerus, tum quia totus eruditionis ambitus abſolvebatur circulo trivii, & quadrivii, omiſſa Philoſophia, tum quia plerique etiam quadrivium non attingebant. Pluresque adducit cauſas Bruckerus neglectæ in curſu artium Philoſophiæ, quod nempe artes liberales, cum in Monaſteriis, & Cathedralibus traderentur, hinc ad ſacra ſtudia ordinabantur; quodque libri Philoſophici expoſcerent notitiam Græcæ Philoſophiæ, cum tamen in illis ignorantiæ ſæculis nullus Græce doctus eſſet. Aliam cauſam ſubdit ex Chriſtiano Thomaſio cur Mathematicæ, & Philoſophiæ cura pauciſſimos tangeret, nempe *parum utile viſum fuiſſe Clero, & Monachis, ut laici in talibus ſcientiis profundius informarentur, aut exercerentur, quæ omnem auctoritatem humanam reſpuunt, & vel rationes palpabiles, vel aſſenſum ſenſus communis deſiderant, quales præ cæteris ſunt ſcientiæ mathematicæ.* Accedit, ma-

Digitized by Google

magnam tunc temporis fuiſſe in Clericis, laiciſque morum corruptelam. Clericorum tanta fuerunt vitia, ut Ratherius Veronenſis Part. 2. de contemtu Canonum dixerit, Italicos præ ceteris contemnere Clericos, & Canones, quia præ cæteris Clerici Itali luxuriæ, & gulæ deſervirent, & nonniſi barba, ac veſte a laicis diſtinguerentur. De Romanis ſcribit Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis, & Legatus Ottonis Magni ad Græcorum Imperatorem: *Eos nos Longobardi tanto dedignamur, ut inimicos noſtros, commoti, nil aliud contumeliarum, niſi, Romane, dicamus*. Cenſet Muratorius ad litterarum perniciem non mediocriter etiam contuliſſe penuriam Chartæ, & librorum. Nam Ægyptiacæ Papyri jam tunc rariores erant in Occidente, occupata a Saracenis Ægipto, & abrupto commercio inter Orientem, ac Occidentem. Solæ itaque ad ſcripturam ſupererant Chartæ Pergamenæ, ſeu Membranæ, quarum uſus fuerat antiquiſſimus, quæque carius emebantur, ut ſæpe in eadem membrana, oblitteratis antiquis characteribus, novi ſcriberentur. Libri quoque rari, & magno in pretio, ac ex barbarorum incurſione rariores facti. Jam diximus Carolum Magnum ab Adriano Pontifice petiiſſe, ac obtinuiſſe libros, eoſque paucos, *quantum reperire potuit*. Idipſum colligitur ex epiſtola Lupi Ferrarienſis ad Benedictum III. circa annum DCCCLV. a quo petiit in Galliam mitti *Commentarios B. Hieronymi in Hieremiam*, *Tullium de Oratore*, *duodecim libros Inſtitutionum Oratoriarum Quintiliani*, *Donati Commentarium in Terentium*, quos libros promittit ſe reddituros. Hinc vel librum donare tunc temporis, plurimi erat. De Stephano V. tamquam magnum aliquid dicitur in ejus vita apud Muratorium Tom. 3. Script. Ital. donaſſe Eccleſiæ S. Pauli *librum Commentariorum Prophetarum*, *librum geſtarum rerum*, *librum Comitem*, ideſt Ritualem. Et idem Muratorius exhibet epitaphium inſculptum tumulo Gregorii

gorii Cardinalis Tituli S. Clementis, in hac Eccleſia in Urbe inventum, ubi tamquam magnum donum notatur, Eccleſiæ ſuæ ad uſum Clericorum dediſſe libros Veteris, ac Novi Teſtamenti. Vixit is circa annum DCCXLIII. Et Turrigius in Crypt. Vatican. Par. 2. Cap. 8. duas antiquas donationes exhibet marmore inſcriptas in Urbe, in quarum una Theubaldus quidam dono dedit Eccleſiæ S. Valentini ſub Joanne IX. *Miſſalem unum, Antiphonaria duo, unum Diurni, aliumque Nocturni Officii, Feriales duos, Librum Geneſeos, cum Hiſtoriis Canonicis, Paſſionarium, Dialogum cum Scintillario, Innaria duo, librum ex Moralibus*. In alia vero inſcriptione Romanus Presbyter ſe donaſſe ait Eccleſiæ S. Nicolai in Carcere *quinque libros Deptatico, Moralia Job, Bedam ſuper Pſalterium, Librum Prophetiarum, Librum ſermonum, unum librum Concordiæ, librum Manualem*. Ex hac librorum inopia, magnam cladem litteris inferri debuiſſe, perſpectum eſt. In tanta autem clade, aliquas fuiſſe in Italia Scholas publicas, tradit Ratherius Epiſcopus Veronenſis in Spicilegio Dacheriano, his verbis: *Pone quemlibet Nobilium Scholis tradi, quod utique hodie magis ambitu fieri videtur Epiſcopandi, quam cupiditate Domino militandi:* Et Atto Epiſcopus Vercellenſis circa annum DCDL. in ſuo Capitulari Cap. 61. in Spicilegio Dacheriano ſtatuit: *Presbyteri etiam per Villas, & Vicos Scholas habeant & ſi quislibet fidelium ſuos parvulos ad diſcendas litteras eis committere vult, eos ſuſcipere, & docere non renuant, ſed cum ſumma eos caritate doceant*. Unde patet, Parochorum munus fuiſſe Scholas habere publicas, in quibus non Clerici ſoli, ſed pueri quilibet, litteris erudirentur. Et notat Muratorius, inter alia munia Parochialia medio ævo recenſeri *Scholas habere, Pueros edocere*. Sed quænam eſſet tunc temporis Italorum litteratura, edicit Glaber Rodulphus qui circa annum MXLV. ſuas ſcripſit Hiſtorias a Ducheſ-

nio

Digitized by Google

nio editas: *Ipſo quoque tempore* (anno nempe M.) *apud Ravennam quidam Vilgardus dictus ſtudio Artis Grammaticæ magis aſſiduus, quam frequens, ſicut Italis ſemper mos fuit Artes negligere cæteras, illam ſectari.* Hinc paucos Italos doctos tulit hæc ætas, Attonem Vercellenſem, Luitprandum Ticinenſem, alioſque nonnullos. Romæ quidem hoc ſæculo jacuiſſe litteras, & librorum raritas, & morum corruptela, & frequentes in eligendis Pontificibus diſſenſiones ſatis oſtendunt. At non tanta invaluit ignorantia, quantam effingit Arnoldus Epiſcopus Aurelianenſis in Conciliabulo Remenſi ajens, uti apud Baronium legitur ad annum DCCCCXCII. *Quum Romæ hoc tempore nullus pene ſit (ut fama eſt) qui litteras didicerit, ſine quibus, ut ſcriptum eſt, vix Oſtiarius efficitur, qua fronte aliquis docebit, qui minime didicit*: Quæ ex maledicentia prolata eſſe probat Baronius, cum in altero Concilio Remenſi paulo poſt celebrato, Leo Apoſtolicæ Sedis Legatus tanta valuerit doctrina, ut ipſum Arnoldum confutaverit, atque Patres Concilii a priori ſententia diſcedere impulerit. Addi poteſt Ratherii Veronenſis Epiſcopi teſtimonium in ſuo Itinerario, ubi ait: *Qua ignorantia, quo melius exui, quo aptius poſſum, quam Romæ doceri? Quid enim de Eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur, quod Romæ ignoratur? Illic ſummi, illic totius Orbis Doctores &c.* Certe reviviſcere quodammodo cœperunt in Urbe litteræ, anno DCCCCXCIX. cum Gerbertus, quem alii Aurelianenſem, alii Italum faciunt, inſignis Philoſophus, & Mathematicus, præceptor Roberti Galliæ Regis, & Ottonis III. Imperatoris, Abbas primum Bobienſis, deinde Rhemenſis, & Ravennæ Archiepiſcopus ſupremum Pontificatum iniit ſub nomine Silveſtri II. Qui cum in Italia, & Germania moraretur, Codices omnium diſciplinarum collegerat, tum ad ſua ſtudia, tum ad Monachorum uſum, uti patet ex ejus epiſtolis a Ducheſnio, & in Bibliotheca

Digitized by Google

Patrum editis. Nam in epiſtola 44. ad Ecbertum Abbatem Turonenſem ſcribit: *Bibliothecam aſſidue comparo, & ſicut Romæ dudum, ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque, & Belgio Scriptorum, Auctorumque exemplaria multitudine nummorum redemi.* Et in epiſtola 130. ad Raymundum Monachum: *Noſti quanto ſtudio librorum exemplaria undique conquiram. Noſti, quot Scriptores in Urbibus aut agris Italiæ paſſim habeantur: Age ergo fac, ut mihi ſcribantur Manilius de Aſtrologia, de Rhetorica.* Eumdem curaſſe, ut a Gallia in Italiam mitterentur Scholaſtici, conſtat ex ipſius epiſtola ad Ecbertum Archiepiſcopum Trevirenſem: *Si deliberatis an Scholaſticos in Italiam ad nos uſque dirigatis, conſilium noſtrum in aperto eſt, quod laudabiliter laudabimus, quod feretis, feremus.* Nomine Scholaſticorum intelligendi ſunt Scolarum Magiſtri, quo nomine ipſe Gerbertus vocatur in quadam ipſius epiſtola edita a Mabillonio inter vetera Analecta; tum in aliis ſuis epiſtolis ſe Scholaſticum inſcribit. Gerberti doctrinam præſertim in Philoſophia, & Mathematica Trithemius, aliique Scriptores commendant, adeo ut meruerit Philoſophus appellari. Cum vero Mathematicarum rerum eſſet peritiſſimus, & machinarum hydraulicarum artificiis ſtuporem iniiceret, contigit ex illius ſæculi inſcitia, ut magiæ criminis accuſaretur. Cujus quidem calumniæ a Bennone Cardinali ſæculo undecimo in ſcenam productæ, in Henrici IV. Imperatoris gratiam contra Gregorium VII. & a Sigeberto Gemblacenſi, ac Martino Polono arreptæ, falſitatem demonſtrarunt viri docti variis argumentis, præſertim ex ſilentio Scriptorum coævorum, & laudibus, quibus Gerbertum extulerunt. Is igitur in Italia, & Urbe, quemadmodum Otto Imperator in Germania, pro illorum temporum conditione, aliquem bonis artibus honorem conſervavit.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

DE GYMNASIO ROMANO SÆCULO DECIMO TERTIO

Romanorum Pontificum cura de reſtaurandis Scholis II. Et Imperatorum. III. Quæ fuerit his temporibus rei litterariæ facies in Italia. IV. Studium utriuſque Juris Innocentius Quartus in Urbe ſtatuit. V. Honorius Tertius inſtituit Scholam, & Magiſtrum Sacri Palatii. VI. Albertus Magnus, & Sanctus Thomas Aquinas docent in Schola Sacri Palatii. VII. Beatus Ambroſius Sanſedonius reſtaurat in Urbe ſtudia Theologica. VIII. De Lectoribus Sacri Palatii.

I. Bonarum artium ſtudiis, quæ Silveſter II. Romanus Pontifex, & Otto Imperator excitaverant, obſtitiſſe videntur ſæculis undecimo, & duodecimo, barbararum gentium irruptiones, & frequentes in Palæſtinam expeditiones, quæ Epiſcopos, Principes, Clericos, Laicos occuparunt. Non defuit tamen litteris Romanorum Pontificum patrocinium, quorum decretis ſæpiſſime cautum erat, ne deeſſent publicæ Scholæ in Eccleſiis Cathedralibus. Gregorius VII. in Concilio Romano, anno MLXXIII. juſſit, ut *omnes Epiſcopi artes litterarum in ſuis Eccleſiis doceri facerent*. Mediolanenſem hujuſmodi Scholam prope S. Ambroſii Eccleſiam, ubi Clerici vacabant Philoſophiæ, memorat Landulphus in Hiſtoria Mediolanenſi edita a Muratorio inter Scriptores rerum Italicarum. Juſſit & Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. celebratum anno MCLXXX. Cap. 18. ut in Eccleſiis omnibus Cathedralibus Magiſter conſti-

ſtitueretur, *qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ*, *& Scholares pauperes gratis doceat*, cui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum eſſet concedendum, ne a ſuis diſcipulis mercedem accipere cogeretur. Additum, ut in Eccleſiis, ac Monaſteriis illis, Scholæ reſtaurarentur, quæ forte temporum injuria deſiiſſent. Decreta hæc confirmavit Alexander III. Cap. *Quia nonnullis*. Titulo *De Magiſtris*, ſtatuitque, ut nedum in Cathedralibus Eccleſiis, verum etiam in aliis, Magiſter eſſet, *qui Clericos ipſarum Eccleſiarum*, *& aliarum gratis in Grammatica facultate*, *ac aliis inſtruat juxta poſſe*; utque in Metropolitana Eccleſia docendis Sacris Litteris Theologus præficeretur. Ab eodem Pontifice pluribus epiſtolis Decretalibus cautum eſt, ne aliquid pretii exigeretur pro concedenda facultate docendi, & ut hæc facultas idoneis viris minime denegaretur, ut in Cap. *Quanto*, Titulo *De Magiſtris*: *Eis diſtricte præcipiatis*, *ut quicumque viri idonei & litterati volunt regere ſtudia litterarum*, *eos ſine moleſtia*, *& exactione qualicumque ſcholas regere patiantur*. Quæ omnia ad majus faciliuſque litterarum incrementum ſpectabant. Neque hæ Scholæ, quas in Eccleſiis eſſe Romani Pontifices imperabant, ſolis patebant Clericis, patebant enim & laicis, uti indicant illa Concilii Lateranenſis verba: *qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ*, *& Scholares pauperes gratis doceat*. Præterea Lateranenſes Patres ſe eo Conſilio ad haſce Scholas promovendas adduci affirmant, quo perſpectum ſit, eos tum Clericis, tum laicis conſulere voluiſſe: *Quoniam Eccleſia Dei*, inquiunt, *& iis*, *quæ ſpectant ad ſubſidium corporis*, *& in iis*, *quæ ad profectum animarum proveniunt*, *indigentibus*, *ſicut pia mater providere tenetur*, *ne pauperibus*, *qui parentum opibus juvari non poſſunt*, *legendi*, *& proficiendi opportunitas ſubtrahatur*. Quæ Epiſcoporum cura certe univerſos complectitur. Cæterum raros fuiſſe per hæc tempora Magiſtros Theologiæ, indicat Honorius III.

Cap.

Cap. *Super ſpecula* Tit. *De Magiſtris*, ubi renovans Concilii Lateranenſis decretum, ait: *quia ſuper hoc propter raritatem Magiſtrorum ſe poſſent forſan aliqui excuſare, ab Eccleſiarum Prælatis, & Capitulis ad Theologiæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur, qui cum docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodum copia poſſit haberi Doctorum*.

II. Huic Romanorum Pontificum ſtudio de Scholis, litteriſque reſtaurandis acceſſit ſimile ſtudium nonnullorum Imperatorum, quorum auctoritate excitatæ ſunt hoc ævo plurimæ Academiæ, ſive Univerſitates. Nam Scholæ illæ publicæ olim a Lothario I. in Italia erectæ, uti obſervat Clariſſimus Muratorius Diſſert. 44. Tom. 3. Antiqu. medii ævi, nec Univerſitates, nec Academiæ dici proprie potuere; quod unus in illis Magiſter incumberet litteris edocendis, quemadmodum Ticini unus Dungallus, Eporediæ unus Epiſcopus; atque adeo Academiarum in Italia reſtauratio, poſt extinctum Romanum Imperium, ad hæc tempora eſt referenda. Sæculo duodecimo, Juris Romani ſtudium ubique cœpit invaleſcere. Cum enim Piſani, qui claſſe adiuverant Lotharium Imphratorem contra Rogerium Ducem Apuliæ bellum gerentem, inopinato reperiiſſent Amalphi Digeſtorum Libros, ac Piſas adſportaſſent, quos deinde initio ſæculi decimiquinti, Florentini in patriam detulere; cumque iiſdem temporibus, repertus fuerit Ravennæ, quæ Civitas longo tempore Romanis legibus vixerat, Conſtitutionum Imperialium liber, & inde cæteri libri Juris, imo & Digeſtorum aliud exemplar in lucem venerit; hinc Jus Romanum poſt diuturnum exilium, oblivionemque rediit in Italiam, revixitque. Sunt tamen viri clariſſimi, qui, affirmantibus aliis, negant Pandectarum Codicem a Piſanis apud Amalphim repertum. Et Muratorius teſtis eſt, ante annum MCXXXV. quo inventus eſt Codex Amalphi-

phitanus, libros Digeſtorum notos aliquibus in Italia fuiſſe, ac adductos in Charta quadam anni DCCLII. pro Epiſcopo Aretino contra Epiſcopum Senenſem. Ut ut res iſtæc ſe habuerit, certum eſt duodecimo ſæculo Jus Romanum in Italia e tenebris emerſiſſe, & Italorum ſtudia ad illius interpretationem, ac uſum continuo exarſiſſe. Nam Lotharius Imperator publico edicto in omnes Imperii regiones emiſſo decrevit Jus Romanum in Scholas publicas, inque omnia Tribunalia admitti, ex eoque impoſterum cauſas judicari, deletis legibus Longobardorum, & veſtigiis priſtinæ ſervitutis. Primam autem Juris Civilis Scholam aperuit Bononiæ, ſtatuitque Profeſſorem Irnerium, qui tam egregii facinoris auctor fuerat Imperatori. Qui cum Græcam linguam didiciſſet, Juris quoque ſcientiam ex Urbe Conſtantinopolis ſecum in Italiam aduexiſſe creditur; ibi namque adhuc patebant tum cæterarum artium Scholæ, tum præcipue Juris Civilis, quod ſuppreſſis Latinis Juſtiniani libris e Græcis Baſilicorum Codicibus promebatur. Itaque duodecimo ſæculo, Italia, & præcipue Bononienſis Schola excelluit ſtudio Juris Romani, ut ab Anonymo quodam, quem vulgavit Muratorius Tom. 5. Script. Ital. in libro de bello & excidio Comenſis Civitatis ad annum MCXXVII. Bononia jam docta vocetur. Unde coniicit Muratorius, jam ante inventum Codicem Pandectarum, & ſub finem undecimi ſæculi Irnerium Bononiæ docuiſſe. An aliæ quoque diſciplinæ in Schola Bononienſi tum traderentur, ſatis non conſtat. Cenſet doctiſſimus Muratorius anno MCCVIII. Boncompagnum Florentinum fuiſſe primum Grammaticæ, & humaniorum Litterarum Profeſſorem. Sigonius in Hiſtoria Bononienſi ad annum MCCXIX. memorat Honorii III. epiſtolam ad Epiſcopum Bononienſem, *ut Theologiæ ſtudium in Urbe aleret, neque Religioſos, aut Juri Civili, aut Phyſicæ operam dare permitteret*. Tantaque fama claruit Bononienſis Schola, ut Odolfre-

Tabulae.

Mire sibi contradicit.

Immo maxima confusio

fredus, qui anno MCCLXII. ibi Leges docebat, ſcripſerit: *Vidi ego Bononiæ, ætate Domini Azonis, quum Scholares poterant vitare forum in cauſa criminali, & aderant eo tempore ferme decem millia Scholarium.* Quod quidem cum Bononienſis Civitatis potentiam quamaxime augeret, hinc Profeſſores adigebantur ſacramento, nullibi niſi Bononiæ Juriſprudentiæ Scholam habituros, neque ullo modo auctores futuros, ut Bononienſis Scholæ gloria minueretur. Hujus juramenti exempla quædam ex Archivo Bononienſi depromta exhibet Muratorius. Id tamen impedire non potuit, quin plures viri docti alibi docuerint. Seculo decimo tertio inſignis fuit Schola Legum Mutinæ, Profeſſore Guidone de Luzaria, quem deinde Carolus I. Andegavenſis Neapolim acceſſivit. Celebre etiam fuit Gymnaſium Patavinum in odium Bononienſium a Friderico II. erectum anno MCCXXII. edito Diplomate, quo revocavit Conſtitutionem latam de Studio & Studentibus Bononiæ. Ab eodem Imperatore reſtaurata eſt Neapolitana Academia ad hæc uſque tempora celeberrima. Aliæ quoque publicæ Scholæ in Neapolitano Regno erectæ, uti teſtatur Nicolaus de Jamſilla Tom. 8. Script. rerum Ital. *Ipſe vero Imperator liberalium artium, & omnis approbatæ ſcientiæ Scholas in Regno ipſo conſtituit, Doctoribus ex diverſis Mundi partibus per præmiorum liberalitatem accitis.* Celebres etiam fuere his temporibus in Italia Academiæ Florentina, Piſana, Peruſina, Ferrarienſis, & aliæ, de quibus agit Middendorpius in libello Academiarum totius Orbis. Quo autem ritu Doctores ad publicum docendi munus acceſſerentur, habetur ex Charta quadam an. MCCXX. edita a Muratorio, qua Jacopinum de Ruffinis Parmenſem ad publicam Juris Civilis in Gymnaſio Patavino profeſſionem Prætor Patavinus invitavit. Denique Academiarum in Italia ſplendori non parum contulit Fridericus Ænobardus Imperator, lata anno MCLVIII. Authentica

Suzaria,

Prius constitutionem edidit qua scholas Bononienses interdicebat. Post annos aliquot eam revocavit.

ea *Habita*, quæ extat in Codice *Ne filius pro patre*. Ea enim libera permiſit itinera, cauſa ſtudiorum: *omnibus, qui cauſa ſtudiorum peregrinantur Scholaribus, & maxime Divinarum atque ſacrarum Legum Profeſſoribus hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus exercentur ſtudia litterarum, tam ipſi, quam eorum nuncii veniant, & in eis ſecure habitent*: vetuit illis aliquam injuriam irrogari, illorumque negotia permiſit, vel ab Epiſcopo, vel a Rectore Gymnaſii definiri. Sunt qui putant latam hanc ſanctionem a Friderico II. Imperatore, ſed anno MCLVIII. is imperio minime præerat.

III. Cæteris liberalibus Diſciplinis haud tanta fuit in Italia fortuna, quanta fuerat Juri Romano. Narratur a Leone Oſtienſi in Chronico Caſſinenſi Lib. 2. cap. 33. *In Synodo Romana neminem Berengario valuiſſe obſiſtere, ideoque Albericum evocatum fuiſſe ad Synodum, eumque poſt multos verborum conflictus, cum neuter cederet, unius hebdomadæ acceptis induciis, librum adverſus Diaconum edidiſſe, & omnes ejus aſſertiones deſtruxiſſe.* Et Sigebertus ſcribit, Albericum præſtantis doctrinæ virum, quod Berengarii facundiæ in dicendo reſiſtere non potuiſſet, ſpatium dierum ſeptem ad reſpondendum petiiſſe. Hunc Albericum poſtea Cardinalem Petrus Diaconus in libro de viris illuſtribus Caſſinenſibus vocat ſingularem illis temporibus virum, & Philoſophum inſignem. A Baronio tamen ad annum MLIX. hæc narratio exploditur. Certe tamen ætate illa Dialectica inter artes liberales præcipuum habebat locum, atque in hac palæſtra Berengarius cum aſſeclis ſuis præcipue fuit verſatus. Hinc ex innumeris quæſtionibus ope Dialecticæ excogitatis, enatum novum genus philoſophandi, quod vocatur Philoſophia Scholaſtica, quia e Scholis Monaſterioaum, in quibus Dialecticæ argutiæ vigebant, prodiit. Præſertim in Schola Pariſienſi duodecimo ſæculo obtinuit

Digitized by Google

nuit Dialecticæ ſtudium, teſte Abaelardo in Hiſtoria calamitatum ſuarum, qui in hac diſciplina fuit omnium verſatiſſimus. Et ad audiendum Abaelardum ex Urbe quoque confluebant Pariſios adoleſcentes, uti Fulco in epiſtola ad ipſum data teſtatur: *Roma tibi ſuos docendos tranſmittebat alumnos; & quæ olim omnium artium ſcientiam auditoribus ſolebat infundere, ſapientiorem te ſe ſapiente, tranſmiſſis Scholaribus monſtrabat.* Addit ex Anglia, aliiſque diſſitis regionibus adoleſcentes, ut erudirentur in Dialecticis Abaelardum adiiſſe. Quamvis tamen per hæc tempora paucos Litteræ habuerint in Italia cultores; habuere tamen aliquos, præſertim Lanfrancum, & Anſelmum, quorum opera, uti olim, ita etiam hac ætate, ex Italia in Galliam, Britanniamque tranſmigrarunt Litteræ. Teſtis eſt Guilelmus Malmesburienſis libro 1. de Geſtis Anglorum, Lanfrancum *liberales artes, quæ jamdudum ſorduerant e Latio in Gallias vocaſſe, & acumine ſuo expoliviſſe*. Et Guitmundus Epiſcopus Averſanus in libro de veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti ait: *Per Domnum Lanfrancum, virum æque doctiſſimum liberales artes Deus recaleſcere, atque optime reviviſcere fecit.* Eadem fere habet Guillelmus Gemmeticenſis lib. 6. Hiſtoriæ Normannorum. Tunc Pariſienſis Schola aſſurgere cœpit, Italis quoque ad eam confluentibus, cauſa addiſcendi Diſciplinas illuc a Lanfranco advectas. Et hujus quidem diſcipuli fuere Alexander II. & Gregorius VII. Pontifices Summi. Tantaque doctrinæ fama celebris erat Pariſienſis Schola, ut teſte Ottone Friſingenſi Lib. 1. Cap. 45. de geſtis Friderici I. quum ſuſpectæ quædam propoſitiones Giberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi delatæ eſſent ad Eugenium III. Papam anno MCXLVI. is reſponderit: *Se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter litteratorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoſcere.* Sed

ad Italiam ut redeamus, ibi a ſæculo duodecimo viguit Studium Juris Romani. Patet ex Pancirolo in libro de Claris Legum Interpretibus, plures tunc temporis floruiſſe Juriſconſultos, variiſque in Italiæ Gymnaſiis docuiſſe. Dialectica ſuum habuit locum. Huic acceſſit ſtudium librorum Ariſtotelis, qui in Arabicum verſi pervenerant in Occidentem; & aliorum Orientalium librorum, quos Conſtantinus Monachus Caſſinenſis peritiſſimus Orientalis ſcientiæ aduexit in Italiam. Hinc errores illi erupere, quos enumerat Joannes Franciſcus Buddeus in libro de Hæreſibus ex Philoſophia Ariſtotelica ortis. Hinc etiam in Academia Pariſienſi proſcripti Ariſtotelis libri phyſici, ac metaphyſici, cum a Cardinali Roberto de Corceone, cui demandata fuerat cura reformandæ Academiæ, tum a Simone Cardinali Legato Gregorii IX. de qua re videndus Launojus in libro de varia Ariſtotelis fortuna. At in Italia, & alibi non eadem fuit Ariſtotelis fortuna. Nam in Germania, & Italia eos vulgari curavit Fridericus II. Imperator magnus Litterarum patronus, qui Galeni, Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum Opera e Græco, & Arabico verti imperaverat. Extat apud Petrum de Vineis Lib. 3. ep. 69. hujus Imperatoris epiſtola ad Bononienſes Profeſſores, qua eis libros plures Philoſophicos tranſmittit. Tum in Academiis Bononienſi, Patavina, Ferrarienſi, Neapolitana lectus Ariſtoteles, inualuitque Philoſophia Paripatetica Saracenica. quam in Germania Albertus Magnus, & in Gallia, ac Italia Thomas Aquinas propagarunt; adeo ut annis Chriſti MCCCLXVI. & MCCCLII. Cardinales, quibus commiſſa fuit cura reformandæ Pariſienſis Academiæ, Ariſtotelis libros publice legendos permiſerint. Denique præter Legum, & Peripateticæ Philoſophiæ ſtudia cenſet Muratorius, tum temporis Italos in publicis Academiis operam dediſſe *Trivio & Quadrivio* nempe Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Mu-

Digitized by Google

ſicæ, Aſtronomiæ. Sed politiores Litteræ nonniſi ſæculo decimo tertio reviviſcere cœperunt opera Dantis Aligerii, ejuſque diſcipuli Franciſci Petrarchæ, quorum conatum imitati ſunt innumeri viri eruditi, qui ex horum diſciplina prodierunt.

IV. Perluſtratis Scholis, ſtatuque rei litterariæ in Italia, adeundum jam nobis eſt Romanum Gymnaſium, quod ab Innocentio IV. Pontifice anno MCCXLIII. Studia accepit Juris utriuſque. Diximus, duodecimo ſæculo auctoritate Lotharii Imperatoris, & opera Irnerii Juriſconſulti, tum Bononiæ, tum in aliis Academiis Jus Romanum publice doceri cœpiſſe. Eadem ætate, auctore Gratiano, prodiit Juris Canonici Collectio, quæ ſummo plauſu excepta, pluresque nacta Commentatores cœpit etiam e publicis Cathedris doceri. Igitur Innocentius Pontificii non minus ac Cæſarii Juris conſultiſſimus, uti ejus teſtantur Commentarii in quinque Libros Decretalium, & Liber apologeticus de juriſdictione Imperii, & auctoritate Pontificis contra Petrum de Vineis editus, qui pro Friderico Imperatore ſcripſerat, unde *Canoniſtarum ſplendor*, *atque Organum veritatis* dicitur a nonnullis, ſapientiſſimo conſilio decrevit, ut in Urbe vigerent ſtudia Juris Eccleſiaſtici, & Civilis. Addidit huic ſtudio privilegia, illa nempe omnia, quæ aliis Studiis generalibus collata eſſent, illudque peculiare, ut iis, qui in Romano Gymnaſio Juribus operam darent, fas eſſet ſuorum Beneficiorum fructus percipere, ac ſi in Eccleſiis ſuis reſiderent. Namque de Jure communi Cap. *Super ſpecula* Tit. *De Magiſtris*, hoc privilegium ſolos complectitur, qui incumbunt Theologicis rebus. Extat Innocentii IV. Conſtitutio in Libro Sexto Decretalium Cap. *Cum de diverſis*. Tit. *De privilegiis*, atque ita ſe habet: *Cum de diverſis Mundi partibus multi confluant ad Sedem Apoſtolicam quaſi matrem, nos ad communem tam ipſorum, quam aliorum omnium Commodum, & pro-*

Quid opus erat auctorita a Lotharij, ut generaliter jus civile doceret!

Digitized by Google

& profectum paterna ſollicitudine intendentes, ut ſit iis mora hujuſmodi fructuoſa, providimus, quod ibidem de cætero regatur & vigeat ſtudium Juris Divini, & humani, Canonici videlicet & Civilis. Unde volumus, & ſtatuimus, ut ſtudentes in Scholis ipſis penes Sedem eamdem talibus omnino privilegiis, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent Studentes in Scholis ubi generale regitur Studium, ac recipiant integre proventus ſuos Eccleſiaſticos, ſicut illi. Hinc plurimi Innocentium IV. faciunt Romani Gymnaſii primum auctorem. Unde & Joannes Andreas in Clementina prima *De Magiſtris* aſſerit Bononienſem Academiam Romana eſſe antiquiorem. Et Paſſerinus in Commentario ad hanc Decretalem faretur quidem Romanum Gymnaſium antiquiſſimum, & a priſcis Imperatoribus exſtructum; attamen Innocentium IV. cenſet primum e Romanis Pontificibus illud reſtauraſſe. Id vero de ſolis Legum ſtudiis intelligendum eſt, quæ primus Innocentius Romano reſtituit Gymnaſio. Cum enim ſæculo duodecimo poſt longam oblivionem Jus Romanum prodierit in lucem, ac publice doceri cœperit; cumque etiam Jus Pontificium tunc temporis ſedem in Scholis publicis habuerit, hinc conſentaneum erat, ut hæc præclariſſima ſtudia in Urbe quoque vigerent. Quod quidem præſtitit Innocentius. Cæterum ante Innocentium erat in Urbe Schola publica Theologicarum rerum, Schola Sacri Palatii, quæ nec defuit medio ævo; & hanc Honorius III. reſtauraverat. Quapropter, Innocentio auctore, nonniſi Jura Eccleſiaſtica, & Civilia in Urbe publice interpretari cœperunt; & id indicant ipſius Pontificis verba: *providimus quod ibidem de cætero regatur & vigeat Studium Juris Divini & humani, Canonici videlicet & Civilis*. Preterea Innocentius Scholis publicis Urbis contulit privilegia omnia, quæ aliis Univerſitatibus collata eſſent. Nam familiare erat tunc temporis privilegia erectis Univerſitatibus

bus

Digitized by Google

bus expetere, ac obtinere a Romanis Pontificibus. Ipſe Innocentius, teſte Ciacconio *Auditores Academiæ Pariſienſis vectigalibus exemit, & ne extra Lutetiam per litteras Apoſtolicas ſuper litibus inter eos exortis trahantur, primus omnium vetuit*. Academias quoque Toloſanam, Valentinam, & Placentinam pluribus ab Innocentio auctas prærogativis, teſtatur Raynaldus in Annalibus. Itaque ſub tanti Pontificis patrocinio floruit in Urbe pro conditione illorum temporum res litteraria. Nam etiam familiaritate ſua, & honoribus viros doctos proſequebatur; unde ait Ciacconius. *Doctorum virorum familiaritate, eum mirifice delectatum fuiſſe teſtimonio ſunt quatuor ipſius Cardinalium creationes, quibus Carnalium ſedes jampridem vacuas optimo quoque & doctiſſimo in Collegium cooptato replevit*. In eorum numero fuit Petrus Capoccius Romanus, qui ex ſuis paternis bonis Collegium dictum Sapientiæ, Peruſiæ excitavit, ubi quadraginta juvenes alerentur, qui Litteris addiſcendis operam darent. Iiſdem temporibus eximii quidam Juriſconſulti Romæ fuerunt. Goffredus Tranenſis Gregorii IX. Cappellanus, qui Juris diſciplinam, ſervato Decretalium ordine, in compendium redegit: Bernardus Compoſtellanus Innocentii IV. Cappellanus, cujus juſſu *Caſus Decretalium* confecit, & eruditos in eas Commentarios compoſuit, quos *Apparatus* vocant: Durandus Speculator Cauſarum Auditor in Curia Romana, pluribus libris, & operibus clarus, & Epiſcopatu Mimatenſi celeberrimus: Bernardus Bottonus Parmenſis Sacri Palatii Auditor, Gloſſarum collector præſtantiſſimus: Henricus Hoſtienſis, quem Innocentius Ebrodunenſi Eccleſiæ præfecit, aliique, quorum opera maximum in Urbe, & Academia ſplendorem Legibus ſive Eccleſiaſticis, ſive Civilibus conciliavit. Denique ex hac Innocentii IV. Sanctione colligitur, tunc primum Romanam Academiam ad cæterarum Academiarum normam

Digitized by Google

mam compoſitam eſſe; cum illi communia fecerit privilegia omnia, quibus utebantur *ſtudentes in Scholis ubi generale regitur Studium*. Jam vero ceteræ Univerſitates ſuum habebant Rectorem, quem ipſi Profeſſores, Diſcipulique eligebant; & is ex Conſtitutione *Habita* Friderici Imperatoris in illorum negotiis definiendis ordinariam exercebat juriſdictionem. Nam Fridericus aut Epiſcopum, aut Dominum, aut Magiſtrum ſuum permiſerat a Studentibus adeundum, ut in eorum negotiis jus diceret. Ubi nomine *Domini*, non quidem Magiſtratus loci, aut Præſes Provinciæ indigitatur, uti nonnullis viſum eſt; cum certum ſit, Fridericum exemptos voluiſſe Scholares a foro Præſidis, vel Magiſtratus; nec is *Dominus* dici conſueverit, uti obſervat Cujacius. Alii eumdem *Dominum* ac Magiſtrum faciunt. Alii *Dominum* cenſent intelligendum Rectorem Academiæ, *Magiſtrum* vero peculiarem cujuſque Præceptorem. Atque hæc eſt ſententia Petri Rebuffi Lib. 3. de privilegiis Scholaſticorum. Certe Bonifacius VIII. in ſua Conſtitutione de Studio Urbis, nomine *Domini*, cui Fridericus hanc juriſdictionem conceſſerat, intellexit Rectorem. Nam Rectori Academiæ Romanæ adſcripſit juriſdictionem definiendi cauſas civiles, & criminales Profeſſorum, & Diſcipulorum, innovata Friderici Imperatoris Sanctione. Ex his vero patet Romanam Academiam ab ætate Innocentii IV. ſuum habuiſſe Rectorem donatum hac præclariſſima juriſdictione.

V. Diximus, publicas Theologicarum rerum Scholas ante Innocentii Quarti tempora in Urbe extitiſſe. Nec Scholæ illæ Urbi deeſſe poterant, quas Concilium Lateranenſe, Alexander III. aliique Pontifices, ut in omnibus eſſent Eccleſiis Cathedralibus imperarunt. Diximus quoque, medio ævo in ipſo Palatio Pontificio inſignem viguiſſe Scholam ſacrarum rerum. Hanc temporum injuria extinctam reſtaurare cœpit Honorius III. anno

no

no MCCXVIII. cum inſtituit Scholam, Magiſtrumque Sacri Palatii, ſuadente S. Dominico Fundatore ampliſſimi Ordinis Prædicatorum, quem virum ſanctiſſimum, atque doctiſſimum, primum huic Scholæ præfecit. Rem ita narrat Malvenda in Annalibus Ordinis Prædicatorum: *Sanctæ Sabinæ Monaſterium vicinum erat Pontificii Maximi ædibus. Quare cum B. Dominicus cerneret quotidie, occupatis cum Pontifice Cardinalibus, eorum miniſtros in Aula variis deambulationibus, ac nugis tempus terere, indoluit, & Pontificem adiit, ac dixit turpe, & damnoſum eſſe, tempus a tanta multitudine in caſſum teri, ſibique videri utile futurum, ſi tantiſper dum Cardinales cum eo in negotiis occupantur Eccleſiæ, quiſpiam doctus utile aliquod publice interpretaretur. Placuit admodum Honorio conſilium, & ipſi, qui conſulverat (nam magnus in ſacris Litteris vir erat) id negotium dedit, quod libenter ſuſcepit ille, & quotidie Pauli Apoſtoli, magno auditorum conſeſſu, & attentione interpretari epiſtolas cœpit. Atque adeo res placuit, ut deinceps inſtitutum ſit, ut ex Ordine Prædicatorum ad ejuſmodi munus aliquis ſemper eligeretur, & dignitatis ille titulo, qui delectus fuiſſet, inſigniretur, Sacri Magiſter Palatii diceretur.* Eadem in vita Honorii narrat Oldoinus. Hæc igitur fuit occaſio inſtituendæ Scholæ, & Magiſtri Sacri Palatii. Quæ deinde Schola non ſolos Cardinalium miniſtros complectebatur, ſed univerſos, qui voluiſſent edoceri. Ne vero quis putet Sanctum Dominicum in Palatio Pontificio egiſſe potius Concionatorem, quam publicum Sacræ Scripturæ Profeſſorem, audiendus Sanctus Antoninus, qui in Hiſt. Part. 3. Tit. 22. Cap. 2. ita refert: *Ad ſapientiam Scripturarum, & Sacræ Theologiæ totum ſe applicans B. Dominicus, amore ejus noctes ducebat inſomnes, ut ſacra ejus teſtatur Hiſtoria; indeque hauſit avide, quod poſtea effudit abunde: Magiſterque factus in ſacra Theologia, primuſque Magiſter Sacri Palatii,*

latii, quæ poſtea dignitas Ordini Prædicatorum fuit indulta, legit in Curia Romana, & aliis locis plures libros Paginæ ſacræ, diſputans frequenter contra hæreticos, & prædicans, & exhortans cunctos fideles, & maxime per Ordinem ſuum, cui ſoli collatus eſt titulus Ordinis Prædicatorum. Audiendus etiam auctor coævus, Joannes de Columna, Ordinis Prædicatorum, quem Alexander IV. præfecit Eccleſiæ Meſſanenſi, in libro de viris illuſtribus, inquiens de S. Dominico: *Cum autem eſſet Vir Dei Romæ multi ad ejus ſanam doctrinam convolabant. Legebat enim tunc in publicis Scholis Paulum, ad cujus Scholas confluebat non modica turba Scholarium, & etiam Prælatorum, & Magiſter ab omnibus vocabatur.* Addit, ſcripſiſſe illum Commentarios in epiſtolas Pauli. Indubium itaque eſt, S. Dominicum egiſſe in Schola Palatii Pontificii publicum Sacrarum Scripturarum Profeſſorem, primumque huic Scholæ præfuiſſe. Hinc ipſi, & ejus ſucceſſoribus, adſcriptus *Magiſtri* titulus, quo donabantur, qui e Cathedra docerent, vel docuiſſent. Hinc dicti *Magiſtri Sacri Palatii*, quod Scholis Sacri Palatii præeſſent. Certe S. Dominici ſucceſſores, in hoc præſtantiſſimo officio, diu hoc docendi munere functi ſunt. Fatetur doctiſſimus Jacobus Echard Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum, pag. 21. quod ſæculo decimo tertio, Magiſtri Sacri Palatii *munus in Scholæ Romanæ, & Pontificiæ regimine, & in publica Sacræ Scripturæ expoſitione potiſſimum contineretur, quos duplici hoc officio functos certo nobis conſtat.* Id etiam fatetur Fontana in libello de Magiſtro Sacri Palatii. Et quidem B. Bartholomæus de Bragantiis, Ordinis Prædicatorum, quem Fontana proximum facit in hoc munere S. Dominici ſucceſſorem, deinde Epiſcopus Vicentinus, libros Dionyſii Areopagitæ in Palatio explicavit, ac Commentariis illuſtravit. Durandus a S. Portiano vir doctiſſimus, Magiſter Sacri Palatii ſub Joanne XXII. tum Epiſco-

Digitized by Google

ſcopus Meldenſis, ipſemet in ſuis ad libros Sententiarum Commentariis fatetur ſe in Palatio Pontificio Sacras Scripturas docuiſſe. Nam etiam Pontifices, qui Avenione conſederunt, ibi Magiſtrum, Lectores, Scholamque habuerunt Sacri Palatii. Sed & jus conſtituendi Doctores Theologiæ, quod Magiſtro Sacri Palatii incumbebat, quodque ei confirmavit Eugenius IV. uti dicendum erit ſuo loco, oſtendit illum præfuiſſe Scholæ Palatinæ Theologicarum rerum. Et hujus illius muneris intuitu Pius V. Conſtitutione edita anno MDLXX. declaravit Magiſtrum Sacri Palatii Canonicum Vaticanæ Baſilicæ, conceſſa illi Præbenda Theologali, juxta Concilii Tridentini decreta: *Baſilicæ prædictæ*, ait, *illiuſque perſonis percommodius, valdeque utile, & neceſſarium eſſe cenſentes, ut unam Theologalem Præbendam in dicta Baſilica inſtituamus, illamque officio Magiſtri Palatii hujuſmodi adſcribamus, quo facilius Magiſter dicti Palatii pro tempore exiſtens perſonis Baſilicæ, & Palatii hujuſmodi doctrina, & opera ſua, & ſacrarum Litterarum, & doctrinæ ejuſdem D. Thomæ interpretatione, & lectura prodeſſe, ac onera officii hujuſmodi ſibi pro tempore incumbentia facilius perferre, commodiuſque ſuſtentari poſſit*. Quam Pii V. ſanctionem deinde Gregorius XIII. revocavit. Quæ omnia evincunt, primam hujus muneris inſtitutionem fuiſſe, ut in Pontificio Palatio Theologicas res, & ſacras Litteras edoceret, Scholiſque præeſſet, quæ in Palatio habebantur. Poſtea ab hoc docendi munere ceſſarunt Sacri Palatii Magiſtri, quod illorum opera ſæpiſſime uterentur Pontifices in graviſſimis Eccleſiæ negotiis, quod eis non raro Legationes committerent, quod in Conciliis illos adeſſe vellent, quodque ſacris rebus in Palatio edocendis incumberent Lectores Sacri Palatii. Nihilotamen minus novis privilegiis, ac juribus aucta eſt dignitas Magiſtri Sacri Palatii, quæ nonniſi viris ſelectiſſimis conſuevit committi. Leo X. in Concilio

Lateranenſi v. Paulus V. Urbanus VIII. decreverunt, ne ulli in Urbe typis ederentur libri, inconſulto Palatii Apoſtolici Magiſtro. Sed hæc, aliaque illius jura, & officia in eximio libro ad hanc rem mox edendo complectitur eruditiſſimus Joſeph Catalanus pluribus jam evulgatis libris præclariſsimus.

VI. In hac Schola Sacri Palatii, quam Honorius Papa III. inſtituerat, ſeu potius reſtauraverat, & ubi S. Dominicus, tum alii doctiſsimi ex Ordine Prædicatorum, ſacras res pertractaverant, docuerunt quoque hoc ſæculo decimo tertio Albertus Magnus, ejuſque diſcipulus S. Thomas Aquinas. Ille quidem Romam venit anno MCCLV. Alexandro IV. Pontifice, ut ibi Dominicanis ſuis, ac Minoritis apud Pontificem patrocinaretur, quos ab Univerſitate Pariſienſi amovere conabantur Pariſienſes Profeſſores. Hac occaſione, petente Pontifice, vir doctiſſimus e cathedra diſſeruit de Evangelio S. Joannis, deque epiſtolis Canonicis, uti narrat Cantipratanus Lib. 2. Cap. 10. *Sed poſt præfatas diſputationes cum adpetitionem D. Papæ, & omnium Cardinalium ipſe Magiſter Albertus Evangelium Joannis, & Epiſtolas Canonicas miro, & inaudito modo ſuper omnem hominem exponendo legiſſet*. Non alibi ſane, quam in Schola Sacri Palatii. Eccur enim Pontifex, Cardinaleſque optaſſent, ut in Scholis ſui Ordinis, vel quæ ad Palatium Pontificium minime ſpectabant, ille diſſereret? Sed ipſemet Albertus Magnus Par. 2. Summæ indicat, ſe in Palatio Pontificio lectiones habuiſſe de unitate intellectus contra Averroem. *Hæc omnia*, ait, *aliquando in Curia collegi exiſtens ad præceptum D. Alexandri Papæ, & factus fuit ibidem libellus, quem multi habent, & intitulatur contra Averrois*. Veriſimile eſt, hanc quæſtionem de unitate intellectus, non ad Philoſophiam, ſed ad Scholaſticam Theologiam, quam ille tractabat, ſpectaſſe. Quod igitur Albertus Magnus in Pontificiis Ædibus docue-

cuerit, hinc illum Petrus de Pruſſia in ipſius vita Cap. 32. affirmat, fuiſſe Lectorem Sacri Palatii, & Jacobus Echard Tom. 1. Script. Ordin. Prædic. recenſet eumdem inter Magiſtros Sacri Palatii. Huic viro tam inſigni præclariſſimum illud Eccleſiæ lumen Thomas Aquinas in eodem munere ſucceſſit. Eum namque e Schola Pariſienſi, ubi magna eminebat doctrinæ fama, accerſitum anno MCCLXI. juſſit in Urbe res Theologicas pertractare Urbanus IV. Pontifex, Theologiæ, cui in Academia Pariſienſi vacaverat, amantiſſimus. Ita quidem teſtantur in Urbani IV. vita Nauclerus, Platina, & Ciacconius, quorum poſtremus hæc ſcribit de S. Thoma: *Romam ab Urbano accerſitus, ſpretis dignitatibus, quæ ultro ei offerebantur, totum lectioni, & ſcriptioni dedit. Nam & Scholam Romæ inſtauravit, & rogatu Urbani multa conſcripſit, & totam fere naturalem Philoſophiam, ac moralem commentationibus expoſuit; & contra Gentiles libros aureos edidit; explicuit Job, Cantica Salomonis, Joannem, & plurima alia tanto ingenio, & doctore digna; Catenam auream ex omnibus Catholicis Scriptoribus in Evangelia collegit*. Quæ res indigitatur quoque a Ptolomæo Lucenſi ejus diſcipulo his verbis: *Tunc Frater Thomas rediit de Pariſiis, ex certis cauſis, & ad petitionem Urbani multa fecit, & ſcripſit præcipue duo. Unum fuit, quod expoſuit Evangelia ſub miro contextu diverſorum Doctorum, ut unus auctor videtur, quod non fuit ſine magna auctoritate tradentis... Iſto autem tempore Frater Thomas tenens ſtudium Romæ, quaſi totam Philoſophiam Ariſtotelis ſive naturalem, ſive moralem compoſuit, & in ſcriptum, ſive compendium redegit, ſed præcipue ſingulari, & novo Ethicam, & Metaphyſicam quodam modo tradendi*. Hoc Ptolomæi Lucenſis teſtimonium adducitur quoque a Jocobo Echard in ſuo Opere de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum, ubi agit de S. Thoma, additque: *Deinceps autem in illis, in qui-*

quibus Summi Pontifices pro libito agebant Civitatibus, Urbeveteri, Anagniæ, Viterbii, Peruſii, & ipſe eos ſequutus, commoratus eſt, Scholam Theologicam ubique regens apud noſtros ubique nova in rem Eccleſiæ condens, ac edens Opera. Atqui non in ſui Ordinis Scholis, ſed in Palatii Pontificii Schola S. Thomam docuiſſe plurima probant, quod nempe ab Urbano IV. Romam acceſſitus ſit ad docendum, quod illius juſſu docuerit, quod varias per Civitates ſequutus fuerit itinera Pontificum, quodque in locis, ubi Pontifices habebant domicilium, in cathedram aſcenderit. Nam Magiſter, & Schola Sacri Palatii, ubique Pontificem ſequebantur. Eccur ille tot domicilia, Scholaſque mutaſſet, cur adhæſiſſet Pontificibus alio migrantibus, ſi dumtaxat apud ſuos docuiſſet? Quo tempore, dum in Urbe Theologiam publice legeret, inſtituta a Pontifice Feſtivitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Ordinem Divini Officii in hac ſolemnitate recitandum compoſuit. Rem narrat in vita Urbani IV. Ciacconius: *Anno Domini* MCCLXIV. *Pontificatus III. Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſolemnitas, quinta feria poſt octavam Pentecoſtes ab eodem Pontifice perpetuis temporibus cum ſolemni ſupplicatione, quæ nunc etiam celebratur, inſtituta eſt* Cap. 1. De Reliqu. & Vener. Sanctor. *in Clementinis, cum ejus ſolemnitatis Officium Sanctus Thomas Aquinas, qui eo tempore Theologiam publice in ea Civitate profitebatur compoſuiſſet, Hymnos, inquam, & preces ſolemnes, in quibus figuræ Veteris Teſtamenti cum rebus Novi conferuntur*. Rediit deinde Pariſios Doctor Angelicus, rurſuſque Romam adiit anno MCCLXXI. ac iterum in Urbe docuit, uti ſcribit laudatus Jacobus Echard, demum Neapolitanam Academiam ſuis lectionibus illuſtravit.

VII. Circa eadem tempora, Schola Theologicarum rerum Sacri Palatii alterum habuit inſignem doctrina, & ſanctitate Profeſſorem ex Ordine Prædicatorum B.Am-

Digitized by Google

B. Ambroſium Sanſedonium Senenſem, verſatiſſimum in ſtudiis Philoſophicis, ac Theologicis, quibus Coloniæ, & Pariſiis operam dederat. Ut enim narrat Julius Sanſedonius Epiſcopus Groſſetanus in vita Beati Ambroſii, quam Romæ edidit anno MDCXI. Urbanus IV. juſſit illum in Urbe Theologiam publice docere, atque Scholam injuria temporum collapſam reſtaurare. Eadem narrat Fontana in Theatro Dominicano. Eadem quoque narrant Scriptores illius vitæ apud Bollandum die 10. Martii. Cap. 15. his verbis: *Dominus Innocentius IV. Pontifex Maximus, qui in ſcientia magnus fuit, audita Servi Dei Ambroſii fama, ad Epiſcopales dignitates eum promovere tentavit: ſed vir ſanctus ſancta quadam reſiſtentia omnino eas acceptare recuſavit: & quia jam Theologorum Scholæ in Italia, & præcipue Romana Urbe ob proximas belli perturbationes defeciſſent, cupiens dictus Pontifex Theologiæ ſtudium in melius reformare juſſit Beatum virum in Urbe commorari, ut Theologiam legeret. Per triennium itaque Theologiam Romæ legit, & vacationum tempore, populo cum magno Prælatorum, & Cardinalium concurſu prædicavit.... Tantus namque erat concurſus, & devotio populorum ad illum, quod vanam gloriam metuens tale officium exequi poſſe vitabat, & maxime in Urbe: unde apud Prælatos Ordinis pro poſſe procuravit, ut quietis locus, & contemplationis in Monaſterio aliquo ſibi daretur: quod utique obtinuit, ſicque a Summo Pontifice licentia obtenta ab Urbe diſcedens in variis Italiæ Conventibus contemplationi, & orationi vacans annis quindecim moras traxit.* Quod Innocentio IV. hic adſcribitur, id Urbano IV. vel Clementi IV. adſcribunt Fontana, Julius Sanſedonius, & Jacobus Echard. Is ſane obſervat, Innocentium IV. electum Pontificem anno MCCXLIII. ſequenti anno Lugdunum petiiſſe, nec in Italiam rediiſſe, niſi anno MCCLI., & ſe ſe Urbi hucuſque a Friderici Imperatoris ſectatori-bus

bus oppreſſæ reddidiſſe, anno MCCLIII. ibique brevem egiſſe moram, Neapolimque profectum vivis exceſſiſſe, adeoque in tanta temporum calamitate, Scholam Theologicam reſtaurare minime potuiſſe. Accedit, quod cum Sanſedonius in lucem venerit anno MCCXX. jam circa trigeſimum ætatis annum in Scholis Romanis, ſub Innocentio IV. Pontifice, claruiſſet. Cenſet igitur Echard Sanſedonium ſub Urbano IV. vel potius Clemente IV. poſt annum MCCLX. in Urbe docuiſſe; a quo etiam Pontifice plures graviſſimas legationes accepit. Indubium autem eſt, hæc intelligenda eſſe de Schola Sacri Palatii, ea ſcilicet, cujus Profeſſores a Pontifice conſtituebantur, & peregre accerſebantur, & nonniſi impetrata Pontificis venia dimittebantur, & ea, quæ omnibus in Urbe patebat. Cur vero S. Thomas Aquinas, & B. Ambroſius Sanſedonius dicantur a Scriptoribus reſtauratores Romanæ Theologicæ Scholæ, cauſa eſt, quod etſi Honorius III. jam antea in Pontificio Palatio Scholam ſacrarum rerum conſtituiſſet, tamen ſequentium temporum injuria, turbiſque a Friderico II. in Sedem Apoſtolicam excitatis, crebraque Pontificum ab Urbe abſentia, ea fere defecerat, donec Aquinas, & Sanſedonius, duo doctiſſimi Profeſſores, priſtinum ſplendorem Scholæ, ac Theologiæ in Urbe reddiderunt.

VIII. Neque unus Sacri Palatii Magiſter in hac Schola edocebat, verum etiam alii viri ſelectiſſimi, quibus ipſe præerat, quique dicebantur Lectores Sacri Palatii. Hinc Schola illa in monumentis hujus, & ſequentis ævi, & præſertim antiquis Regeſtis Ordinis Prædicatorum, uti teſtatur Fontana, dici conſuevit *Univerſitas Sacri Palatii*. Nam plures in ea aderant Profeſſores, quorum alii Sacris Scripturis explicandis, alii rebus Theologicis tractandis, vel Hæreticis refellendis incumbebant. Et non niſi viri doctiſſimi ad haſce cathedras accerſebantur, quos ſepe Pontifices ſummis Eccle-

ſiæ

ſiæ honoribus donabant. Ex hoc numero plures occurrunt in Annalibus Minorum Vvadingi. Joannes Peccamus Anglus diſcipulus S. Bonaventuræ, poſtquam in Oxonienſi, & Pariſienſi Academiis docuiſſet, a Nicolao III. donatus eſt cathedra in Schola Sacri Palatii circa annum MCCLXXVIII. deinde Archiepiſcopatu Cantuarienſi. Huic Martinus IV. anno MCCLXXXI. ſubſtituit in eodem munere Matthæum Acquaſpartanum virum doctiſſimum, quem poſtea Nicolaus IV. anno MCCLXXXVIII. Cardinalem creavit. Mattheo Aquaſpartano ad ſupremum Ordinis regimen evecto ſucceſſerat in munere Lectoris Sacri Palatii Guilielmus de Falgario Toloſanus, qui defuncti Miniſtri generalis Ordinis Minorum vices obierat. Falgarium electum Epiſcopum Vivarienſem in Gallia excepit in eadem cathedra Joannes de Muro Picenus, tum ſui Ordinis ſupremus Moderator, tandemque ſub Bonifacio VIII. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Is ſucceſſorem habuit Gentilem Monteflorium Picenum, quem idem Pontifex Bonifacius, cadente hoc ſæculo decimo tertio, inter Cardinales adſcivit. Hujus ſedem obtinuit Reginaldus etiam ex Ordine Minorum, quem nonnulli aſſerunt Cardinalem fuiſſe, & Archiepiſcopum Rotomagenſem. Alium quoque Lectorem Sacri Palatii, virum doctiſſimum ex Ordine Minorum memorat Vvadingus de Scriptoribus Franciſcanis Gulielmum Gaineſburgum Profeſſorem Theologiæ in Academia Oxonienſi, graviſsimis functum legationibus ſub Eduardo I. Angliæ Rege, quem Bonifacius VIII. præfecit Eccleſiæ Vvigornienſi. Hos Lectores ſæpe ex Ordine Prædicatorum adlectos fuiſſe teſtatur Fontana in Theatro Dominicano: *Notandum eſt, quod non ſolum Magiſtri Sacri Palatii aſſumebantur ſemper ex Ordine Prædicatorum, ſed etiam Lectores ſententiarum, & ſacræ Scripturæ, & iſti eligebantur ſemper in Capitulis generalibus, ut in Capitula generali anni* MCCCCXLII. *Avenione celebrato electus*

eſt

eſt Fr. Matthæus de Finario Ligur Lector Sacri Palatii; & in Capitulo generali apud Divionem MCCCXLIV. *Fr. Bartholomæus Pennades Hiſpanus: & in Capitulo generali apud Montem Peſſulanum anno* MCCCCLVI. *Fr. Ludovicus Vincentius Hiſpanus. Et erant diſtincta officia. Nam Lectores non tantum e noſtra familia aſſumebantur, & legebant ſicut modo in Academia Romana, quæ dicitur Sapientia.* Addit, quandoque Sacri Palatii Lectores, annentibus Pontificibus, fuiſſe ad hoc munus delectos ab ipſis Ordinis ſupremis Moderatoribus. Ita in Regeſtis Leonardi de Manſuetis Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum ſub Siſto IV. legitur Fr. Joannes de Candido Baccalaureus deputatus *ad legendum ſententias in Sacro Palatio pro primo anno, pro gradu, & forma, & completa lectura habuit licentiam accipiendi inſignia Magiſtrat lia ubicumque: Fr. Joannes Auguſtini de S. Miniate fuit inſtitutus, & aſſignatus in Baccalaureum pro forma, & gradu Magiſterii pro ſecundo anno in Schola Sacri Palatii, cum gratiis, & libertatibus conſuetis.* Erant & Lectores extraordinarii in eadem Schola, uti ex iiſdem Regeſtis colligitur: *Fr. Joannes Clerici Conventus Brugellenſis fuit inſtitutus Baccalaureus extraordinarius Univerſitatis dicti Sacri Palatii pro gradu, & forma Magiſterii.* Erant & Lectores Biblici, præter Lectores Theologicarum rerum, quemadmodum eadem indicant Regeſta: *Fr. Geminianus Laurentii de Florentia fuit aſſignatus in Biblicum Sacri Palatii pro gradu & forma Magiſterii.* Quamvis permitterent Papæ, eligi Lectores a ſuis Ordinis Moderatoribus, tamen ſæpe, & ut plurimum ipſi eos huic muneri præficiebant. Qua autem formula, conſtat ex litteris datis ab Eugenio IV. anno MCDXXXII. F. Bartholomæo de Florentia Ordinis Prædicatorum, quas exhibet Tomo 3. Bullarii ejuſdem Ordinis ampliſſimus, & doctiſſimus Magiſter Generalis Antoninus Bremond: *Virtutibus pollens, & meritis, ac ſacræ Theologiæ præditus*

ditus ſcientia ſingulari, prout famæ laudabilis teſtimonio commendaris, illam in noſtro, & Apoſtolicæ Sedis conſpectu gratiam meruiſti, quod perſonam tuam paterna benevolentia proſequamur. Ut igitur percipias, quod ſuggerit noſtræ mentis affectus, te, qui Sacræ Theologiæ Profeſſor exiſtis, in Lectorem Sacri Palatii noſtri, necnon familiarem, continuum commenſalem gratioſe recipimus, ac familiarium noſtrorum continuorum commenſalium conſortio favorabiliter aggregamus. Intendentes ergo, quod per hoc, favoris Apoſtolici præſidia plenius ſortiaris, te omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, prærogativis, honoribus, & aliis gratiis, quibuſcumque Lectoribus & familiaribus hujuſmodi domeſticis, continuis commenſalibus competentibus, de cætero effectualiter uti volumus, & gaudere. Age igitur, & ſic demum circa præfatum officium proficere ſatage, quod a nobis, & dicta Sede digne honorem, & gratiam conſequi merearis. Lectores igitur Sacri Palatii ut familiares, & commenſales Pontificis habebantur. Jam vero ex his omnibus perſpicuum fit, ſæculo decimo tertio, præter Scholam publicam utriuſque Juris, quam Innocentius IV. conſtituerat, fuiſſe etiam in Urbe, auctore Honorio III. Scholam Scripturæ Sacræ, & Theologiæ in ipſo Palatio Pontificio, eamque ibi permanſiſſe ſæculis decimo quarto, & decimo quinto, donec Leo X. omnes Scholas Urbis in uno, eodemque loco collocaverit. Nam antequam Scholis omnibus is addiceretur locus, illæ variis in regionibus Urbis ſtationes habuere. Hinc Sixtus IV. Conſtitutione *Solicitudo Paſtoralis Officii* anno MCDLXXIII. Romanam Academiam vocavit *Univerſitatem Studii Curiæ, & Urbis*.

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE GYMNASIO ROMANO SÆCULO DECIMO QUARTO

Romana Academia a Bonifacio Octavo pluribus Diſciplinis. II. Et Privilegiis aucta. III. Hujus Pontificis partes tuendas ſuſcipit. IV. Ejuſque famam vindicat. V. Clemens Quintus in Concilio Viennenſi ei addidit ſtudia linguarum Orientalium. VI. Joannes Vigeſimus ſecundus confirmavit privilegia Romani Gymnaſii, ac conditiones præſcripſit ad Doctores in eo conſtituendos: VII. Eximii quidam illius ævi Profeſſores. VIII. Calamitas Romanæ Academiæ, labente hoc ſæculo.

I. QUæ, ſedente Bonifacio VIII. excitatæ ſunt in Urbe, & in Eccleſia turbæ graviſſimæ, haud levem Romano Gymnaſio prædeceſſorum Pontificum cura reſtituto, perniciem intuliſſent, niſi doctus, magnique conſilii Pontifex, inter graviora Reipublicæ negotia, illius incolumitati, & incremento conſuluiſſet. Nec ille qui Firmanam, Appameenſem, & Avenionenſem Academias instituit, ac privilegiis donavit omnibus, quibus donati eſſent Profeſſores, Scholareſque Bononienſis Academiæ, data facultate Epiſcopo Magiſteria, Laureamque concedendi, iis, qui Profeſſorum ſuffragiis probati eſſent, Romanam Academiam omnium antiquiſſimam, & nobiliſſimam neglexiſſet. Imo cum Anagniæ moraretur, anno milleſimo tercenteſimo tertio, Pontificatus ſui nono, & ultimo, quamvis magna oppreſſus calamitate, bonis artibus in Urbe alendis, perenandiſque ſtuduit, edita

Con-

Digitized by Google

Conſtitutione *In ſupremæ*, qua decrevit, ut numquam deeſſet Urbi publica omnium diſciplinarum Schola, cujus Profeſſores, Auditoreſque iis fruerentur privilegiis omnibus, quibus aliarum Academiarum fruuntur Profeſſores, Auditoreſque: *Ad hunc igitur univerſalem profectum*, ait, *non ſolum incolarum Urbis ipſius, & circumpoſitæ regionis, ſed & aliorum, qui propter hoc quaſi continuo de diverſis Mundi partibus confluunt ad eamdem, ſtudio paternæ ſollicitudinis intendentes, diligenti ſuper hoc cum fratribus noſtris deliberatione præhabita, de ipſorum conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus ſtatuendum, quod in Urbe prædicta perpetuis futuris temporibus vigeret ſtudium in qualibet facultate, ac Docentes, & Studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus conceſſis Doctoribus, & Scholaribus in ſtudiis generalibus commorantibus gaudeant, & utantur*. Hinc patet Romanam Academiam a Bonifacio VIII. novis decretis reſtauratam, non tamen primo inſtitutam, utpote quam Innocentius IV. jam antea in Urbe eſſe imperaverat, cujus Sanctionem Bonifacius retulit in Libro Sexto Decretalium. Et Bonifacius ipſe in citata ſua Conſtitutione indicat, ætate ſua, Romanum Gymnaſium tanta gloria effulſiſſe, ut ad illud confluerent undique plurimi cauſa addiſcendi liberales diſciplinas: *non ſolum*, inquit, *incolarum Urbis ipſius, & circumpoſitæ regionis, ſed & aliorum, qui propter hoc quaſi continuo de diverſis Mundi partibus confluunt ad eamdem*. Sed cum Innocentius Studium publicum *Juris Divini, & Humani* in Urbe conſtituiſſet; cum Honorius III. & Urbanus IV. Scholam ſacrarum rerum inſtauraſſent; Bonifacius juſſit in Urbe Studium floreſcere, non Juris tantum Divini, humanique, neque dumtaxat ſacrarum rerum, ſed *in qualibet Facultate*. Quas autem facultates in publicis Scholis Urbis ſtationem habere Bonifacius voluerit, coniicere licet ex illius Conſtitutionibus de Fir-

mana, & Avenionenſi Academia conſtituendis. Neque enim veriſimile eſt, voluiſſe illum Romano Gymnaſio deeſſe Facultatem ullam præclariſſimam, quam in aliis Gymnaſiis edocendam imperabat. In Conſtitutione *In ſupremæ* data eodem anno milleſimo tercenteſimo tertio, de Firmana Univerſitate, ait: *ut in eadem Civitate de cætero ſit Studium generale ad inſtar Studii Bononienſis illudque perpetuis temporibus inibi vigeat tam in Theologia, Jure Canonico, ac Civili, & Artibus, quam alia qualibet licita facultate*. In Conſtitutione de Studio generali Avenionenſi, data eodem anno, quæ incipit *Conditoris omnium* diſſerens de ſcientiarum neceſſitate, innuit has omnes Diſciplinas, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Muſicam, Geometriam, Aſtronomiam, urriuſque Juris, & ſacrarum Litterarum ſcientiam. Tum de concedendis Magiſteriis verba faciens, ait: *Sancimus, ut in Jure Canonico, & Civili, ac in Medicina, & liberalibus artibus examinari poſſint ibidem, & in facultatibus ipſis dumtaxat Magiſterii titulo decorari*. Quapropter pro comperto habendum eſt, has omnes Diſciplinas, quas in aliis Univerſitatibus edoceri Bonifacius urgebat, in Romanum Gymnaſium intuliſſe, cum decrevit, Studia ne ibi deeſſent *in qualibet Facultate*. Cæterum Græca litteratura, & Philoſophia, adhuc ætate illa in tenebris jacebat, donec cadente hoc decimo quarto ſæculo, opera Manuelis Chryſoloræ cœperit reviviſcere. Hanc Bonifacii de Romana Academia curam memorant Dantes, & Oldradus Juriſconſultus, qui eo ſæculo floruere. Neque eam ſilentio obvolvit Joannes Rubeus in vita Bonifacii VIII. ſcribens Cap. XIII. *Inſtituit Academias Apameenſem, Firmanam, & Avenionenſem; Romanam ornavit, indulgens frequentantibus eam, ut fructus ſuorum, quæ vocant Beneficiorum percipere poſſent*.

II. Pluribus præterea privilegiis nec levis momenti Bonifacius Romanam Academiam donatam voluit, qui-

quibùs homines ad ſtudia magis incitarentur, & magis in Urbe vigerent Litteræ. Nam primo, Profeſſoribus, & Diſcipulis, qui in Romano Gymnaſio bonis artibus operam darent, communia fecit privilegia omnia, quibus uterentur in cæteris aliis Univerſitatibus Profeſſores, eorumque Diſcipuli. *Docentes, & Studentes ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus conceſſis Doctoribus, & Scholaribus in Studiis generalibus commorantibus gaudeant & utantur.* Hoc idem privilegium Romano Gymnaſio aſſeruerat Innocentius IV. Cap. *Cum de diverſis.* Titulo *De privilegiis* in ſexto. Tum exemptos declaravit, immuneſque Profeſſores, & Auditores Romani Gymnaſii, tam in negotiis civilibus, quam in negotiis criminalibus a foro Curiæ Capitolinæ: *ut Doctores, vel Scholares in hujuſmodi Romano Studio commorantes non poſſint inviti in Curia Capitolii, occaſione qualibet civiliter, vel criminaliter conveniri*, excepto tamen hoc crimine, ſi quis eorum alicui Profeſſori, vel Diſcipulo necem intulerit, cum non debeat Romanum Gymnaſium illi, a quo accepit injuriam, immunitatem præbere. Tertio juriſdictionem in illos, qui in Romano Gymnaſio, liberales Diſciplinas vel edocerent, vel addiſcerent, adſcribit ipſius Gymnaſii Rectori, quem Profeſſores, & eorum Diſcipuli eligerent: *Rectores quoque, quos Doctores, & Scholares, pro tempore duxerint eligendos, in ipſos Doctores, & Scholares ac familiares ipſorum, tam circa cognitionem, ac deciſionem cauſarum civilium, & criminalium civiliter motarum, & etiam criminaliter in criminibus levioribus, quam ipſorum corrigendos exceſſus leves, ordinariam obtineant poteſtatem.* Qua in re Bonifacius Conſtitutionem Friderici Imperatoris innovavit, & pro Romana Academia ampliavit. Cum enim Fridericus liberum feciſſet Scholaribus, ut ad ſua definienda negoti adirent vel Epiſcopum, vel Rectorem; Bonifacius addidit crimina illorum

Digitized by Google

rum a Rectore punienda, & hujus juriſdictionem familiares etiam illorum voluit complecti: *Et licet Roma, ait, communis ſit patria, ſi tamen quiſpiam litem contra Scholares peregrinantes cauſa ſtudiorum in illa ſuper aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione data Scholaribus ipſis eos coram Domino, aut Magiſtro ſuo, vel prædicto Vicario conveniat, juxta legitimam ſuper hoc editam Sanctionem.* Quarto immunes dixit, ac decrevit Profeſſores, & Diſcipulos Gymnaſii Romani a novis tributis, vectigalibus, aliiſque oneribus præſtandis: *Nec ad aliquas contributiones in taliis, aut collectis, quæ imponerentur pro tempore habitatoribus dictæ Urbis, ſeu aliqua obſequia communi Urbis ipſius præſtanda prætextu moræ, quam in eadem Urbe contraherent, vel aliqua pædagia ratione rerum ſuarum, quas ad dictum Romanum Studium deferri, vel exinde reportari facerent Doctores aut Scholares ejuſdem Romani ſtudii teneantur.* Quinto, pretium locationis ædium, quas Profeſſores, eorumque Diſcipuli habitarent, juſſit a duobus definiri, quorum unus illorum ſuffragio eligendus eſſet, atque ſtandum eorum judicio: *Penſiones domorum, quas Doctores vel Scholares in eadem Urbe Studiorum cauſa morantes inhabitarent taxari deberent per duos taxatores, quorum unum ipſi Doctores, & Scholares & alterum Commune ipſius Urbis eligant, & ſi hi duo concordare nequirent; ſtetur taxationi tertii taxatoris ab eiſdem Doctoribus, & Scholaribus eligendi, ac ultra taxationem hujuſmodi nihil ab eis poſſit exigi nomine penſionis pro domibus ſupradictis.* Denique iis, qui in Gymnaſio Romano edocendis, vel addiſcendis liberalibus Diſciplinis incumbunt, permittit ſuorum Beneficiorum redditus percipere, quamvis in Eccleſiis ſibi commiſſis minime maneant. De jure namque cummuni hoc privilegium iis ſolis competit, qui vacant Theologicis Studiis. Plures tamen Doctores ſentiunt eodem frui privilegio, qui

Digitized by Google

qui in addiſcendo, vel edocendo Jure Canonico verſantur, quod hoc etiam ſtudium ſit utile Eccleſiæ. Negant tamen alii, niſi adſit ſpeciale privilegium. At in Gymnaſio Romano, ex hac Bonifacii Conſtitutione, quaſque Diſciplinas Clerici legibus reſidentiæ addicti doceant, vel diſcant, ſuorum Beneficiorum reditibus minime privantur: *Dum hujuſmodi Studio docendo, vel audiendo inſiſterent, fructus, redditus & proventus omnium Beneficiorum ſuorum cum cura, & ſine cura etiamſi aliqua eorum Perſonatus, vel Dignitates exiſterent, cum ea poſſint integritate percipere, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, eum qua illos perciperent, ſi in Eccleſiis, in quibus illa obtinent, perſonaliter reſiderent, & ad reſidendum in iis interim minime teneantur, neque ad id a quoquam valeant coarctari.*

III. Noverat Bonifacius quantum utilitatis, & præſidii, ex florentiſſimo Romanæ Academiæ ſtatu, ſperandum eſſet Romanis Pontificibus. Ipſi quidem graviſſimum fuit cum Philippo Pulcro Gallorum Rege diſſidium; quod Pontifex Conſtitutione juſſerit, ne Clerici aliquid Laicis ſolverent ſive auctoritate Sedis Apoſtolicæ; quod Rex, monente Pontifice, Hieroſolymitanam expeditionem neglexerit; Legatum Pontificis Epiſcopum Appameenſem in carcerem conjecerit; Columnenſes acerbos ipſius hoſtes foverit; Epiſcopos, & Abbates Regni juſſos a Pontifice Romam venire ad celebrandum Concilium prohibuerit; Legatum Apoſtolicum Pariſiis expulerit; & plenas conviciis litteras ipſi Pontifici reſcripſerit. Extant Pontificis, Regiſque alternæ epiſtolæ utrinque miſſæ, plenæ mutuis contumeliis, ſi modo veræ & ab ipſis compoſitæ, & non confictæ ab aliis ſint, uti plurimi viri docti opinantur. Demum utrinque deventum eſt ad extrema. Pontifex Regem Galliæ in publico Conſiſtorio, maxima hominum frequentia Communione privat, Regnoque deiicit, illudque Alberto Cæſari addicit,

cit, inſigni habita Oratione, quæ adhuc extat, cujus initium eſt *Refulſit Sol*, *qui erat ſub nubibus*, ubi illud Geneſeos: *Creavit Deus duo luminaria in Firmamento Cæli*, explicat de Pontifice, & Imperatore. E contra Rex percitus in Bonifacium ira indicit Pariſiis Conventum Procerum, & Epiſcoporum Regni, commemoratiſque injuriis a Bonifacio VIII. acceptis, ejuſque ambitione, ac malis artibus ad occupandum Pontificatum, quem injuſte tenet, adhibitis, ab ejus ſententia ad Sedem Apoſtolicam, quam tunc vacantem aſſerebat, & ad futurum Concilium generale provocat; & capita quædam criminum, quibus Bonifacius Hæreticus, blaſphemus, periurus ſimoniacus, homicida, & ſceleratus accuſabatur, in medium profert, cogitque Doctores Pariſienſes dicta capita ſuſcipere, examinare, tueri. Teſtatur Petrus de Marca Lib. 4. c. 16. de Concordia Sacerdotii & Imperii, Univerſitates Regni placitis Regiis contra Bonifacium conſenſiſſe. Quibus auditis Pontifex, maximo Sacerdotum Conventu, Kal. Novembris, anno milleſimo tercenteſimo ſecundo coacto coram Clero, & Populo Romano, jurejurando de obiectis ſibi criminibus purgavit, inſontemque probavit. Fuſe totum hoc celebre diſſidium narratur a Joanne Rubeo in vita Bonifacii VIII. & Henrico Spondano in Annalibus Eccleſiaſticis. In re tanta, non defuit Pontifici, Academiæ Romanæ præſidium. Sed quemadmodum Pariſienſis Academia probaverat, quæ in Bonifacium Philippus congeſſerat; ita Romana Academia improbavit, diluitque crimina Pontifici obiecta, atque ipſius jura, tum in aſſequendo Pontificatu, tum in iis, quæ a Rege expugnare contenderat, accerrime defendit. Imprimis Joannes Minius Franciſcanus, quem ex Publico Profeſſore, ſeu Lectore Sacri Palatii Bonifacius Cardinalem creaverat, & Epiſcopum Portuenſem, magnam in hac re operam præſtitit Pontifici. Tum univerſa Academia ſuffragio ſuo Bonifacium vindicavit.

Me-

Digitized by Google

Memorat hanc rem Joannes Rubeus in Vita Bonifacii Papæ VIII. Lib. 1. Cap. 20. *Academia Romana pro dignitate Pontificia contra Philippum conſtantiſſime ſteterat, Pariſina pro Philippo in Bonifacium; pro variis igitur utriuſque meritis, illam multis ornavit privilegiis, huic docendi, & conferendi magiſtralis laureæ poteſtatem ademit, ſtrinxitque anathema in eos, qui vel docere, vel docentes audire, vel Academiam ipſam adire præſumerent*: Supra cæteros, Bonifacii cauſam defendit Ægidius Columna Romanus, quem Bonifacius creaverat Archiepiſcopum Bituricenſem, edito libro *De Renunciatione Papæ*, qui extat in Bibliotheca Pontificia Roccaberti, ubi illum vindicat ea calumnia, quaſi ejus fraude Celeſtinus ſe abdicaſset Pontificatu. Hunc autem virum doctiſſimum aliquando e publica Cathedra Romæ docuiſſe veriſimile eſt. Ex Juriſconſultis Petrus Paludanus in Tractatu *De Cauſa immediata Eccleſiaſticæ Poteſtatis*, & Joannes Andreas *Lectura in Regulas Libri Sexti Decretalium*, pariter Bonifacium vindicarunt.

IV. Neque hoc ſolum nomine Romana Academia de Bonifacio Pontifice præclariſſime meruit. Addi enim poteſt vindicatam Bonifacii famam in Viennenſi Concilio ab illius Profeſſoribus Joanne Minio, & Gentili de Monteflore, quos e Lectoribus Sacri Palatii Bonifacius Cardinalatu auxerat. Rem ita narrat Joannes Rubeus in Vita Pontificis Bonifacii VIII. Cap. 22. *Viennæ habitum Concilium fuit, præſente Philippo, æmulis Bonifacii urgentibus quicquid ad eum damnandum facere videretur*: Sed non eſt ſapientia, non eſt prudentia contra Dominum: *Quem ille juſtificat, quis condemnabit? Voluerunt Bonifacii hoſtes ſempiternam illius nomini notam inurere, perpetua hæreſeos macula eum reddere infamem; ſed qui vocat e tenebris lumen Deus, hoc ipſum Concilium, quo illum infami criminum nefandorum macula damnandum hoſtes ſperabant, ejus non interituræ*

Digitized by Google

gloriæ operari voluit. Nequicquam enim opponente invidia, accuſante impietate, ab univerſis Patribus, Catholicus nullaque infectus hæreſeos labe pronuntiatur. Idque argumentis petitis e jure Cæſareo Richardus Senenſis, e Pontificio, & Decretalibus, quas vocant, Gentilis Monteſlorius, e Theologia Joannes Murrenſis ſolidiſſime demonſtrarunt; Caroccio, & Gulielmo cognomento Debolo Catalanis ad ſingulare certamen provocantibus eos, qui Bonifacium laceſſirent. Atque ita patrocinante Numine, Synodo decernente, applaudentibus univerſis, vicerunt innocentia, & veritas, vicit Bonifacius, illudque inimici ejus conſecuti ſunt, ut cum æternæ memoriæ Concilio, æternum maneret integritatis Bonifacii, & malitiæ hoſtium illius monumentum. Eamdem teſtatur rem Ciacconius in vita Cardinalis Gentilis de Montefloro: *In Concilio Viennenſi Bonifacium VIII. Catholicum Pontificem fuiſſe conſtantiſſime aſſeruit, eumque Theologica facultate contra illos defendit, qui ipſius memoriam tamquam Heretici a Clemente damnari contendebant. Coram Philippo Galliarum Rege, petitis ex Jure Canonico argumentis, Bonifacium fuiſſe Pontificem, & inſontem ab impoſitis calumniis demonſtravit, quia & litteris ſcriptis teſtatus eſt Orbi Bonifacium pie vitam clauſiſſe.* Rurſumque in vita Joannis Minii, ſeu de Murro ait: *Bonifacium VIII. quem Philippus Francorum Rex, tamquam Hæreticum damnari petebat, Theologica facultate defendit in Concilio Viennenſi, & impiam Adverſariorum temeritatem repreſſit.* Idipſum Vvadingus in Annalibus Fratrum Minorum, & de Scriptoribus Franciſcanis narrat. Uterque vero fuerat Lector Sacri Palatii, uterque ex illa Romana Academia prodierat, quam Bonifacius pluribus diſciplinis, & privilegiis pluribus auxerat, & in qua litterarum ſtudia efloreſcere curaverat. Adeo verum eſt, ex optimo Academiæ Romanæ ſtatu, ſubſidium, præſidiumque, ad contemnendos Sedis

Apo-

Apoſtolicæ hoſtes, ad vindicanda Romanæ Eccleſiæ jura, Romanis Pontificibus nunquam defuturum.

V. Bonifacio ſucceſsit Benedictus XI. & huic Clemens V. anno milleſimo tercenteſimo quinto, a quo Pontifice in generali Viennenſi Concilio poſt ſex annos celebrato novum ornamentum accepit Gymnaſium Romanum. Statuit namque Conſtitutione, quæ extat inter Clementinas, Titulo *De Magiſtris*, ut in Gymnaſiis Romano, Pariſienſi, Oxonienſi, Salamantino, Bononienſi ſtudia vigerent Orientalium Linguarum Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ: *Inter ſollicitudines noſtris humeris incumbentes perpeti cura revolvimus, ut errantes in viam veritatis inducere, ipſoſque lucrifacere Deo ſua nobis cooperante gratia, valeamus: hoc eſt, quod profecto deſideranter exquirimus, ad id noſtræ mentis ſedulo deſtinamus affectum, ac circa illud diligenti ſtudio, & ſtudioſa diligentia vigilamus: Non ambigimus autem, quin ad hujuſmodi noſtrum deſiderium aſſequendum Divinorum Eloquiorum ſit expoſitio congrua, ipſorumque fidelis prædicatio admodum opportuna. Sed nec ignoramus, quin & hæc promi noſcantur inaniter, vacuaque redire, ſi auribus linguam loquentis ignorantium proferantur: Ideoque illius, cujus vicem in terris (licet immeriti) gerimus, imitantes exemplum, qui ituros per univerſum Mundum ad Evangelizandum Apoſtolos in omni linguarum genere fore voluit eruditos, viris Catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus utuntur Infideles præcipue abundare ſanctam aſſectamus Eccleſiam, qui Infideles ipſos ſciant, & valeant ſacris inſtitutis inſtruere, Chriſticolarumque Collegio per doctrinam Chriſtianæ Fidei, ac ſuſceptionem ſacri Baptiſmatis aggregare. Ut igitur peritia linguarum hujuſmodi poſſit habiliter per inſtructionis efficaciam obtineri: hoc Sacro approbante Concilio Scholas in ſubſcriptarum linguarum generibus ubicumque Romanam Curiam reſidere contigerit,*

nec non in Pariſienſi, & Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantino Studiis providimus erigendas: Statuentes, ut in quolibet locorum ipſorum teneantur viri Catholici ſufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldeæ Linguarum notitiam: duo videlicet uniuſcujuſque Linguæ periti, qui Scholas regant inibi, & libros de Linguis ipſis in Latinum fideliter transferentes, alios Linguas ipſas ſollicite doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant: ut inſtructi, & edocti ſufficienter in Linguis hujuſmodi, fructum ſperatum poſſint (Deo auctore) producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles. Quibus equidem in Romana Curia legentibus per Sedem Apoſtolicam, in ſtudiis vero Pariſienſi per Regem Franciæ, in Oxonienſi Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, ac Vualliæ, in Bononienſi per Italiæ, in Salamantino per Hiſpaniæ Prælatos, Monaſteria, Capitula, Conventus, Collegia exempta, & non exempta, Eccleſiarum Rectores in ſtipendiis competentibus, & ſumptibus volumus providere: contributionis onere ſingulis juxta facultatum exigentiam imponendo: Privilegiis, & exemptionibus quibuſcumque contrariis nequaquam obſtantibus, quibus tamen nolumus, quo ad alia præjudicium generari. Ita Clemens Papa V. In antiquioribus Codicibus Græca Lingua additur Hebraicæ, Chaldaicæ, & quidem congruenter ad optimum Pontificis conſilium de hiſce ſtudiis inſtituendis. Duo enim Clementem, Patreſque Viennenſes ad hanc Orientalium Linguarum notitiam commendandam potiſſimum impulere. Quorum unum eſt, ut Divinæ Litteræ, quæ Hebræo, Græcove ſcriptæ fuerunt ſermone, & in Arabicum, Syriacum, Chaldaicum translatæ, melius, faciliuſque intelligerentur, ac explanarentur; alterum, ut Orientales a Catholicis diſſidentes facilius, commodiuſque ad unitatem perducerentur. Fuſe de neceſſitate, ac utilitate ſtudii harum Linguarum agunt Mabillonius, Du-

Digitized by Google

Dupinius, aliique differentes de ſacris ſtudiis recte inſtituendis. Notumque eſt quantum lucis, & utilitatis, poſtremis hiſce temporibus acceſſerit Catholicæ doctrinæ ex Orientalium libris, præſertim Liturgiis a Renaudotio, Vanslebio, Aſſemanno translatis. Ipſe Vanslebius, qui Orientem adierat, ut ex iis libris quidquam Lutheranis rebus conſentaneum caperet, agnita veritate, tranſiit ad Catholicorum caſtra. Hinc igitur Clementi Pontifici, & Patribus Viennenſibus conſilium de Orientalium Linguis edocendis. Et jam antea Raimundus Lullus in hiſce ſtudiis, ac Philoſophia verſatiſſimus, cum Romam veniſſet anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo, Honorio IV. Pontifice, auctor fuerat, ut in Cœnobiis ad Infideles convertendos excitarentur Scholæ Linguarum Orientalium. Sed quod novam artem communem, univerſalemque ſcientiarum omnium commendaret, eamque publice legendi veniam peteret, neglectus abiit in Aſiam, Africamque, tum Neapoli docuit, deinde Genuæ pedem fixit. Has deinde Scholas Orientalium Linguarum in Cœnobiis eſſe Paulus V. Conſtitutione *Apoſtolicæ* imperavit. Itaque Clemens V. & Concilium Viennenſe decreverunt in Academiis Romana, Bononienſi, Pariſienſi, Oxonienſi, Salamantina, Orientalium Linguas publice edoceri. Atque id indicat, ea tempeſtate, in omni Europa, ſummam fuiſſe exiſtimationem, famamque harum Academiarum, ut omnium nobiliſſimæ haberentur. Et de Pariſienſi quidem, patet ex ipſius Hiſtoria a Bulæo conſcripta, quam, & quot titulis, pluribus ab hinc ſæculis ſplendidiſſime effulſerit. Bononienſis Academiæ ſumma ſemper dignitas fuit, ut eam Innocentius IV. in Conſtitutione *Quaſi*, addens Theologica ſtudia dixerit uti *ſtellam perfulgidam emicuiſſe, & diffuſa claritate longe lateque refulſiſſe in Jure Canonica, & Civili, & liberalibus artibus*. Eamdem Pius IV. Conſtitutione *Sacri* vocat *Studiorum matrem*. Falſo tamen

men Joannes Andreas eam facit Romana antiquiorem, utpote quam cenſet a Innocentio IV. excitatam. Oxonienſem Scholam ab Alfredo Rege ſapientiſſimo erectam nono ſeculo, celeberrimam fuiſſe, & initio ſæculi decimi tertii tria habuiſſe Studioſorum millia, qui pro ſuis tuendis privilegiis contendebant, patet ex illius Hiſtoria a Vootdio deſcripta, & ex Middendorpio in libro Academiarum univerſi Orbis. Nec exigua fuit Academiæ Salmaticenſis gloria, cujus teſtes ſunt Mendo, Gonzalez, Middendorpius. Iis vero Romana Academia, antiquitate temporis, nobilitate Urbis, peritia Profeſſorum, frequentia Auditorum, privilegiis Principum, minime concedebat. Hinc igitur ab hiſce tote Orbe Scholis præclariſſimis, Clemens Pontifex, & Viennenſe Concilium ad univerſos defluere ſtudia Orientalium Linguarum voluere; ut olim Imperatorum Legibus, ex Scholis Romana, Conſtantinopolitana, ac Berytenſi derivabat ad univerſos ſcientia Juris.

VI. Itaque Romana Academia tunc temporis inter celebriores habebatur. Cujus proinde ſplendori conſervando ſtuduit etiam Joannes Vigeſimus ſecundus, etſi procul ab Urbe domicilium haberet. Nam edita Conſtitutione *Dignum duximus*, anno milleſimo, tercenteſimo, decimo octavo, Pontificatus ſui anno ſecundo probavit, confirmavitque Boniſacii Octavi Sanctionem de Studio Urbis, & privilegia ei collata, teſtatus plurimos ad Urbem ſtudiorum cauſa confluere. Tum Vicario Urbis demandavit curam conſtituendi, certis quibuſdam ſervatis conditionibus, Profeſſores, Doctoreſque Romani Gymnaſii: *Nos Urbem eamdem propter præmiſſa ſuæ devotionis inſignia uberioris dono gratiæ proſequi cupientes, auctoritate Apoſtolica de Fratrum noſtrorum conſilio, Vicario noſtro in dicta Urbe in ſpiritualibus, qui nunc eſt, & pro tempore erit, impertiendi perſonis ad hoc idoneis docendi licentiam juxta infraſcriptum modum li-*

be-

beram concedimus facultatem, auctoritate prædictâ, tenore præſentium ſtatuimus, ut ſi qui proceſſu temporis fuerint, qui ſibi in eodem ſtudio docendi licentiam, ut alios luculentius erudire valcant petierint, impertiri, in Canonico & Civili examinari poſſint ibidem, in iiſdem facultatibus dumtaxat titulo Magiſterii decorari: & ut quoties aliqui fuerint promovendi, præſentantur eidem Vicario, qui pro tempore fuerit, vel ei, quem ad hoc Vicarius duxerit deputandum: qui Magiſtris facultatis illius, in qua examinatio fuerit facienda, tam Regentibus, quam non Regentibus quinque vel quatuor ad minus in eodem ſtudio præſentibus convocatis, eos gratis, & difficultate quacumque ſublata in dictorum Magiſtrorum præſentiam de ſcientia, facundia, modo legendi, & aliis, quæ in promovendis ad Doctoratus ſeu Magiſtratus officium requiruntur examinare ſtudeant diligenter: nullum tamen, qui doctorari petierit in Jure Civili ad hujuſmodi examinationem admittat niſi qui ad minus ſex annis Civilia Jura audierit, & duobus ſaltem ex eis illa in aliquo ſtudio generali, ac Inſtitutionem, vel duos Digeſtorum, vel Codicis libros publice legerit in eodem: uno ſaltem eorum perlecto in Romano ſtudio, quo fuerit doctorandus. Nullum etiam, qui doctorari petierit in Jure Canonico ad hujuſmodi examinationem recipiat, niſi quinque annis Canonica Jura audierit, ex quibus ſaltem duobus illa ſimiliter in aliquo ſtudio generali, ac duos vel unum Decretalium librorum publice legerit in Romano, in quo fuerit magiſtrandus. Additur, computandos eſſe annos illos duos, in quibus Jura legerint, cum aliis annis, in quibus Jura audiverunt. Hac igitur Conſtitutione, nulli poterant in Romano Gymnaſio aſſequi Doctoris munus, honoremque, niſi illorum ſcientia comprobata fuiſſet ſuffragiis Profeſſorum illius facultatis, in qua illi exoptarent Doctores conſtitui. Atque examen hoc peragendum erat, præſente Urbis

bis

bis Vicario. Jam vero ad hoc examen ſubeundum non quidem univerſi admittebantur; ſed ii dumtaxat, qui vel annis quatuor Juri Civili, vel annis tribus Juri Canonico addiſcendo operam dediſſent; tum annis duobus Jura edocuiſſent, & eorum uno in Gymnaſio Romano. Si his conditionibus prædìti eſſent, ad examen accedere fas eis erat, atque publici Profeſſores illorum ſcientiam, facundiam, elegantiam, diligentiam explorabant, tum illos Magiſterio dignos pronunciabant. His vero hac lege probatis fas erat, ubique e cathedra docere. *Illi autem, qui in Civitate præfata examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut eſt dictum ex tunc abſque examinatione, vel approbatione alia regendi, & docendi ubique plenam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi*. Plura deinde Pontifex addit, ut examen illud rite perficeretur. Vicarium nempe huic examini adeſſe debere, atque propoſitis tantum, non tactis Evangeliis jurare, ſe iis dumtaxat, qui reipſa probati fuerint, docendi facultatem conceſſurum: ſique legitime impeditus adeſſe nequiverit, aliumque delegaverit, hunc tactis Evangeliis, ſimile juramentum daturum: nemini concedendam facultatem docendi, niſi ei, *quem omnes, vel major pars Doctorum, qui hujuſmodi examinationi intererunt, approbabunt*: Profeſſoribus quoque ad examinandum accerſitis jurandum eſſe ſimili ratione. Hanc vero examinis formam Pontifex præſcribit: *Licentiando in Jure Canonico aſſignetur puncta de mane, videlicet unum Decretum, & una Decretalis: Licentiando etiam in Jure Civili puncta hora prædicta ſimiliter aſſignantur, una Lex videlicet in Digeſto veteri, & altera in Codice per Doctores ſuper quibus dicti Licentiandi examen fuerint ſubituri: Iidem vero Doctores ad mandatum ejuſdem Vicarii hora competenti poſt nonam ejuſdem diei ſuper prædictis punctis ſubjicient licentiandum examini, & tam circa examen hujuſmodi, quod ſit in*

Digitized by Google

in ſecreto, *quam circa examinationem publicam cætera obſervent*, *quæ in ſimilibus conſueverint in Bononienſi ſtudio obſervari*. Perſpectum eſt, hac Conſtitutione agi de iis Doctoribus, qui ſimul Profeſſores eſſent conſtituendi. Ita enim indicant illa Pontificis verba: *Si qui proceſſu temporis fuerint*, *qui ſibi in eodem ſtudio docendi licentiam*, *ut alios luculentius erudire valcant*, *petierint impertiri*. Quapropter is ordo ad illos ſpectabat, qui deinde aucti honore Doctoris ſeu Magiſtri in publicis Gymnaſiis docebant. Hinc illud patet, quanta olim cura, & diligentia in Romano Gymnaſio Doctores declararentur. Præclara quoque ab eodem Pontifice ſancita ſunt Conſtitutione, *Inter cæteras*, de ſtudio Peruſino erecto a Clemente V. & Conſtitutione, *Dum ſollicitæ*, juſſit in eodem ſtudio eſſe Cathedras Artium, & Medicinæ, utque Epiſcopus Lauream concederet, iis, qui, prævio examine, hoc honore digni haberentur.

VII. Ex hac Joannis XXII. Conſtitutione colligitur Romanum Gymnaſium, ubi Jura Eccleſiaſtica, & Civilia explicabantur, Pontificibus Avenione commorantibus, minime deſiiſſe, imo potius viguiſſe. Veriſimile eſt eximios illos Juriſconſultos Ricardum de Senis, Dinum Mugellanum, Gulielmum de Mandagotto poſtea Archiepiſcopum Ebrodunenſem, & Berengarium Fredoni deinde Epiſcopum Biterrenſem, quorum opera uſus eſt Bonifacius VIII. in concinando libro ſexto Decretalium, aliquando in Gymnaſio Romano Jura docuiſſe. Neque enim illorum in hac re operam neglexiſſet Bonifacius, qui nihil ſibi reliquum fecit, ut Romanam Academiam ſummo in honore collocaret. Certe tamen docuit hoc ſæculo in Gymnaſio Romano inſignis ille Juriſconſultus Oldradus de Ponte diſcipulus Dini, poſtquam Bononiæ, & Patavii tanta gloria profeſſus eſſet, ut pater legum diceretur. Is igitur Romam ad docendum conductus præclara ibi edidit in Jus Civile Commentaria, adlectusque inter Ad-

 vo-

vocatos Conſiſtoriales, magna claruit fama, & luculenta Reſponſa in Vulgus emiſit, & alia plurima Opera, quæ periere; ſolumque extat volumen Reſponſorum, ex quo non pauca ſibi Joannes Andreas adſcripſit. Tum Avenionem petiit, & apud Joannem XXII. in magna fuit auctoritate, utpote qui illius opera utebatur in difficilimis Eccleſiæ negotiis, illumque conſuluit, quid eſſet faciendum in ſchiſmate a Ludovico Bavaro, & Petro Corbario Pſeudopontifice excitato, extatque in hac re Olradi Conſilium, quod in ſuis Annalibus retulit Bzovius. Ibi etiam coram Roberto Siciliæ Rege cauſam defendit Thomæ Sanſeverini, pro quo Comitatum Sancti Severini evicit. Sed accuſatus apud Pontificem, quod Clientes prodidiſset, graviterque reprehenſus, concepto ex animi mœrore morbo e vivis exceſſit, circa annum MCCCXXXV. Huic addendus alter eximius Juriſconſultus Angelus Ubaldus Peruſinus celeberrimi Baldi Ubaldi germanus frater, qui prius in patria, deinde Romæ interpretatus eſt Jura, ut ipſemet ſcribit in Commentario ad Leg. 1. §. *Pueritiam* Digeſtis *De poſtulando*. Poſtea Florentiæ functus eſt eodem munere, tandemque Patavii, circa annum MCCCLXXXVI. ſcripſitque Commentaria in Jus Civile, volumen Reſponſorum, & alia Opera. Verum celebrem Scholam Theologicarum rerum Sacri Palatii, ſecum Pontifices Avenionem tranſtulerant. Nam Magiſter, Lectores, & Schola Sacri Palatii, quemadmodum cætera Palatii Pontificii officia, & miniſteria, ſequebantur ubique Pontificem. Et Avenione quoque in magna erat dignitate, virique ſelectiſſimi ad haſce cathedras acccerſebantur. Memorat Lezana in Annalibus Carmelitarum Petrum de Berreto Narbonenſem Carmelitam, Confeſſarium Clementis VI. ſimulque Lectorem Sacri Palatii, poſtea Epiſcopum Graſſenſem, & tandem anno Chriſti MCCCXLVIII. Epiſcopum Vaſionenſem, qui plura ſcripſit Theologica Opera, uti conſtat ex Ludovico Jacobo in Biblio-

bliotheca Carmelitarum. Hunc tamen Ludovicus Jacobus, & Sammarthani in Gallia Chriſtiana agentes de Epiſcopis Vaſionenſibus ſcribunt Magiſtrum Sacri Palatii, vel ex errore, vel quod nomine Magiſtri intellexerint Lectorem. Alterum ejuſdem Inſtituti virum doctiſſimum, Lectoremque Sacri Palatii ſub Joanne XXII. laudat Lezana in Annalibus Carmelitarum, nempe Guidonem de Perpignano, cujus etiam meminit Thomas Valdenſis Tom. 2. de Sacram. Cap. 64. ubi ait: *Credi poteſt ſimiliter deliquiſſe Joannem Paris in verbo quando ſcripſit in Tractatu ſuo determinato, hanc viam impanationis ad tantum placuiſſe Doctori Guidoni noſtri Ordinis Fratrum Carmelitarum, tunc quidem Lectori Sacri Palatii, ut ſi foret Papa ipſam decerneret eligendam.* Fuit Guido ſupremus ſui Ordinis Præſes, tum Epiſcopus Majoricenſis, ac tandem Elnenſis, plures nomine Pontificis obiit legationes, plurimumque tuendis Eccleſiæ, & Pontificis partibus contra Bavarum, Corbarium, Okamum contulit. Multos edidit libros Theologicos, ac Philoſophicos, quos inter recenſentur Opus tripartitum de perfectione vitæ Catholicæ, liber Quæſtionum variarum, Opus de concordia Evangeliſtarum, Correctorium Juris, Summa de hæreſibus, & alia Opera, uti videre eſt apud Sixtum Senenſem, Trithemium, Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Lucium Belgam in Bibliotheca Carmelitarum. Sub eodem Pontifice Joanne XXII. in Avenionenſi Schola Sacri Palatii, Sacras Scripturas interpretabatur Durandus a S. Portiano ex Ordine Prædicatorum Magiſter Sacri Palatii, ut ipſemet ſcribit in Commentariis ad libros Sententiarum, & alibi dictum jam fuit. Unde patet, hanc Scholam, ejuſque Profeſſores apud Romanos Pontifices ſemper in magno honore fuiſſe.

VIII. At diuturna Romanorum Pontificum ab Urbe abſentia perdidit tandem Gymnaſium Romanum, quod ſedentibus Avenione Clemente V. & Joanne XXII. non-

Digitized by Google

dum defecerat. Tum graviſſimæ calamitates, quas Urbs paſſa eſt, iis quoque temporibus, cum Pontifices ad eam rediere, præſertim ſub Urbano VI. & Bonifacio IX. impedimento fuere, quominus Scholæ publicæ reſtituerentur. Nam & ſchiſma graviſſimum, & moleſta exterorum Principum arma, hoſtium irruptiones, frequenteſque Civium diſſenſiones, Urbem, reſque publicas diu multumque perturbarunt. Certe Innocentius VII. cum anno MCCCCVI. cœpit conſilium de reſtituenda Romana Academia, teſtatus eſt, eam diu antea deſiiſſe: *Hujuſmodi ſtudia*, ait, *per longiſſima ſpatia hactenus intermiſſa*. Deſiit igitur Romana Academia, & magno quidem cum Sedis Apoſtolicæ detrimento. Cum enim anno MCCCLXXVIII. mortuo Gregorio XI. qui Sedem Pontificiam reſtituerat Urbi, clamoribus, minisque Romani petiiſſent Italum Pontificem, electuſque fuerit Urbanus VI. enatumque inde difficillimum illud ſchiſma Avenionenſe, quod Cardinales cauſati nullam Urbani electionem, ob vim ſibi a populo illatam, alium Pontificem Clementem VII. Fundis conſtituiſſent; diu, multumque diſputatum utrinque eſt, quis rite, meritoque in Petri Cathedra ſederet. *Multæ diſputationes*, ait S. Antoninus Chron. Par. 3. Tit. 22. Cap. 2. *multi libelli editi pro utriuſque partis defenſione. Peritiſſimos viros in Sacra Pagina, & Jure Canonico habuit toto tempore illo, quo duravit id ſchiſma utraque pars, ac etiam religioſiſſimos viros, & quod majus eſt etiam miraculis fulgentes; nec unquam ſic potuit quæſtio illa decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia*. Viros doctos, Academiaſque in ſuas partes trahere ſtuduit uterque Pontifex. Urbanus, ejuſque fautores Baldum inſignem illum Peruſinum Juriſconſultum conſuluere, extatque Baldi Conſilium pro tuenda Urbani electione, quod in ſuis Annalibus retulit Raynaldus. Conſultus quoque de eadem re Joannes de Lignano celebris Profeſſor Bononienſis ſuffragatus eſt electio-

ctionis Urbani VI. diffuſa Allegatione, quam etiam Raynaldus in calce Tomi XVII. Annalium protulit. Eamdem Urbani electionem, tum alii Juriſconſulti, tum Richardus de Senis Profeſſor Bononienſis ſcriptis comprobarunt, hujuſque in hac re ſententiam exhibet Cæſar Bulæus Egaſſius in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis. Quod ſi tunc temporis Romana Academia inſigniter floruiſſet, magnum ſane, firmum, certumque præſidium juribus Pontifici attuliſſet, quo eorum, qui Clementi favebant, auctoritatem ſubmoviſset. In hujuſmodi enim controverſiis, ad populos in officio continendos, magni ſunt momenti ſuffragia doctorum virorum, præſertim vero celeberrimæ alicujus Academiæ. Hinc tum Urbanus Pontifex, tum Cardinales, qui ſchiſma fecerant, aliique Clementis fautores, nil ſibi reliquum fecerunt, ut præclariſſimam Academiam Pariſienſem, cujus magna ſemper dignitas fuit, ſuis partibus adderent. Extant plures in hanc rem litteræ Urbani, & Cardinalium ad Univerſitatem Pariſienſem datæ, quas in hujus Hiſtoria refert Cæſar Bulæus Egaſſius. Et primo quidem Pariſienſis Academia anceps hæſit, imo Urbano adhæſiſſet, niſi Rex, & conventus Epiſcoporum, ac Theologorum ad hanc rem habitus, qui pro Clemente pugnabant, illam ſuas in partes pertraxiſent. Egregie tamen ſtuduit pro concilianda Eccleſiæ pace. Nam & apud Regem, & apud Clementem graviter inſtitit, ut ſchiſmati finis imponeretur; jamque Cardinales illarum partium commoverat, niſi Clementis obitus inita mutandi conſilia occaſionem præbuiſset. Quæ omnia fuſe narrantur a Spondano in Annalibus Eccleſiaſticis, & a Bulæo Egaſſio in Hiſtoria illius Univerſitatis. Præter exteros, non deerant Urbano domeſtici hoſtes. Narrat enim Theodoricus de Niem in hujus ſchiſmatis Hiſtoria quemdam Bartholinum de Placentia Procuratorem in Romana Curia, ſuffragantibus ei nonnullis Theologis, ac Juriſconſultis propoſitiones aliquas

Digitized by Google

quas in medium protuliſse, quæ Pontificiæ dignitati graviter derogabant. Tuendis igitur juribus Pontificiis, conſervandæ ejus dignitati, refellendiſque ejus hoſtibus, neceſse eſt præſto ſemper adeſse Romanam Academiam viris undequaque doctiſſimis conflatam, ut, pro re nata, neceſse non ſit exterorum opem implorare, ac peregre noſtris rebus præſidium arceſsere. Accedit, Romanam Eccleſiam eſſe omnium Eccleſiarum magiſtram in Theologicis rebus, Eccleſiaſtica diſciplina, ſacriſque cæremoniis, iiſque omnibus, quæ ad religionem ſpectant. Ad ipſius Judicium cæteræ Eccleſiæ, Catholicique omnes confugiunt, ubi de religione agitur, de libris, de propoſitionibus, vel probandis, vel proſcribendis, deque omni Eccleſiaſtica controverſia definienda, juxta pervetuſtam variarum Eccleſiarum conſuetudinem, de qua ſuſe loquitur ſcriptor eximius Chriſtianus Lupus ubi agit de appellationibus ad Romanam Apoſtolicam Sedem. Porro convenit, ut Summo Pontifici in tantis rebus, quas recenſui, Romana Academia ſuam operam præſtet.

* * * * * * * * * *
* * * * * *
* * *
* *
*

C A-

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE GYMNASIO ROMANO SÆCULO DECIMO QUINTO

Innocentius Septimus extinctam Romanam Academiam inſtaurare conatur. II. Quam floruerint in Urbe Litteræ, Eugenio Quarto Pontifice. III. Eugenius ædes, & ſtipendia publicis Profeſſoribus addicit. IV. Nicolaus Quintus magnus Litterarum, & Gymnaſii patronus. V. Eximii Profeſſores illius ævi. VI. De Ariſtotelis, & Platonis fortuna in Gymnaſio Romano. VII. Status Gymnaſii ſub Pontificibus, qui ſucceſſere. VIII. De conſtituendis Doctoribus in Theologia. IX. Et in utroque Jure. X. De Cancellariis Univerſitatum.

I. Siluerat diu Romanum Gymnaſium, rebus publicis quammaxime turbatis, cum Innocentius VII. multarum, magnarumque rerum peritiſſimus, inchoante ſæculo decimoquinto, ſupremum Pontificatum adeptus eſt. Qui, ubi primum, pacata Romanorum ſeditione, cujus cauſa Viterbium ſeceſſerat, rediit ad Urbem, ſtatim de inſtauranda Academia cogitavit, viris doctiſſimis in eam accitis. Memorat hanc rem Theodoricus de Niem, auctor illius ævi, in Hiſtoria de Schiſmate, Lib. 2. Cap. 39. ubi poſtquam retulerit Innocentium Romam reverſum, magna civium lætitia exceptum, addit: *nec non generale ſtudium in ipſa Urbe renovavit, quod eo defuncto ſtatim evanuit*. At Odoricus Raynaldus Tomo XVII. Annal. Eccleſ. ad annum MCCCCVI. exhibet ipſum Innocentii Diploma ad hanc rem editum, quod

Digitized by Google

quod eſt hujuſmodi: *Ad exaltationem Romanæ Urbis, & Curiæ noſtræ decorem pervigili animo, & aſſidua meditatione intendentes omnia quærimus, & diſponimus, unde illis queat honor, & utilitas laudabiliter provenire. Cum itaque litterarum ſtudia, & bonarum artium doctrinæ, præter ſummam, ac manifeſtiſſimam utilitatem, quam privatim atque publice afferunt, maximum ornamentum, ac dignitatem illis Civitatibus, & locis, in quibus ipſa vigent præbere videantur, & cum pace, ac tranquillitate cujus nos eſſe cupidiſſimos profitemur maxime ſint conjuncta, decrevimus, Deo auctore, hujuſmodi ſtudia per longiſſima ſpatia hactenus intermiſſu in hoc tempore Pontificatus noſtri ad hanc Urbem reducere, & omni fomento, ea rurſus excitare, ut homines per eruditionem, veritatem rerum agnoſcant, & Deo, atque legibus parere addiſcant. Facultatibus itaque omnibus ſingillatim diviſis, ſingulis eorum, ut moris eſt, ſuos præfecimus Magiſtros, viros peritiſſimos, & longo ſtudio, longiſque vigiliis inſtructos, data a nobis opera diligenti, ut nemini ſtudioſo in quacumque Diſciplina, bonus, atque laudabilis deſit Præceptor. Primum enim in Theologia ſubtiliſſimi Magiſtri, deinde tam Jure Canonico, quam Civili prudentiſſimi Doctores, & omnem judiciorum uſum per exercitationem callentes, in hac Urbe docebunt. Erunt & Medicinæ Profeſſores famoſiſſimi ad eam ipſam artem oſtendendam deputati, nec Philoſophiæ, rerumque naturalium, & præterea Logicæ, atque Rhetoricæ artis deerunt Præceptores; erit denique, ſic enim providimus, ut nihil huic noſtro deſit ſtudio, qui litteras Græcas, omneſque ejus Linguæ auctores perfectiſſime doceat. Ab hujuſmodi igitur Doctoribus ad legendum in hac Alma Urbe deputatis, omnes, qui diſcendi flagrant cupiditate ſolertiſſimi inſtrui poterunt. Quod ſi quis eſt, qui putet ipſum locum, in quo ſtudetur, atque proficitur, auctoritatem quamdam hominibus afferre,*

re,

re, is conſiderare debet hujus inclytæ Urbis incomparabilem excellentiam, nulla enim eſt Urbs in toto Orbe terrarum, quæ magis illuſtris, magiſque magnifica ſit, & in qua hæc ipſa ſtudia, quæ nos reducere intendimus, diutius floruerint: in hac enim Latinæ Litteræ a principio inventæ, in hac Jura Civilia ab incunabulis ſcripta atque populis tradita; hæc ſacrorum ſedes eſt Canonum: in in hac omnis ſapientiæ ratio, omniſque doctrina, vel a principio inventa, vel a Græcis tranſumpta, cæteræ igitur Civitates aliena ſtudia docent, hæc ſua propria, & vernacula profitetur. Quamobrem accelerent homines hanc Urbem ſtudiorum gratia adire, ut in noſtris, atque Curiæ noſtræ oculis per virtutem cogniti, præmia laborum ampliſſima conſequantur. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo. Is fuit annus Chriſti MCCCCVI. In horum numero Profeſſorum, quos Innocentius in Romanum Gymnaſium vocavit, videtur recenſendus Theodorus Beneventanus, cujus mentionem faciunt Toppius in Bibliotheca Neapolitana, & Gianus in Annalibus Servorum B. Mariæ Virginis. Qui prius in Salernitana Academia docuerat, tum Ordini Servorum nomen dederat, atque Peruſiæ Scholis præerat, tandemque circa hæc tempora in Romano Gymnaſio ſedem habuiſſe dicitur a Giano. Nil igitur omiſit Innocentius ad inſtaurandum Gymnaſium Romanum. Nam & viros doctiſſimos eo accerſivit, & illic Diſciplinas omnes tradi juſſit, Theologiam, Medicinam, Philoſophiam, Logicam, Jus Civile, Jus Canonicum, Rhetoricam, Græcaſque litteras. Atque ſingulæ hæ diſciplinæ ſingulos habuere Profeſſores. Neque tunc primum id inſtitutum, ſed jam antea in uſu fuerat, uti indicant hæc Innocentii verba: *Facultatibus itaque omnibus ſingillatim diviſis, ſingulis eorum, ut moris eſt, ſuos præfecimus Magiſtros.* Quanta fuiſſet Romanæ Academiæ gloria, ſi diuturnior huic Pontifici vita fuiſſet! At magno

Digitized by Google

cum litterarum detrimento, paulo poſt vivis ereptus eſt, eoque extincto, cum nondum res Gymnaſii Romani firmæ eſſent, rurſum Litteræ priſtinam calamitatem ſubiere. Id vero indicatur a Theodorico Niemio citato loco, his verbis: *quod eo defuncto ſtatim evanuit*. Hinc Academiæ Romanæ renovatio, ſæculo decimo quinto, Eugenio IV. Pontifici eſt adſcribenda.

II. Hactenus rerum Theologicarun, ac utriuſque Juris, Linguarum etiam Orientalium ſtudia in Gymnaſio Romano potiſſimum viguere. Non quod cæteris liberalibus Diſciplinis nullus in eo eſſet locus; cum Bonifacius VIII. drecreviſſet, Studia ibi ne deeſſent *cujuslibet facultatis*; & Innocentius VII. omnes in illud ex antiquo more intuliſſet Diſciplinas. Sed nondum illæ priſtinum ſplendorem diu in Italia, & toto Occidente neglectum, tandem receperant. Et huic quidem bonis artibus reſtituendo, præclariſſima illa duo ingenia Dantes, & Petrarca non mediocriter contulerunt. Demum id contigit cadente ſæculo XIV. cum clariſſimus ille Emmanuel Chriſoloras Byzantinus, domi optimis artibus innutritus, bono litterarum fato, e Græcia in Italiam appulit, Legatus Joannis Paleologi Græcorum Imperatoris, cauſa implorandi auxilii ad reprimendum Bajazethum Turcarum Imperatorem. Ille enim, Græcia præſenti metu liberata, quod Bajazethum cepiſſet Tamerlanus Tartarorum Imperator, pedem in Italia fixit, ac Venetiis primum, mox Florentiæ, deinde Romæ, tandem Ticini Græcas Diſciplinas docuit, eaſque ſeptingentis pluſquam annis hactenus in Occidente neglectas ſuſcitavit, diſcipulos nactus magni ingenii, & eximiæ poſtea doctrinæ Franciſcum Barbarum, Franciſcum Philelphum, Poggium, Aretinum, Strozzium, Guarinum, Vergerium, Ugolinum, Ambroſium Camalduenſem, Antonium Corbinellum, Jannotium Mannetum, alioſque, a quibus Græci libri e pulvere tracti, Græcaque litteratura e te-

e tenebris eruta, per Italiam diffuſa eſt. Quapropter Chriſoloram hoc decimoquinto ſæculo vivis ereptum Conſtantiæ, quo venerat cauſa viſendi Concilii, memorant extolluntque Scriptores, utqui primus in Occidente auctor fuerit revocandi Græcas Diſciplinas. In hac vero Litterarum reſtauratione, Urbs cæteris Italiæ Civitatibus longe præſtitit, tum quod ibi Chriſoloras docuerit, & plures hujus clariſſimi Diſcipuli, aut ibi vixerint, aut e publicis pulpitis docuerint; tum quia hoc ſæculo Eugenius IV. Pontifex rei litterariæ amantiſſimus imperio præfuerit. Ita enim Eugenium deſcribit Ciacconius: *Vir aſpectu inſignis, & veneratione dignus, gravis in dicendo potius, quam eloquens, modicæ litteraturæ, multæ cognitionis, Hiſtoriæ præſertim, liberalis in omnes, tum vel maxime in litteratos, quorum familiaritate delectatus eſt. Nam Leonardum Aretinum, Carolum Poggium, Auriſpam, Trapezuntium, & Blondum viros doctiſſimos ſecretis ſuis admiſit. Gymnaſia ante omnia, quam diligentiſſima fovit, maxime vero Romanum, ad quod genus omne litteraturæ adhibuit.* Acceſſit litteris favor, ac patrocinium Cardinalis Beſſarionis, viri a rebus geſtis, & a doctrinæ præſtantia ampliſſimi. Qui præclariſſima illius ſæculi ingenia in famulatu ſuo habuit Theodorum Gazam, Plethonem, Andronicum Theſſalonicenſem, Domitium Calderinum, Nicolaum Perottum, Valerium Viterbienſem; uſus quoque familiaritate inſignium plurium virorum, Trapezuntii, Argyropili, Philelphi, Blondi, Leonii, Aretini, Poggii, Vallæ, Campani, adeo ut communi ſuffragio *Litterarum Patronus* diceretur. Tanto igitur patrocinio Eugenii Pontificis, & Beſſarionis Cardinalis, tot viri doctiſſimi in Urbe fuerunt, horum plures in Gymnaſio publice docuerunt; & Liberales Diſciplinæ in Urbe præ aliis Italiæ Civitatibus, Gymnaſiisque, inſigniter floruerunt.

III. Ut vero tanta Litterarum gloria perpetuo in Ur-

Digitized by Google

Urbe vigeret, nec temporum injuria umquam deeſſet, priſtinamque Literæ ſubirent calamitatem, publicis Scholis conſulendum eſſe Eugenius decrevit. Et primo quidem illis habendis Ædes media fere in Urbe juſſit a Senatu Romano addici; tum aucto vectigali vini, quod ab exteris regionibus Romam advehunt, hæc pretia alendis Profeſſoribus juſſit erogari. Quare Eugenio excitati, ditatique Romani Gymnaſii gloriam adſcribunt Andreas Fulvius in Carmine de antiquitate Urbis ad Leonem X. Fenſonius lib. 3. Statutorum Urbis, aliique. Et hanc rem quoque memorat Ciacconius in vita Cardinalis Joannis Baptiſtæ Mellini, his verbis: *Mortuo deinde Martino, & in ejus locum Eugenio ſuffecto, cum de inſtituendo Gymnaſio Romano cum publico ſalario mentio haberetur, ortaque eſſet ob hanc rem inter Civitatem, & Pontificem diſſenſio quædam, tandem Cives ipſi domum emere non longe a Circo Flaminio, ubi Præceptores liberalium artium publice legerent, ac novum vectigal impoſuere, unde ſalarium legentibus præberetur, vini aliunde Romam advecti id vectigal eſt*. Addit, Joannem Baptiſtam Mellinum in nova hac Sapientiæ domo poſt crebras, & graves diſputationes publice habitas in conventu doctiſſimorum hominum inſignia Doctoratus accepiſſe; ejuſque diſputationibus interfuiſſe plures viros clariſſimos, Abbatem Siculum, Ludovicum Pontanum, Antonium Roſellum, Gaſpares duos, alioſque. Porro ut Gymnaſii adminiſtratio recte ſe haberet, duas in hanc rem Pontifex edidit Conſtitutiones. Harum prima lata eſt, anno MCCCCXXXI. qua confirmavit Rectori juriſdictionem civilem, criminalemque ei a Bonifacio VIII. conceſſam: *Rectores quoque, quos Doctores, & Scholares ejuſmodi Romani Studii pro tempore duxerint eligendos, in ipſos Doctores, & Scholares, & familiares ipſorum tam circa cognitionem, & deciſionem Cauſarum civilium, & criminalium civiliter motarum, & criminaliter in crimini-*

nibus levioribus, quam ipſorum corrigendos exceſſus leves, ordinariam obtineant poteſtatem. Tum ſtatuit, *ut in Gabellam vini forenſis addantur etiam pro libra tres ſolidi cum dimidio, quæ additio exigi & conſervari debeat, & pecuniæ exinde exactæ exponi juxta ordinationem Rectoris & Reformatorum pro tempore exiſtentium pro ſalario Doctorum per eos ad legendum in Studio conductorum, & omnium aliarum expenſarum in Studio hujuſmodi occurrentium.* Hactenus conſtitutio Pontificis Eugenii IV. Unde patet ſolius Rectoris juriſdictionem fuiſſe; in adminiſtratione vero publicæ pecuniæ, atque in accerſendis Profeſſoribus, ſuas habuiſſe partes Reformatores. Altera edita eſt ſequenti anno, eaque incipit *A ſupremo Patreſamilias*, quam exhibet Galganettus inter Statuta Urbis. Ibi memorat, confirmatque Eugenius primam illam Conſtitutionem, aitque decreviſſe ſe, ut generale ſtudium perpetuo in Urbe eſſet in qualibet facultate, utque Profeſſores, Auditoreſque iis omnibus donati eſſent privilegiis, quæ aliis Univerſitatibus collata ſunt, & ut ſtipendia ſolverentur Profeſſoribus ex vectigali vini ab exteris regionibus Romam advecti, rem hanc moderantibus Rectore, & Reformatoribus; ita tamen, ut ſi quid, ſolutis ſtipendiis, ex illa pecuniæ ſumma ſupereſſet, id vel ædificandis Scholis, vel excitandis Ædibus, quas Auditores illi habitarent, quibus ob inopiam nullæ eſsent, vel aliis Gymnaſii uſibus impenderetur. Prætereа Conſtitutione hac præſcripſit Pontifex ordinem eligendi poſthac quatuor Gymnaſii Reformatores. Nam juſſit annis ſingulis a Conſervatoribus Urbis ſeligendos eſse duodecim Cives Romanos, quorum aliqui ad rei litterariæ utilitatem eſſe omnino deberent in utroque Jure Doctores, horum omnium nomina exhibenda eſse Camerario Romanæ Eccleſiæ, in cujus eſset poteſtate quatuor ex illis duodecim conſtituere Reformatores Studii, ita tamen, ut ex his quatuor, unus Doctoris honore

re frueretur. Et e Tabellionibus Urbis, tres a Conſervatoribus nominandos, unum a Camerario ſeligendum, qui hoc munere in Gymnaſio fungeretur. Reformatores abſoluto ſui officii anno, reddere juſſit adminiſtrationis ſuæ rationem Conſervatoribus ipſis, & Cardinali Camerario, vel alicui, qui hujus vices gereret. Reformatorum Officium obtinuit fortaſse a Bonifacii VIII. ætate. Neque enim Eugenius hos memorat tamquam recenter inſtitutos, etſi novam illorum eligendorum formam tradidiſset. Cumque in publicis Scholis excitandis, alendiſque Senatus Romanus ſuas habuiſset partes, hinc enati Reformatores, qui Senatus nomine illarum gererent curam. Atque hoc erat inter Rectorem, ac Reformatores diſcrimen, quod Rector Summi Principis, & Cœtus Academici partes obiret, Reformatores vero Senatus, Populique Romani.

IV. Eximia ſuere Nicolai Quinti Pontificis, qui Eugenio ſucceſſit, de re litteraria merita, omnium doctorum virorum laudibus perpetuo commendanda. Quod, capta a Turcis Conſtantinopoli, profugas Græcos litteratos liberaliter exceperit, & in Gymnaſio docere juſſerit. Libros e tota Græcia perquiſitos ad ſe juſſerit afferri, & in Latinam Linguam converti; Bibliothecam veteribus, ac novis Codicibus pretioſiſſimis inſtruxerit, in qua circiter tria millia librorum volumina poſuit; doctos viros in cognatorum, & amicorum loco habuerit. Quamobrem, quotquot ſuere ea etate Scriptores, Antoninus, Cardinalis Beſſarion, Cardinalis Ægidius, Franciſcus Philelphus, aliique bene multi Nicolaum ſummis laudibus celebrarunt. Audiendus de eo Cardinalis Ægidius: *Hic viros doctos ſui temporis quot invenit, toto Pontificatus ſui tempore in libris conquirendis, exſcribendis, interpretandis exercuit, neminemque, qui aliquid librorum, aut inveniſſet, ſolertia, aut ingenio elaboratum edidiſſet, indonatum abire paſſus eſt: quemobrem tantum bo-*

no-

norum ingeniorum numerum excitavit, & in litterarum certamen adduxit, ut primus auctor fuerit his temporibus eloquii, & eruditionis. Et Franciſcus Philelphus in epiſtola ad Callixtum III. ſcribit: *Quantum ſibi gloriam comparavit Nicolaus V. cum ad cæteras virtutes ſuas, vitæque ſanctimoniam, tanta eruditione, tanta ſapientia polluit, ut omnibus benefaceret, omnes ad ſe accerſeret, quos ulla vel ingenii, vel doctrinæ præſtantia inſignes eſſe audiret! Vidimus unius ejus Optimi Sapientiſſimique Pontificis vel diligentia, vel munificentia id eſſe factum, infinita pene Græca volumina, quæ noſtris hominibus erant ignota, de rebus maximis, atque clariſſimis a Græcis Philoſophis, Hiſtoricis, Oratoribus, eleganter ſcripta in Latinum eſſe traducta ſermonem, idemque factum de libris Theologicis atque Mathematicis .... Qui poſt Urbis Conſtantinopolitanæ captivitatem Nuncios ſuos, & negociatores clam miſit per univerſam illam, & Europam, & Aſiam, quæ Turcis paret ad conquirendos, emendoſque Græcos Codices, nulli neque labori parcens, neque impenſæ, innumerabilia prope volumina ingenti etiam pretio advecta ſunt in Italiam: itaque tunc optimo dici poteſt, non periiſſe Græciam, ſed Italiam, quæ olim Magna Græcia dicta eſt, unius ejus ejus Pontificis clementia commigraſſe. Miſit etiam quamplurimos cum grandi pecunia per Europam univerſam, qui ubique diligenter odorarent, ſi quid Latinæ gravitatis, & elegantiæ uſquam lateret, idque nullius pretii rationem habentes ad ſe devehendum curarent.* Tot, & tantos doctos viros, hujus Pontificis beneficiis allectos, pluribus abhinc ſæculis Roma non viderat. Horum alii verſabantur in Aula, alii in Gymnaſio. Alii edendis, alii vertendis e Græco in Latinam linguam libris operam dabant. Tunc Dionyſii Areopagitæ, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chryſoſtomi, Cyrilli Opera in Latinum ſermonem translata. Poggius Quintilia-

lianum tunc invenit, & Enoch Aſculanus Marcum Cælium Apicium, & Porphyrionem in Opera Horatii egregium Scriptorem; Laurentius Valla vertit Latine e Græco inſignes Hiſtoricos Herodotum, & Thucididem. Nicolaus Perottus vertit Polybium, Publius Candidus Hiſtoriam Appiani Alexandrini, Poggius Florentinus Diodorum Siculum; Theodorus Gaza vertit Theophraſtum de Plantis; Guarinus Veronenſis Geopraphiam Strabonis. Et jam Litterarum ſplendori nil deeſſe videbatur. Quamvis etiam huic illarum ſplendori reſtituendo in Italia, ſuam operam contulerint Alphonſus Rex Neapolitanorum, & Laurentius Mediceus. Ille enim doctorum virorum ſtudioſiſſimus, plures in Aula ſua excepit, Panormitam, Facium, ipſumque Vallam Roma excedere coactum, & eorum ſtudia inſigniter fovit, quo nomine laudatur a Beſſarione in præfatione ad verſionem Metaphyſicorum Ariſtotelis. Is vero Græcos extorres benigne excepit; Joannem Laſcares in Græciam ablegavit, ut optimos, & antiquos Scriptores magno ære redimeret; muneribus, & ſtipendiis doctos viros excitavit Marſilium Ficinum, Angelum Politianum, Demetrium Chalcondylam, alioſque, ut proinde *pater eruditionis* diceretur. Attamen Nicolaus V. Pontifex de re litteraria præclariſſime meruit. De hujus Pontificis erga litteras, & litteratos viros patrocinio edidit *Diſquiſitionem* Vir Clariſſimus Dominicus Georgius in calce Vitæ ejuſdem Pontificis. Ex qua patet aurea ſane ſæcula Nicolaum Urbi reddidiſſe. In tanto Litterarum ſtudio, non potuit Nicolaus Romanum Gymnaſium negligere. Imo Conſtitutionem edidit, quæ extat in Collectione Bullarum Romanorum Pontificum ex Bibliotheca Petri Gomeſii excerpta, & edita Romæ anno MDXIV. in qua confirmat, innovatque Conſtitutionem Bonifacii VIII. de Studio Urbis latam anno MCCCIII. ac ait, in melius Studiorum rationem ejuſdem Gymnaſii Urbis a ſe fuiſſe reſtitutam.

Hanc

Digitized by Google

Hanc Sanctionem, quæ editoris vitio caret nota temporis, cenſet Dominicus Georgius in hujus Pontificis vita referendam eſſe ad annnm MCCCCL. Quæ fuerit hæc Studiorum ratio a Nicolao in Gymnaſium illata, temporum injuria certo definiri nequit. Veriſimile tamen eſt, nitidiorem Græcorum Philoſophiam, Græcas littteras, Latini ſermonis elegantiam, veteremque eloquentiam Gymnaſio Romano reſtitutas.

V. Ea quidem ætate, Eugenio IV. & Nicolao V. imperantibus, præclariſſimi totius Italiæ viri in Gymnaſio docuerunt. Neque enim ſolis legibus, ac privilegiis, ſed etiam conſtitutis eximiis Profeſſoribus Eugenius, & Nicolaus Gymnaſii Romani gloriæ conſuluerunt. In illorum numero Ludovicus Pontanus inſignis Juriſconſultus, quem Eugenius Protonotarium Apoſtolicum, Advocatum Conſiſtorialem, & Romanæ Rotæ Auditorem conſtituit; quemque Alphonſus Rex Neapolitanorum miſit ad Concilium Baſileenſe. Et Juo Coppulus Peruſinus,qui in libros Digeſtorum,Codicemque ſcripſit, Advocatus Conſiſtorialis, pariter ſub Eugenio Pontifice Jura in Romano Gymnaſio interpretabatur. Franciſcus Philelphus Tolentinas Græcæ & Latinæ litteraturæ periſſimus, Eugenio Pontifici, & Alphonſo Regi charus docuit in Romano Gymnaſio humaniores litteras, magna cum ſui nominis gloria, uti teſtatur doctiſſimus ille Alexander ab Alexandro Lib. 1. Cap. 23. qui ſæpe Philelphum docentem audire conſuevit: *Ad eum*, inquit, *quotidie concurſus Studioſorum juvenum, & clari nominis Profeſſorum frequens fiebat. Ipſeque inter legendum firma etiam tunc voce, & latere, novis, & exquiſitis eloquentiæ generibus præceptiſque Diſcipulos imbuebat, exploratoque judicio, ſingula dicendi genera, & Philoſophorum ſcita multo cum nitore; & cultu penſitabat, & rimabatur.* Cumque aliquando e Cathedra dixiſſet ludum litterarium Ciceronem aperuiſſe; & Gramma-

maticus quidam, qui illius gloriæ invidebat, id perfracte denegaſſet; Philelphus pluribus congeſtis Ciceronis teſtimoniis Scholam aliquando Ciceronem habuiſſe probavit. Et Philelphi partes ipſe Alexander, pluribus etiam allatis teſtimoniis de ludo litterario Ciceronis, tuendas ſuſcepit, uti patet ex citato Genialium Dierum loco, ubi narrat hanc litterariam concertationem. Qui etiam, dum Romæ degeret, audire in Gymnaſio conſuevit duos clariſſimos Profeſſores, quorum familiatitate utebatur Nicolaum Perottum, & Domitium Calderinum. Horum Perottus Latini, Græcique ſermonis peritiſſimus, poſtquam in publicis pulpitis meruiſſet, & Polybium inſignem Hiſtoricum Latinitati donaſſet, præfuit Eccleſiæ Sipontinæ Archiepiſcopus. Alter tanta gloria humaniores litteras eſt profeſſus, ut litterarii ſplendoris aſſertor, ac omnis obſcuritatis illuſtrator haberetur. Uterque ſummis laudibus a Jovio in Elogiis doctorum virorum extollitur. Enoch Aſculanus Rhetor eloquentiſſimus, utriuſque linguæ Profeſſor eximius, a Nicolao V. Romam accerſitus eſt, ut Poeticam, & Rhetoricam e Cathedra doceret, multaſque Orationes, & Epiſtolas edidit, uti teſtatur Petrus Angelus Spera lib. 4. de Nobil. Profeſ. Gram. Neque omittendus eſt celeberrimus ille Laurentius Valla, quem etiam publice docentem Urbs audivit; ac diutius fortaſſe audiviſſet, niſi plurium, quos linguæ ſuæ licentia offenderat, invidiam in ſe concitaſſet; qua excedere coactus eſt, & ad Alphonſi Regis patrocinium confugere, in cujus Aula liberaliſſime exceptus, magnam Regis patrocinio calamitatem evaſit, reus heterodoxiæ poſtulatus. Addendi ſunt Græci doctiſſimi, quos patria exules, Græcia a Turcis ſubacta, Nicolaus Pontifex in Gymnaſio Cathedra & ſtipendio donavit. Georgius Trapezuntius ob verſos Ariſtotelis, Euſebii Cæſarienſis, & Hermogenis libros, & ob ſummam Ariſtotelicæ Philoſophiæ peritiam clariſſimus, qui tempore Con-

cilii

Digitized by Google

cilii Florentini in Italiam venerat, ſub Eugenio Rhetoricam, & Philoſophiam in Urbe publice docuit, eumdemque Nicolaus V. ſibi ab epiſtolis eſſe voluit. Univerſitatis quoque Rectorem egiſſe Voſſius teſtatur. Docuit etiam in Romano Gymnaſio Theodorus Gaza Philoſophiæ, Medicinæ, Theologiæ, & elegantiorum litterarum doctiſſimus. Huic addendus Andronicus Theſſalonicenſis in Græca litteratura, & Ariſtotelica Philoſophia verſatiſſimus, uſus patrocinio Cardinalis Beſſarionis primum Romæ, deinde Florentiæ publice docuit. Et Joannes Argyropilus Conſtantinopolitanus Græcarum Litterarum, ac Ariſtotelicæ Philoſophiæ peritiſſimus pariter publico ſtipendio Philoſophiam in Urbe docuit. Ut jam nulli fere fuerint doctiſſimi illius ævi Profeſſores, quos Gymnaſium Romanum minime aluerit.

VI. Horum itaque inſignium virorum opera, tum elegantiones litteræ Græcæ, & Latinæ, tum Philoſophia Ariſtotelis, quam ob temporum barbariam, & Græci ſermonis imperitiam fœdiſſime conſpurcaverant, magnam in Romanis Scholis lucem accepere. Præcipue vero Philoſophia Ariſtotelis priſtino ſplendori vindicata, & reſtituta eſt in Urbe, & Gymnaſio, ut ibi videretur ſedem ſuam e Græcia translatam collocaſſe; quemadmodum Platonica Philoſophia apud Florentinos. Nam extorres Græci, qui in Italiam appulerant, reſtituendæ potiſſimum Philoſophiæ incubuerunt; cum tamen illi, qui Galliam adierant, in ſolis tradendis Græcis litteris hæſerint, neglectis Philoſophicis rebus, fortaſſe ex invidia Profeſſorum Pariſienſium, uti obſervat Brucherus in ſua Hiſtoria Philoſophiæ. Itaque Græcorum Philoſophiam Italia excepit; & Platonica quidem patrocinio Mediceæ Gentis viguit apud Florentinos, nacta ibi eximios ſectatores Georgium Gemiſtum, ejuſque diſcipulum Beſſarionem, Marſilium Ficinum, Joannem Picum Mirandulanum; Ariſtotelicam vero Profeſſores Romani Georgius Trape-

Digitized by Google

zuntius, Theodorus Gaza, Andronicus Theſſalonicenſis, Joannes Argyropilus in Urbem ac Gymnaſium intulerunt, & magna luce donarunt. Cui ſane rei Nicolaus V. non mediocriter contulit, imperata nova Ariſtotelis verſione. Rem narrat Cardinalis Beſſario in dedicatione Verſionis Metaphyſicorum Ariſtotelis: *Ita in Latinum verterunt Veteres Ariſtotelem, ut opus fuerit Sanctiſſimum, & Clementiſſimum Dominum Nicolaum V. Pontificem Maximum, qui omnis ſcientiæ, omnis Divinæ, humanæque ſapientiæ doctiſſimus in Apoſtolica Sede conſcendit, quique ut loco, & dignitate, ita Philoſophia & Theologia, & omni optimarum ſcientiarum genere principatum obtinet, viros eligere utriuſque linguæ peritos, qui omnes fere Ariſtotelis libros in Latinam traducerent orationem.* Auctore igitur Nicolao Pontifice, Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, Joannes Argyropilus, Beſſario Cardinalis, Laurentius Valla, aliique vertendo Ariſtoteli ſe ſe dedere. Et Janoutius Manettus Florentinus charus Nicolao V. cujus vitam ſcripſit, libros Categoriarum Ariſtotelis, & Iſagogen Porphyrianam vertit in Latinum; ſcripſitque Socratis, ac Senecæ vitam. Alphonſum quoque Regem optaſſe, ut Metaphyſica Ariſtotelis Latinitate donaretur teſtatur Beſſario Cardinalis. Theodorus Gaza Ariſtotelis Hiſtoriam Animalium vertendam ſuſcepit, quam deinde Sixto IV. dicavit. Argyropilus præter verſionem Ariſtotelis ſcripſit Commentaria in hujus Ethicam. Denique, favente Pontifice, Urbem omnem, excepto Beſſarione, Ariſtoteles occupabat. Quapropter Joannes Launojus in libello de varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi opponit Nicolaum Gregorio IX. qui libros Ariſtotelis corrigendos eſſe decreverat. Certe olim hujus Philoſophi libri pluribus nævis adſpergebantur, quibus diluendis, Thomas Aquinas, aliique Interpretes operam contulerant. Porro tanta Ariſtotelis in Urbe fortuna, Platonicorum invidiam con-

concitavit. Enatum inde bellum illud Philoſophicum a Leone Allatio in libro de claris Georgiis memoratum, fuſe a Boivinio deſcriptum in peculiari de hac lite Diſſertatione, & a Bruchero in Hiſtoria Philoſophiæ. Claſſicum cecinit, belliquc hujus Philoſophici ſignum ſuſtulit Georgius Gemiſtus Pletho, celeberrimus Philoſophus, & acerrimus Platonis ſectator, edito libro, *de Platonicæ, & Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia*, in quo plura convicia in Ariſtotelicæ Philoſophiæ cultores cumulavit. Cui primum ſe oppoſuit Georgius Scholarius, notus ſub Gennadii nomine, quem poſtea Turcæ in Conſtantinopolitana Sede collocarunt, editis contra Plethonem libris, non minori vehementia ſcribendi. Et hunc nova reſponſione conviciis plena refutavit Pletho, ut exulceratus Scholarius jam Patriarcha libros Plethonis *de Legibus*, & *Commentarios in oracula magica Zoroaſtris* accuſaverit Ethnicæ ſuperſtitionis, & comburendos juſſerit. Quæ deinde controverſia Romanos Profeſſores occupavit. Cum enim Pletho ſibi refutandum ſumpſiſſet hoc Ariſtotelis dogma: *naturam quidem ſtatuiſſe omnia alicujus rei gratia facere, verumtamen nihil conſulto agere, quemadmodum ars quoque, licet ſine conſilio agat, omnia tamen alicujus rei gratia faciat*, Ariſtotelicos, præſertim Gazam, & Trapezuntium in ſe concitavit. Magna acerbitate utrinque diſputatum, ſcriptumque eſt. Trapezuntius acerrime Platonicos aggreſſus eſt; & hunc ſævientem repreſſit Cardinalis Beſſarion, qui a Gemiſto hauſerat Platonicam Philoſophiam, editis libris quatuor contra calumniatorem Platonis, & librum *de Natura & Arte adverſus Trapezuntium*. Tum e Platonicis caſtris Michael Apoſtolius Conſtantinopolitanus Plethonis, & Beſſarionis partes ſuſcipiens prodiit in medium. Huic vehementius, quam par erat, ſcribenti reſpondit Andronicus Calliſti Theſſalonicenſis, & ipſe in Romano Gymnaſio Profeſſor, qui tamen, ne ampliſſimum Cardinalem,

Digitized by Google

lem, cujus patrocinio utebatur, offenderet, tum Apoſtolii libellum, tum Reſponſionem ſuam illius ſententiæ ſubiecit. Cui placuit Andronici modeſtia, dataque ad Apoſtolium epiſtola, hunc monuit, non conviciis cum adverſario pugnandum, ſed demoſtrationibus, & rationibus. Nam etſi in Platonicis partibus eſſet Beſſarion, non inde tamen nec ullum Ariſtoteli pretium ſtatuebat, nec hujus defenſione offendebatur; e contra Trapezuntius, & Gaza nimio partium Ariſtotelis ſtudio abrepti, nullius fere pretii Platonem faciebant. Tamdem a litteraria hac pugna ceſſatum eſt. Trapezuntius Beſſarioni inſenſus Neapolim ad Alphonſi Regis patrocinium confugit, a quo ſtipendio donatus eſt, nec Romam rediit, niſi ſub Sixto IV. ubi ſenex, amiſſa memoria, obiit. Gaza oppreſſus inopia rei familiaris ſe ſe ad Brutios recepit, ibique e vivis exceſſit. Andronicus, relicta Romana Cathedra, docuit in Florentino Gymnaſio, tum in Galliam abiit. Pletho, & Apoſtolius redierant in Græciam, ibique ſupremo facto functi ſunt. Nihilo tamen minus Ariſtotelicæ Philoſophiæ diu in Italia eximii ſe ſe dedere viri Pomponatius, Majoragius, Barbarus, Zabarella, Mazonius, Cæſalpinus, Niphus, Cremoninus, aliique. Præcipue vero in Gymnaſio Romano diu multumque viguit, magnaque cum gloria a viris præclariſſimis tradita eſt. Nam eam Joannes Argyropilus, poſtquam diu Florentiæ egiſſet, & inſtitutioni litterariæ Petri, & Laurentii Mediceorum præfuiſſet, vaſtante Etruriam peſte Romam veniens MCDLXXX docuit e publicis pulpitis. Hunc in Gymnaſio diſſerentem aliquando audivit doctiſſimus ille Joannes Reuchlinus, dictus Capnio, qui tunc Romæ aderat Legatus Electoris Palatini. Cumque, Argyropilo interrogante, an attigiſſet Græcas litteras, ſe illarum peritum profeſſus eſſet, ei Thucydidem legendum, ac interpretandum obtulit Argyropulus. Quod cum utrumque eleganter faceret Capnio, miratus homo Græcus ad Au-

Digitized by Google

Auditores converſus exclamavit, ecce Græcia noſtro exilio tranſvolavit Alpes. Sequenti ſæculo Ariſtotelica Philoſophia habuit in Scholis Urbis inſignes cultores Niphum, Mazonium, Muretum, Cæſalpinnm. At Franciſcus Patricius ſub Clemente VIII. Platonicam illuc attulit Philoſophiam.

VII. Extincto Nicolao Quinto, magnum deſiit bonis artibus patrocinium. Attamen Paulum II. laudat Philelphus ob litterarum curam. Ita quidem in epiſtola ad Leonardum Griphum: *Jam omnis bonarum artium, & eloquentiæ dignitas poſt unius Nicolai V. Pontificis Maximi vitam, tamquam obſoleta interierat, quæ nunc felicioribus auſpiciis reviviſcens, germinat, ac floret, & in uberrimam, optimamque frugem coaleſcit.* Alia epiſtola Theodoro Gazæ gratulatur, quod Romam a Papa Paulo II. accerſitus eſſet opera Philippi Cardinalis Bononienſis, ac propterea immortales gratias ait Ponfici agendas, *quod ab exilio Muſas, veluti longo poſtliminio in Romanam Curiam revocaverit.* Inviſus huic Pontifici Platina illum accuſat neglectæ, perditæque litteraturæ. Gymnaſio tamen Romano non defuere his temporibus illuſtres Profeſſores, Joannes Turrecremata Cardinalis, Franciſcus a Brevio Venetus, poſtea Romanæ Rotæ Auditor, & Epiſcopus Cenetenſis, quorum meminit Pancirolus lib. 3. de Claris Legum interpretibus. Marcus Vigerius Sixto IV. affinis, deinde Epiſcopus Senogallienſis, & Cardinalis. Andreas Brenta clarus Rhetoricæ, & Humanitatis Profeſſor, cujus meminit Spera Lib. 3. de Nobilitate Profeſſorum Grammaticæ. Et Bartholomæus Partenius Brixienſis, quem pluribus laudat Ghilinus in Theatro Litteratorum. His longe præſtitit ſummæ eruditionis gloria Julius Pomponius Lætus Laurentii Vallæ diſcipulus, quem quidem Paulus II. cum Platina, & Callimacho exagitavit, at Sixtus IV. & Innocentius VIII. beneficiis affecerunt, & Cathe-

thedra donarunt in Gymnaſio Romano, ubi docuit tanta ſui nominis fama, ut, teſte Jovio in elogiis doctorum virorum, Romana juventus a media ſtatim nocte præoccupatis ſubſelliis, profitentem ante auroram præveniret. Antonius Flaminius Siculus, Græcis, Latiniſque litteris, eruditione, Poeſi inſtructiſſimus docuit politiores litteras in Gymnaſio Romano, vergente ad finem hoc ſæculo decimo quinto, cujus prælectionibus Romam longa annorum ſerie, nil habuiſſe eruditius, ait Joannes Pierius Valerianus Lib. 1. de infelicitate litteratorum. Addendi Antonius Faber Amiternus inſignis Profeſſor humanarum litterarum, cujus magna cum laude mentionem ſafaciunt Spera in libro de Nobilitate Profeſsorum Grammaticæ, & Toppius in Bibliotheca Neapolitana. Antonii Teleſii Coſentini peritiſſimi artis Oratoriæ, & Poeticæ doctrina illuſtravit quoque hoc tempore Scholas Romanas. Addendi ejuſdem profeſſionis homines doctiſſimi, ac notiſſimi, Joannes Regius Venetus, Thomas Phædrus, ac Philippus Beroaldus, qui uſque ad Leonis X. tempora, ſtationem docendi in Scholis Romanis occuparunt. Nec defuere Theologi præclariſſimi, Thomas de Vio dictus Cardinalis Cajetanus, & Silveſter Prierius, Dominicanus, uterque doctiſſimus. Notandum, Scholam publicam Theologicarum rerum, & Sacrarum Scripturarum, adhuc hoc ſæculo decimo quinto perſtitiſſe in Sacro Palatio, ut patet ex pluribus monumentis ſub Eugenio IV. & Sixto IV. jam relatis alibi, cum de Lectoribus Sacri Palatii egimus. Et hinc hoc ſæculo, Eugenius IV. confirmavit Magiſtro Sacri Palatii facultatem conſtituendi Doctores in Sacra Theologia.

VIII. Nam erectis Academiis, reſtitutiſque Litteris, mos ubique invaluit, cujus originem nonnulli adſcribunt Lothario, ut qui de ſtudiis liberalibus optime meruiſſent, honore aliquo litterario donarentur. Quemadmodum in rebus politicis, vel militaribus, qui ſe bene geſ-

Digitized by Google

geſſiſſent, ornabantur titulo, graduque Equitis, aut Militis, & magna ſolemnitate, pluribus cæremoniis, adhibitis quibuſdam inſignibus, inaugurari conſueverunt. Ita quoque in re litteraria, viri docti, multiplici ritu, ac traditis nonnullis acceptæ dignitatis ſignis, conſtitui cœperunt Doctores, Baccalaurei, Licentiati. Atque hunc morem Academiæ omnes ſervarunt. Quoad Urbem attinet, cum ibi Schola Theologicarum rerum in Sacro Palatio locum haberet, eique præeſſet Magiſter Sacri Palatii, hinc obtinuit, ex antiquo inſtituto, ut illius auctoritate conſerrentur hujuſmodi honores in Theologicis Diſciplinis. Id colligitur ex litteris Innocentii VII. datis anno MCDVI. & relatis Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum pag. 478. quibus Pontifex ratum habet Magiſterii gradum conceſſum Fr. Melchiori Auguſtiniano ab Hugolino Magiſtro Sacri Palatii. Idipſum patet ex Bulla Eugenii IV. data anno MCDXXXVII. in gratiam Joannis de Turrecremata Magiſtri Sacri Palatii, qua hanc facultatem Magiſtro Sacri Palatii confirmavit. Exibet hanc Bullam Fontana in Theatro Dominicano, atque in Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii, ubi: *Cum juxta antiquam laudabilem conſuetudinem omnes in Theologia Doctorandi in Romana Curia, nonniſi ab hujuſmodi Magiſtro Sacri Palatii licentiam pro forma Magiſterii, & inſignia ejuſdem ſuſcipere conſueverint, quod nullus impoſterum, Univerſitate Civitatis, in qua Curiam eſſe contigerit, dumtaxat excepta, poſſit legere, vel in Theologia in prædicta Romana Curia per aliquem Doctorari, ſed vos viros, ſæculares conſiderata peritia, & vitæ honeſtate, aliiſque ad id requiſitis, Religioſos vero de ipſorum Generalium licentia, ſi erunt digni, & idonei, ad lecturam ſcientiarum, & Bibliæ promovere, & Baccalaureos inſtituere poſſitis, & lectura completa, habito proborum Magiſtrorum, quos decreveritis aſſumendos., privato examine, prædicta Magiſterii inſignia eis dare, & con-*

& concedere, ut ſic Magiſtrati gratiis, & privilegiis, quibus alii Theologiæ Profeſſores gaudent, ipſi etiam uti, & gaudere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Veterem itaque conſuetudinem probat, confirmatque Pontifex, ut nulli in Urbe Magiſtri, Doctoreſque in Theologia declararentur, ſive Sæculares, ſive Regulares, niſi auctoritate Magiſtri Sacri Palatii. Cujus rei plurima exempla profert Fontana ex antiquis Regeſtis Ordinis Prædicatorum deſumpta, eaque ſunt: *Magiſter Daniel Egher Conventus Vveſſalienſis habuit approbationem Lecturæ ſuæ, & Magiſterii ſuſcepti in Univerſitate Sacri Palatii, & gaudere poteſt privilegiis Magiſtrorum, ut verus Magiſter. Nullis obſtantibus in contrarium xii. Martii* MCDXXL. *Romæ.* Pariter in Regeſtis Joachimi Turriani Magiſtri generalis legitur: *Fr. Gregorius Baccalaureus Conventus Garenſis habet licentiam ſuſcipiendi inſignia Magiſtralia in Univerſitate Sacri Palatii, dummodo ſibi de juramento &c. Romæ vi. Februarii* MCDXC: *Fr. Petrus Conzarenſis poteſt ſuſcipere Magiſterium in Univerſitate Sacri Palatii.* Rurſus ex his patet, hoc quoqe ſæculo, Scholam Theologicam in Palatio perſtitiſſe, atque nuncupatam eſſe *Univerſitatem*. Quoniam vero Magiſter Sacri Palatii eam moderabatur, idcirco is Theologicos gradus conferebat. Id tamen, nonniſi prævio examine, ut patet ex citata Bulla Eugenii IV. ubi: *habito proborum Magiſtrorum, quos decreveritis aſſumendos, privato examine*: & ex litteris Sixti IV. relatis Tom. II. Bullarii Ordinis Prædicatorum pag. 584. quibus conceditur Fr. Salvo de Panormo Magiſtro Sacri Palatii facultas creandi Magiſtrum in Theologia Fr. Petrum de Hanturlibus: *adhibibitis tribus, aut quatuor in Theologia Magiſtris, ſi præmiſſo rigoroſo examine, ad id idoneus repertus fuerit, & aliud Canonicum non obſtat impedimentum, ſuper quo tuam, & ipſorum Magiſtrorum conſcientiam oneramus,* gra-

Digitized by Google

gradum, & inſignia doctoratus in dicta Theologia prædicto Petro, auctoritate noſtra conferas, & aſſignes, ita ut deinceps omnibus, & ſingulis exemptionibus immunitatibus, & præeminentiis, prærogativis, gratiis, & indultis, quibus alii in Theologia Magiſtri in quacumque Univerſitate ſolemniter aſſumpti potiuntur, & gaudent, ſeu potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum ipſe quoque uti, & gaudere libere, ac licite valeat. Hinc enatum videtur Collegium illud Theologorum in Urbe, cui uſque ad hæc tempora competit ibiedm facultas creandi Doctores in Theologia. Hoc Collegium conflatum eſt ex Magiſtro Sacri Palatii, qui principem locum obtinet, Sacriſta Papæ, Commiſſario Sancti Officii, quinque Procuratoribus Generalibus Ordinum Mendicantium, Dominicano, Conventuali, Auguſtiniano, Carmelita, Servita, & duobus Profeſſoribus Univerſitatis, nempe Lectore Theologiæ, & Lectore Sacræ Scripturæ, & Secretario. Cum enim Magiſtri Sacri Palatii debuerint prævio examine conferre Doctoratus honorem, jam ad hujuſmodi examen inſtituendum conſueverunt ipſos publicos Theologicarum rerum Profeſſores accerſere. Porro, fuit aliquando in more, ut in publicis Cathedris Theologicarum Diſciplinarum in Romana Univerſitate docerent Procuratores generales Ordinum Mendicantium. Id colligitur ex nonnullis antiquis Catalogis Profeſſorum ſub Paulo III. Pio V. Gregorio XIII. ubi ſacris Diſciplinis tradendis leguntur incubuiſſe Procuratores Generales, Dominicanus, Auguſtinianus, Carmelita, Franciſcanus, Servita. Et in aliis Catalogis utplurimum Profeſſores ſacrarum rerum ex his Ordinibus accerſiti obſervantur. Igitur, cum Magiſter Sacri Palatii uteretur opera publicorum Profeſſorum ad examen agendum illorum, qui eſſent honore Theologico afficiendi, cumque Profeſſores illi ſæpe eſſent Procuratores Generalis Ordinum Mendicantium, factum inde eſt, ut hujuſmo-

juſmodi cœtui graviſſimo competat facultas doctorandi in Theologia. Ita tamen, ut Magiſter Sacri Palatii duos ex illorum numero deligat, qui Candidati doctrinam ad trutinam revocant, & Promotorem, qui eidem præbet Doctoratus inſignia, ipſo Magiſtro Sacri Palatii formulam pronunciante. Indubium autem eſt, hoc Theologorum Collegium eſſe partem Romanæ Univerſitatis, & hujus nomine hoc officio fungi. Nam hujuſmodi gradus litterarios conferre ſpectat ad publicam Univerſitatem. Et conſtat hanc facultatem fuiſſe *Univerſitatis Sacri Palatii*, quæ eadem eſt, ac Univerſitas Urbis. Neque alio nomine, Magiſtri Sacri Palatii hac facultate uſi ſunt, neque alio nomine eamdem ipſis Pontifices conceſſere, niſi quia præerant Scholæ, *ſeu Univerſitati Sacri Palatii*. Adhæc Procuratores generales Ordinum Mendicantium, eo titulo, in hoc Collegium adſciti ſunt, quia olim iidem erant & publici Sacrarum rerum Profeſſores. Igitur hoc Collegium in hac re ipſam Romanam Univerſitatem, cujus eſt pars, repræſentat.

IX. Quoad Doctores in Jure Canonico, vel Civili, jam diximus Capite præcedenti, ex Conſtitutione Joannis XXII. quæ incipit *Dignum duximus*, Doctores in utroque Jure conſtitutos fuiſſe auctoritate Cardinalis Pontificis in Urbe Vicarii, hac conditione, ut qui eo honore afficiendi eſſent, prius examinarentur, & adprobarentur a publicis Profeſſoribus. Igitur ad hos ſpectabat experiri, ac comprobare, an aliqui hoc honore digni eſsent. Jam vero, iis temporibus, ſæpiſſime Advocati Conſiſtoriales, tamquam Juris peritiſſimi, fuerunt & publici Profeſsores, ut patet exemplis Oldradi de Ponte, Juonis Coppoli, Ludovici Pontani, & aliorum plurium. Hinc fieri potuit, ut nonniſi ipſis hoc munus adſcriberetur. Certe, ſæculo decimoquinto, jam Advocati Conſiſtoriales hoc jure examinandi, probandique Doctores Legum Eccleſiaſticarum, vel Civilium utebantur. Nam

Six-

Digitized by Google

Sixtus IV. edita Conſtitutione, *Sollicitudo Paſtoralis officii*, anno MCDLXXXIII. jus illud Advocatis Conſiſtorialibus confirmavit, declaravitque ipſis ſolis in Urbe competere, ita ut Doctores ab aliis conſtituti nullius esſent pretii, imo excommunicationem incurrerent, nec eis fas esſet in Foro patrocinari; ſique Romanus Pontifex munus promovendi Doctorem committeret alicui, is in inſtituendo examine, uti deberet Opera Advocatorum Conſiſtorialium. Idque decrevit, ut nonnullos coerceret, qui hac facultate temere utebantur, *in præjudicium, & gravamen Cardinalis Camerarii, qui Univerſitatis Studii Curiæ, & Urbis earumdem Cancellarius generalis exiſtit, ac Collegii Advocatorum prædictorum, ſub quorum promotione, examine, & approbatione in Univerſiate prædicta promovendi ad gradus prædictos hactenus promoveri conſueverunt*. Perſpectum ſit ex his verbis, jam ante hæc tempora incubuiſſe Advocatis Conſiſtorialibus examen inſtituere, & probare, ſi qui Doctores in Jure Canonico, aut Civili declarari voluiſſent. De hujus ampliſſimi Collegii origine, officio, ac privilegiis dicemus Capite ſequenti, capta occaſione, quod eiſdem Sixtus V. regimen Gymnaſii Romani commiſerit. Porro laudatam Sixti IV. Conſtitutionem, prædictumque jus Advocatorum Conſiſtorialium, plures Summi Pontifices ſequenti ſæculo, & deinceps confirmarunt, ac vindicarunt, uti dicendum erit alibi. Igitur ex antiquiſſimo inſtituto, & ex pluribus Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, a ſolo Advocatorum Conſiſtorialium Collegio conſtitui poſſunt in Urbe Doctores Juris Canonici, vel Civilis; atque proinde in hac re Collegium hoc ampliſſimum eſt pars nobiliſſima Romanæ Univerſitatis, atque hujus vices exhibet. Is vero eſt ordo totius rei agendæ jam olim ad hæc uſque tempora uſitatus. Ex Advocatis Conſiſtorialibus ille, quem Camerarium nuncupant, inquirit, exploratque, an polleat Candidatus

tantæ

Digitized by Google

tanta Juris ſcientia, quanta requiritur ad conſequendum Doctoris gradum. Hujus vero rei Camerarium, certum, conſciumque facit aliquis e Profeſſorum numero, quem docentem Jura Candidatus audierit. Is igitur teſtatur Candidato vires eſſe pares huic muneri agendo. Eam ob rem, ſingulis Advocatis Conſiſtorialibus, & Delegato Cardinalis Camerarii, Monitores ſeu Bidelli annunciant Doctorem ſtata die creandum eſſe. Conveniunt in aula magna Gymnaſii. His Candidatus præſens ſiſtitur a publico aliquo Jurium Profeſſore. Tum Catholicæ Fidei Profeſſionem recitat, juxta Pii IV. Sanctionem. Deinde verba facit, diſſeritque de nonnullis Propoſitionibus ex Jure ſive Canonico, ſive Civili decerptis, quæ antea ei fuerant communicatæ. Ubi finem dicendi fecerit, ultimus ex Advocatis Conſiſtorialibus opponit aliqua, quæ Candidatus explicet, diluatque. Quod cum is præſtiterit, egreditur aula, dum interim Advocati Conſiſtoriales ferunt ſuffragia, an ſit Doctor promovendus. Si ei faverint ſuffragia, tunc Secretarius Collegii Advocatorum Conſiſtorialium, jubente Decano, pergens ad ipſius Aulæ fores, edicit illum probari decreto Collegii. Quapropter rurſus aulam ingreditur, tuncque ille, qui vices agit Cardinalis Camerarii, declarat certa verborum formula Doctorem. Mox ab uno ex Advocatis Conſiſtorialibus, quem vocant Promotorem, accipit Doctoratus inſignia, Librum, Biretum, Annulum, & in ſede collocatur. Tandem Delegatus Cardinalis Camerarii, Advocatique Conſiſtoriales amplexu Doctorem excipiunt.

X. In conſtituendis Doctoribus Legum Eccleſiaſticarum, ſive Civilium, etiam Cancellarii Academiarum ſuas ubique habent partes. Hujus inſtituti pervetuſta indicari poteſt origo. Cum nempe primus omnium Maſurius Sabinus novum hunc honorem conciliavit Juriſprudentiæ accipiens ab Auguſto, deinde a Tiberio publicam auctoritatem reſpondendi de Jure, quod munus antea dependebat

Digitized by Google

debat a privatorum arbitrio, & populari opinione. Exinde invaluit, ut nullis fas eſset Jura publice interpretari, niſi iis, quibus a Principe concederetur. Nec temere obtinuit hoc inſtitutum. Nam cum leges complectantur Principis mentem, & voluntatem, conſentaneum videtur, ut illarum interpretandarum facultas, non cujuslibet hominis arbitrio, ſed certis Juriſconſultis a Principe conſtitutis, permittatur. Ad hanc vero gerendam Provinciam neceſſe fuit, a ſummis Principibus nominari Miniſtrum aliquem, qui ipſorum vices gereret, hancque facultatem doctis viris, ſervatis quibuſdam conditionibus, ipſorum nomine concederet. Romani quidem Pontifices in excitandis Univerſitatibus conſueverunt hoc munus Epiſcopis demandare, ut patet ex pluribus illorum Conſtitutionibus, quæ paſſim occurrunt in Bullario. Nam in hac re Eccleſiaſticam poteſtatem interpellandam eſſe putarunt. Hinc Mendo in libro de Jure Academico, & Eſcobarius in quæſtionibus de Pontificia, & Regia juriſdictione diſputant, an ad Eccleſiaſticam, vel ad Civilem poteſtatem ſpectat Univerſitates, & Doctores conſtituere. Certe in Bullario plurimæ leguntur Romanorum Pontificum Conſtitutiones ad tempora uſque nobis proxima, quibus variæ in diverſis Europæ Civitatibus excitantur Univerſitates, & donantur privilegiis, conceſſa utplurimum Epiſcopo facultate Doctores promovendi. Quandoque etiam Imperatores munus hoc Epiſcopis commiſerunt. Refert enim Gattus in libello de Gymnaſio Ticinenſi Diploma Caroli IV. Imperatoris, quo Epiſcopus Ticinenſis hanc facultatem accepit. Quandoque vero Principes munus hoc obeundum luere a ſummo Regni Cancellario. Nam cum Cancellarius præeſſet Juribus, & Reſcriptis Principum, ipſeque ſe continens intra cancellos, a quibus nomen hauſit, redderet Jura; videbatur conſentaneum, æquumque, ut is etiam vices Principis ageret in iis conſtituendis, quibus

bus fas eſſet Jura interpretari. Ita in Neapolitano Regno ſummus Cancellarius præeſt Doctoribus promovendis. At neque neceſſe erat hanc provinciam ſummo Cancellario delegare, neque is adeſſe poterat in omnibus Civitatibus, & Univerſitatibus Regni, ubi Doctoratus honores conferuntur. Quapropter vel ipſi Civitatum Epiſcopi, vel alii auctoritate accepta a Principe, hoc officio fungi debuerunt. Et hi dicti ſunt Cancellarii Univerſitatum, quod eorum munus videretur muneri Summi Cancellarii reſpondere, & convenire. Unde a nonnullisScriptoribus,præſertim Eſcobario in quæſtionibus de juriſdictione Pontificia, & Regia in Studiis generalibus, Cancellarii Univerſitatum dicuntur Vicarii Summi Cancellarii. Diſtincta tamen ſunt officia. Nam in omnibus fere Univerſitatibus Cancellarius Univerſitatis diſtinguitur a ſupremo Cancellario Regni. Hæc itaque cauſa fuit conſtituendi in Academiis omnibus Cancellarios. Hanc hujus muneris originem ſtatuit Cothmannus in Reſponſionibus Academicis, ubi ait: *Divus Auguſtus, quo major, & auguſtior Juris auctoritas haberetur, & eſſet, primus conſtituit, ut ex voluntate ejus reſponderetur* Leg. 2. §. penult. Digeſt. De Orig. Juris, *& res tam auguſta, nonniſi Auguſto auctore celebraretur, & conficeretur, ex quo factum eſt, quod Academiis, & Scholis publicis ſolemniter inſtitutis peculiares Academiarum Cancellarii ſint conſtituti, qui Majeſtatis principalis, quam eo nomine ſemper adire incommodum erat, vices ſubirent, & de Jure reſpondendi licentiam concederent*. Hanc etiam ſtatuit Pereira, Acad. Quæſt. Lib.6. Diſp.1. ubi inquit: *Cancellarii Academiæ munus præcipue conſiſtere in conferendis gradibus Doctoratus Magiſterii, ac ſimilibus. Cum enim poteſtas doctorandi ſupremo Principi de Jure competat, expeditio graduum conſequenter ſpectabit ad Vicarium Principis, qui eſt Cancellarius; ſicut enim Cancellarius Regni apud aliquas*

Digitized by Google

quas nationes eſt Vicarius Principis pro toto Regno, & abſolutus expeditor privilegiorum, ita Cancellarius Principis pro Academia, atque adeo expeditor, ſeu in executione collator privilegiorum, quæ ſunt in Academia præcipua, qualia Doctoratuum, & Magiſteriorum gradus. Conſentiunt Mendo in libro de Jure Academico, & Eſcobarius loco citato, aliique. In Urbe, decimo quarto ſæculo auctoritate Cardinalis Pontificis Vicarii, *in ſpiritualibus pro tempore exiſtentis*, conferebantur honores Doctoratus in utroque Jure, uti patet ex citata Conſtitutione Joannis XXII. quæ incipit, *Dignum duximus*. At ſæculo decimo quinto, jam id munus erat Cardinalis Camerarii, cum Sixtus IV. Conſtitutione *Sollicitudo Paſtoralis officii*, id confirmavit, inquiens, temere ante hac promotos Doctores *in Apoſtolicæ Sedis, & dilecti filii Raphaelis S. Georgii ad Velum aureum Diaconi Cardinalis, noſtri, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Camerarii, qui Univerſitatis Studii Curiæ, & Urbis earumdem Cancellarius generalis exiſtit, & in hoc Apoſtolica, & Imperiali fungitur poteſtate*. Cui inſtituto occaſionem dare potuit, quod Camerarius eſſet Cancellarius Aulæ Pontificiæ, & in Aula ſtationem habebat Univerſitas Sacri Palatii; quodque Eugenius IV. in Conſtitutione *A Supremo Patrefamilias* anno MCDXLII. juſſerat Cardinalem Camerarium imminere electioni Reformatorum, ac Notarii Gymnaſii, tum rationibus eorum adminiſtrationis, quas, expleto ſuo munere, reddidiſſent. Nondum tamen, Pontifice Eugenio, officium Cancellarii addictum fuiſſe Cardinali Camerario, indicat Pontificis in laudata Conſtitutione ſilentium. At Sixto IV. ſedente, id jam receptum erat. Deinceps uſque ad hæc tempora Cardinalis Camerarius S. R. E. eſt ſimul Cancellarius Romanæ Univerſitatis. Porro ampliſſima eſt Cardinalis Camerarii dignitas in Aula Pontificia, utpote qui ſucceſſiſſe videtur veteri Cardinali Ar-

Digitized by Google

Archidiacono , qui primus erat Pontificis Miniſter ; qui junioribus Clericis imminebat ; negotia , & bona Eccleſiæ temporalia adminiſtrabat ; curam gerebat viduarum , & pauperum; denique juriſdictionem Epiſcopi exercebat. Fuſe de Archidiaconis agit doctiſſimus Thomaſſinus Par. 1. Lib. 2. Cap. 18. Veteris & novæ Eccleſiæ Diſciplinæ. Refert Ciacconius , Gregorium VII. ante Pontificatum , hanc dignitatem obtinuiſſe, atque eam contuliſſe cuidam Joanni , qui cum poſtea in Clementis III. Pſeudopontificis partes defeciſſet , cauſam dedit , ut deinceps extincta fuerit in Romana Eccleſia dignitas Archidiaconi. Attamen , teſte Vvilelmo Malmeſburienſi , in Concilio Barienſi ſedit Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis , *juxta Romanum Archidiaconum* . Quapropter cenſet Thomaſſinus , deſiiſſe in Eccleſia Romana munus Archidiaconi , quod Cardinales provecti ad majoris dignitatis faſtigium , ſibi Archidiaconum imminere noluerint . Ei ſucceſſit Camerarius , cujus officium notum jam erat ſæculo duodecimo , quo tempore , occurrit Cencius Sabellus Camerarius , & Cancellarius , tum Cardinalis , denique Summus Pontifex Honorius III.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE GYMNASIO ROMANO SÆCULO DECIMO SEXTO

Quid egerit Leo Decimus. II. Quidque decreverit ad Romani Gymnaſii ſplendorem. III. Sacra Ædes extructa. IV. Calamitas Litterarum ſub Clemente Septimo. V. Reſtitutæ Scholæ publicæ a ſucceſſoribus Pontificibus. VI. De re litteraria Gymnaſii, hoc ſæculo. VII. Sixtus Quintus ejus patrocinium nonnullis Cardinalibus commendat. VIII. Ejuſdem regimen Advocatis Conſiſtorialibus committit. IX. De Advocatis Conſiſtorialibus. X. De Rectore. XI. Jus creandi Doctores Legum huic Collegio confirmatum, & vindicatum. XII. De conſtituendis Doctoribus in Medicina, & Philoſophia.

I. ROmani Gymnaſii feliciſſima tempora, quæ Eugenius Quartus, & Nicolaus Quintus bonis artibus procuraverant, nonniſi ſub Leone Decimo litterarum Pontifice amantiſſimo rediere. Nam prædeceſſores Pontifices graviſſimis curis belliſque impliciti, augendæ rei litterariæ incumbere non potuerunt. Hinc, ubi Leo Decimus ſupremum Pontificatum conſcendit, id carmen a doctis viris inſcriptum eſt in arcu triumphali ad Hadriani pontem, quo ſignificabatur, illuxiſſe demum litteris, ac litteratis tempora auſpicatiſſima.

Olim habuit Cypris ſua tempora, tempora Mavors
Olim habuit, ſua nunc temporas Palla habet.

Et ſane Pio II. in liberalibus diſciplinis ſumme verſato, datum eſt probro a Franſciſco Philelpho, doctos viros neglexiſſe, uti colligitur ex epiſtolis Papienſis, quibus hæc calumnia diluitur. Nam illum doctis viris defuiſſe ino-

pia ærarii graviſſimis bellis exhauſti, teſtantur Platina, & Ciacconius: *Fovere ingenia ſuorum temporum non viſus, quod tria graviſſima bella ab eo ſuſcepta ærarium Pontificium exhauſerant, ut ære alieno, ac magno quidem ſæpe premeretur. Multos tamen litteratos, muneribus aulicis, & beneficiis eccleſiaſticis juvit: orantes, & poemata recitantes libenter audivit; eorumque judicio, qui aliquid ſapere viderentur ſua ſcripta commiſit.* Eadem fortaſſe cauſa Sixtus IV. quamvis & ipſe doctiſſimus, & olim in pluribus Academiis publicus Profeſſor Theodoro Gazæ libros Ariſtotelis de animalibus in Latinum translatos ipſi offerenti, exiguum quidem centum aureorum munus conceſſit, quod ille ægerrime ferens projecit in Tiberim. Nam tantam ſubiit pecuniæ calamitatem, ut primus nova Collegia venalia inſtituerit, nova vectigalia decreverit, plurima officia vendiderit, & in horum numero Notariatum Gymnaſii. Cæterum præclariſſime meruit de re litteraria ob extructam Vaticanam Bibliothecam, advectis ex omni Europa libris, conſtitutiſque annuis proventibus, ad emendos libros, alendosque illius miniſtros. De Alexandro VI. ſcribit Ciacconius: *Artes liberales, ſi non colebat, admirabatur, & Juris præſertim ſcientiam, ſalaria Doctoribus, ſtipendia militibus, mercedem operariis numquam eſt differre, nedum auferre viſus.* Imo ab Alexandro VI. Pontifice auctum eſt Gymnaſii ædificium, quod ſub Eugenio IV. cœperat excitari. Unde Andreas Fulvius in Carmine de antiquitate Urbis ad Leonem X. lib. 2. ait:

Nec vos Pieridum reboantia tecta ſilebo.
Hic ubi Gymnaſium media ſpectatur in Urbe.
Muſarum, Phœbique, ac Palladis artibus ingens.
Eugenii Quarti auſpiciis, & munere primum.
Fundatum, cui Roma ſtipis dedit annua dona.
Collecto magnis ex vectigalibus auro.
Perſolvenda ſacras illic profitentibus artes.

Hæc

Hæc loca Alexander Sextus renovavit, & auxit.
Adjungens ædes ſpatio majore propinquas.
Amplaque porticibus deſignans atria magnis.

At his omnibus longe quidem præſtitit Summus Pontifex Leo X. cujus inſigne fuit erga liberales artes ſtudium hauſtum ab atavis, Coſmo proavo, & Laurentio patre, eximiis litterarum patronis; & ab optimis Inſtitutoribus Angelo Politiano, Demetrio Chalcondila, & Urbano Bolzanio; tum a doctis viris, quorum familiaritate uſus eſt, Marſilio Ficino, Joanne Pico Mirandulano, Chriſtophoro Landino, celebri Joanne Laſcare, & Marullo Tarcaniota. Quapropter ſtatim ab adepto Pontificatu litteris, litteratiſque conſuluit; ac primo quidem ſibi ab epiſtolis eſſe voluit Petrum Bembum, & Jacobum Sadoletum, qui cæteros omnes eloquentiæ laudibus anteibant; Vaticanæ Bibliothecæ Beroaldum juniorem in arte Poetica excellentem præfecit; & in Gymnaſio Romano præclariſſimos Profeſſores collocavit. De qua re ita ſcribit Jovius in hujus Pontificis vita. *Gymnaſium vero accitis undique graviſſimarum artium Profeſſoribus ita inſtauravit, ut neque Bononienſi, neque Patavino, vel doctorum præſtantia, vel auditorum concurſu cedere videretur. Auguſtinus Sueſſanus Philoſophiam, & Chriſtophorus Aretinus Medicinam profitebatur, Hieronymus Butigella Juris ſcientiam docebat. In humanioribus ſtudiis, eruditione, ſtylo, & eloquentia Parrhaſius Coſentinus erat inſignis: In Græcis litteris eminebat Baſilius Chalcondylas, ejus Demetrii filius, qui ipſius Pontificis in adoleſcentia fuerat præceptor. Singulos vero vel mediocris etiam nominis Poetas, & exquiſitis, nobilioribus artibus inſtructos tanta benignitate ſuſcipiebat, ut omnes jam excitatis animis ad excolenda litterarum ſtudia vehementer accenderentur, quum a tanto armorum ſtrepitu, quo neglectis litteris, Julii aures magnopere gaudebant, tandem virtuti locus patefactus eſſe videretur.*

tur. Egregiam ſane Pontificis gloriam, quod in Urbem, Aulam, Gymnaſium viros doctos intulerit. Quid enim ad Reipublicæ, & Eccleſiæ utilitatem præſtantius fieri poteſt, quam rei litterariæ conſulere? Nec deerat Gymnaſio aliarum diſciplinarum, præſertim ſacrarum Profeſſores. Sed illi dumtaxat a Jovio nominantur, quod præclariſſima eſſent ſui ſæculi ingenia. Sunt qui Leonem carpunt, quod neglectis Theologicis rebus, humanis litteris nimium indulſerit. At optimos quoque Theologiæ Profeſſores ab eo in Gymnaſium accerſitos teſtatur Middendorpius in libro Academiarum Orbis Chriſtiani: *Leo X.* ait, *bonarum litterarum patronus, & fautor maximus, egregiis impendiis in Urbem accerſivit, qui linguas, & politiorem litteraturam, ſacramque Theologiam interpretarentur: quorum patrocinio Orthodoxa religio, & vera ſapientia contra hæreſes, quæ tunc exoriebantur a viris doctiſſimis defenderetur*. Scripſit Middendorpius ſub Pio V. cum adhuc vigebat memoria earum rerum, quas Leo geſſerat. Ibidem exhibet Middendorpius litteras Leonis datas Marco Maſuro Cretenſi, ut e Græcia Romam adduceret nonnullos liberalis ingenii indoliſque adoleſcentes, unde Latinis hominibus verus, germanuſque uſus, & recta cognitio Græcæ Linguæ comparari poſſet. Sed hoc Pontificis ſtudium in excitando, promovendoque in Urbe Græci ſermonis uſu, egregie ſacrarum rerum ſtudia adjuvabat. Indubium enim eſt, ad optimam Sacræ Scripturæ, & Græcorum Patrum interpretationem, præſertim cum contra Hæreticos res eſt, ſcientiam Græcæ linguæ plurimum conferre.

II. Conſuluit etiam Gymnaſio legibus ſapientiſſimis. Nam ipſo primo ſui Pontificatus anno MDXIII. Conſtitutionem ad hanc rem edidit, quæ incipit, *Dum ſuaviſſimos*, qua novum addit robur Conſtitutioni Bonifacii Papæ VIII. de Studio Urbis, quæ incipit, *In ſupremæ*, rataque declaravit privilegia omnia Profeſſoribus, & Audito-

ditoribus Gymnaſii Romani conceſſa. Tum ſtatuit, ne Gymnaſio deeſſent, cujuslibet facultatis Profeſſores, præſertim vero Juris Canonici, Juris Civilis, Philoſophiæ, ac Medicinæ, iique viri præſtantiſſimi, undique a Rectore, & Reformatoribus accerſendi, quibus ſtipendia, penſitatis eorum meritis, concederentur: *Ut ex nunc de cætero præter illos, qui neceſſarii fuerint in qualibet facultate Lectores, unus ſaltem in Jure Canonico, & unus in Jure Civili Doctores, & unus in Philoſophia, ſeu Medicina Magiſtri eminentis litteraturæ viri undecumque ad legendum in Scholis publicis dictæ Urbis ſolitis temporibus, & diebus, juſtis, & honeſtis ſalariis, arbitrio pro tempore exiſtentium Rectoris, & Reformatorum dicti Studii juxta ipſorum Doctorum, & Magiſtrorum qualitates, de Romani Pontificis licentia, moderandis, & aſſignandis per eoſdem Rectorem, & Reformatores communi opportuna in hoc per eos adhibenda diligentia annuatim conducantur.* Igitur Rectori, ac Reformatoribus incumbebat, Profeſſores, & eorum ſtipendia conſtituere, interpellato tamen Pontificis conſenſu. Ut vero omnem, diligentemque operam ſuam Profeſſores in Juribus explanandis impenderent, vetita illis ſunt a Pontifice negotia omnia forenſia, & officia, ne aliis curis diſtracti, publico muneri vel minimum deeſſent. Tum ſtatutum eſt, ut Profeſſores, abſolutis ſuis lectionibus, adhuc tamen in Scholis aliquamdiu conſiſterent, cauſa diſputandi, clariuſque diſcipulos inſtruendi, ſi quid eis circa rem litterariam obſcurum, ac difficile eſſet. Negligentibus Profeſſoribus pœna indicitur, ut qui temere a docendo abſtinuerit, pars ei detrahatur ſtipendii, quæ ſartis tectis Gymnaſii, ac Scholæ Monitori, ſeu Bidello ſit impendenda. Huic vero datum eſt in mandatis, ut Profeſſorum nomina, horaſque, quibus eſſet illis docendum recenſeat in tabulis, ſique aliquando officio ſuo defuerint; atque ut annunciet dies, quibus eſt feriandum.

Ne-

Digitized by Google

Neque id ſolum ad rectam ſtudiorum ordinationem Pontifex decrevit. Sed Reformatoribus injunxit curam adeundi bis in hebdomada Scholas ipſas, Rectorique ſemel in menſe, vel pluries, ſi expediret, idque incertis diebus, & horis pariter incertis, ut ipſimet noſcant, ſi quid emendandum, perficiendumque eſt, ſique res litteraria bene ſe habeat. Omnia vero, quæ ad Gymnaſii privilegia, adminiſtrationemque ſpectant, quæque Pontifex decrevit, ita voluit ab univerſis cuſtodiri, ut excommunicatos dixerit ipſo jure, tenerique ad reſarciendum duplum illati damni, Magiſtratus omnes, Auditorem Cameræ, Urbis Gubernatorem, Senatorem, cæteroſque, qui aliquo modo Gymnaſii juribus detraherent; conceſſa Rectori, ac Reformatoribus facultate vindicandi Gymnaſii jura, etiam Cenſurarum Eccleſiaſticarum præſidio. Et antiquis privilegiis, quæ prædeceſſores Pontifices Profeſſoribus, ac Auditoribus Romani Gymnaſii contulerant, illud addidit, ut fas eſſet Clericis cujuſque Ordinis, in eo Gymnaſio, addiſcendo Juri Civili operam dare, etſi Eccleſiaſticæ Leges eos ab hiſce Studiis prohiberent. Tandem, ut dignitati, & majeſtati Romani Gymnaſii nihil omnino deeſſet, tres juſſit Cardinales, primum ex Ordine Epiſcoporum, primumque ex Ordine Presbyterorum, atque primum ex Ordine Diaconorum, illius gerere patrocinium. Jam vero exinde colligitur, quæ fuerit Gymnaſii Romani facies ſub Leone X. Quælibet Diſciplina ſuum habebat Profeſsorem. Tota poteſtas adminiſtrandi Gymnaſii penes Rectorem erat, ſuffragantibus Reformatoribus. Hi, conſulto Pontifice, accerſebant Profeſsores, illiſque ſalaria, & dies, horaſque docendi conſtituebant. Si qui Profeſsores, vel Bidelli defuiſsent officio ſuo a Rectore puniebantur; & ab eodem vel levia crimina Profeſsorum, aut Diſcipulorum diſcutiebantur. Is etiam ſæpe adibat Scholas, ut Profeſsores, Auditoreſque in officio contineret. Denique tres Cardinales

Digitized by Google

nales ampliſſimi conſervandis juribus Gymnaſii imminebant, ſi ad eorum præſidium confugere contigiſſet. Quibus omnibus nihil excogitari poteſt ſapientius, præſtantiuſque ad Gymnaſii Romani gloriam ſervandam, augendamque. Quapropter, mirum non eſt, ſi Leone imperante, tanta illius fuerit dignitas, ut inter primas Italiæ Academias principem locum haberet, ut ipſemet aſſerit in Conſtitutione, *Quam omnibus*, data anno MDXIV. his verbis: *Sane nuper ad Summum Pontificatum Divina Providentia cum aſſumpti fuiſſemus, & reſtitutis in priſtinis juribus dilectis filiis Populo Romano, inter alia Vectigal Gymnaſii Romani multis antea annis ad alios uſus diſtractum, eiſdem reſtituiſſemus, ut Urbs Roma ita in re litteraria, ſicut in cæteris rebus totius Orbis caput eſſet procuravimus, accerſitis ex diverſis locis ad profitendum in Gymnaſio prædicto viris in omni doctrinarum genere præclariſſimis, quo factum eſt, ut præcedenti anno, Pontificatus noſtri primo, talis ſtudentium numerus ad Urbem eamdem confluxerit, ut jam Gymnaſium Romanum inter omnia alia totius Italiæ principatum facile obtenturum videatur.*

III. In votis etiam habuit Optimus Princeps, magnis ſumptibus, amplum, & nobile ædificium conſtruere publicis Scholis habendis. Sed quod in votis hæſerit Pontificis animus, tribuendum eſt temporum calamitati. Ne tamen irrita omnino caderent vota, Sacram Ædiculam in honorem Sanctorum Leonis Papæ, & Fortunati Martyris juſſit eſſe in Gymnaſio, cui Præpoſitus, duoque Presbyteri in ſacro miniſterio deſervirent. Ita quidem lata Conſtitutione, *Quam nobis*, anno MDXIV. ubi: *Ad Omnipotentis igitur Dei laudem, motu proprio, & ex noſtra certa ſcientia, non ad alicujus ſuper hoc nobis porrectæ ſupplicationis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, liberalitate, decreto, & voluntate intra dictum Gymnaſium pro nunc in Schola, ſeu loco prædicto, di-*

dictam Capellam ſub invocatione Sanctorum Leonis Papæ, & Fortunati Martyris, convenienti ædificio conſtrui, & ædificari mandamus, in eaque, ex nunc, prout ex tunc, cum constructa, & ædificata fuerit, ut præmittitur, unam Præpoſituram, quæ pro Clero Romano dignitas ſit, pro uno Præpoſito Academiæ nuncupando, & duas perpetuas Capellanias pro duobus perpetuis Capellanis, Capellanis ejuſdem Academiæ Romanæ nuncupandis, qui Capellani, quatenus Sacerdotes ſint, & ad id commode vacare poſſint per ſe ipſos, alias per Sacerdotes idoneos qualibet die in dicto Gymnaſio ordinarie, vel extraordinarie legitur, in Capella prædicta Miſſam in primo crepuſculo alternatim celebrare, & obſervato die, quo Altiſſimo quandocumque placuerit nos a terrenis ad Cæleſtia transferre ſolemne anniverſarium tam pro noſtra, quam aliorum ex familia noſtra de Medicis, qui Romæ obierint, animarum ſalute, dicta die, annuatim facere teneantur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium erigimus, & inſtituimus. Tum ſacris hiſce Miniſtris ſtipendium conſtituit: illorum vero nominandorum poteſtatem ipſis Gymnaſii Reformatoribus conceſſit, hac tamen lege, ut Præpoſitus nonniſi ex Profeſſoribus, Capellani vero, vel ex Profeſſoribus, vel nonniſi ex Civibus Romanis ſeligerentur. Hos a Reformatoribus ſelectos juſſit a Rectore Gymnaſii probandos, ac in accepto munere inſtituendos. Præpoſitum Romanæ Academiæ iis prærogativis ornavit omnibus, quibus cæteri Clerici in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, atque inter Canonicos Baſilicæ Vaticanæ, tamquam illorum unum, juſſit recenſeri, ſacriſque indutum veſtibus in illorum numero Sacra miniſtrare. Qua dignitate primum omnium donavit Philippum Beroaldum, qui Pontifici erat a ſecretis, & humanas litteras in Gymnaſio profitebatur. Capellanorum vero munus contulit Camillo Portio Canonico Baſilicæ Vaticanæ & Profeſſori, & Joanni Ga-

Gaſoldo, qui erat Pontifici a cubiculo, ita tamen, ut illorum Inſtitutio a Rectore Gymnaſii Epiſcopo Comenſi, & Reformatoribus Maffeo Volaterrano Canonico Baſilicæ Vaticanæ, & Baptiſta Caſalio Canonico Baſilicæ Lateranenſis perageretur. Præterea in hac Æde Sacra Gymnaſii decrevit litterarias omnes functiones agendas, quæ olim in Eccleſia S. Euſtachio ſacra peragebantur: ut nempe Doctores in quavis diſciplina lauream conſequerentur: ut ibi diſputationes agerentur litterariæ, illæ etiam, quas agunt Auditores Sacri Palatii, & Advocati Conſiſtoriales, cum primum ſuum munus aggrediuntur: utque ibidem Profeſſorum nomina, quovis anno, e Tabulis recitentur, in die feſto S. Lucæ, & Oratio pro Studiorum inſtauratione haberetur. Quamvis deinceps ob Sacelli anguſtiam, adhuc in Eccleſia S. Euſtachii, hujuſmodi litterariæ functiones ſæpe peractæ fuerint, donec ſub Innocentio X. & Alexandro VII. amplam ſacram Ædem Gymnaſium habuerit. At Præpoſitum, Capellanoſque Romanæ Academiæ e medio abſtulit Alexander Papa VII. Adhuc tamen, eodem jubente Pontifice, ſingulis annis, ſtata die, Sacro ſolemni, & Oratione a Profeſſorum aliquo habenda, Leoni X. Principi beneficentiſſimo, ob tot, ac tanta in Gymnaſium merita, præſentibus Advocatis Conſiſtorialibus, & Profeſſoribus, juſta ſolvuntur.

IV. Leone extincto, quæ ſucceſſere tempora, ut Urbi, ita & Gymnaſio infelicia fuere. Direpta enim ſæviſſime Urbe, & rebus publicis turbatis quamaxime, ſiluit aliquando Gymnaſium. Quapropter Clemens VII. anno MDXXVIII. Conſtitutionem, *Cum nos affectione*, edidit, ut pretia, quæ ex vino ab exteris regionibus Romam advecto ſolvebantur, quæque Profeſſoribus debebantur, ſilente Gymnaſio, interea cederent alendis Conſervatoribus Urbis, & reficiendis mœniis, ita tamen ut Profeſſorum eſſent, cum primum Scholæ publicæ reſtituerentur.

 tur.

Digitized by Google

tur: *Cum ſicut accepimus Gabella ſive Dobana vinorum Urbis, Terræ nuncupata, ab ipſis Senatu, Populoque Romano pro ſalario, tam ordinarias, quam extraordinarias lectiones in ipſius Urbis Studio legentibus impoſita, & inſtituta fuerit, & ſpecialiter primo Decretum, quod fructus, ac emolumenta quæcumque ex illa provenientia in ſalariis præfatis, poſtea vero felicis recordationis Leonem Papam X. etiam prædeceſſorem noſtrum, quod etiam in augmento ſalarii Conſervatorum ejuſdem Almæ Urbis, & aliorum illius Officialium pro certa ſumma aucti, & ſi quid ultra ex ſupradictis ſalariis ſupereſſet, illud plus in refectione, ſive reparatione mœnium, ſive murorum Urbis exponeretur, & in præſenti anno MDXXVIII. non fuerint, aut futuri ab qualitatem temporum ſint Legentes, quibus ſalaria perſolvi debeant: propterea eiſdem, præſentis anni, & aliorum, quibus, futuris temporibus forte non legetur, omnes, & ſingulos fructus ex dicta Gabella provenientes etiam Legentium ſalariis deſtinatos, augmento tamen ſalariorum Conſervatorum, & aliorum Officialium prædictorum, & quando in Gymnaſio dictæ Urbis legatur, etiam, dictis actualiter Legentium ſalariis dumtaxat exceptis, in redificationem murorum prædictorum & non alios uſus exponi, & converti debere ſtatuimus, & ordinamus. Quodque dum, & quoties in Gymnaſio dictæ Urbis legi contigerit, actu tamen legentibus, & non aliis ſalaria hujuſmodi aſſignari, & ſolvi debeant: & alias aſſignari contingat, ut hactenus per Pontifices prædeceſſores, & etiam per Nos aſſignata reperiuntur, tales aſſignationes, & mandata de dictis ſalariis ſolvendis, & inde ſecuta quæcumque irritamus, & annullamus, & ſolvere habentibus, ne ſolvant inhibemus.* Ob hanc rem Jovius in vita Cardinalis Pompeii Columnæ carpit Clementem Pontificem, aitque magnam ſibi concitaſſe populi invidiam. Dandum tamen eſt aliquid temporum calamitati. Hinc

&a

Digitized by Google

& a Julio II. anno MDXII. Conſtitutione, *Ex debito paſtoralis officii*, ſimile quidquam decretum fuerat. Cum enim Eugenius IV. Pontifex ſapientiſſimus juſſiſſet, ut quæ ex vectigali vini ſupereſſet pecunia, ea, extruendis ædibus ad illorum uſum, qui ſcientiis addiſcendis incumbunt, quique ſumma premuntur inopia rei familiaris, ſeu fabricando Collegio pauperum Scholarium, impenderetur; cumque optimis illius Pontificis votis factum ſatis minime fuiſſet, erogata in alios, varioſque uſus pecunia; hinc ſtatuit Julius II. Pontifex, ut nonniſi reficiendis mœniis Urbis, aliiſque publicis uſibus, quæ ex ſalariis Profeſſorum ſupereſſet pecunia, erogaretur; ita tamen, ut cum nullæ urgerent publicæ neceſſitates, danda eſſet opera huic Collegio pauperum Scholarium ædificando. Cæterum tum Julius II. tum Clemens VII. ſua ſervanda voluere Profeſſoribus ſtipendia.

V. Attamen diuturna non fuit in Urbe hæc rei litterariæ calamitas; utpote quia a ſucceſſoribus Pontificibus reſtitutæ ſunt Scholæ publicæ. Et in his Paulus III. duos inſignes pietate, & doctrina viros e Societate Jeſu Lainez, & Fabrum, ſocios S. Ignatii Lojolæ, ſtationem habere juſſit. Narrat enim Maffeus in vita Sancti Ignatii Lib. 2. Cap. 6. Ignatium ſuam, & ſociorum operam in ſacris miniſteriis Pontifici obtuliſſe, quam in publicis Scholis Pontifex adhibuit: *Neque*, ait, *aſpernatus eſt pia Patrum ſtudia Chriſti Vicarius, atque in præſentia donec ejuſmodi aliqua ſe ſe offerret occaſio, juſſi, Faber, & Lainez in Alma Sapientiæ Gymnaſio Sacras Litteras profiteri, quo munere dum alter in Bibliis, alter in Scholaſtica Theologia, ut appellant, pari cum eruditione & pietatis laude perfunguntur, atque etiam ſæpe coram ipſo Pontifice de graviſſimis rerum Divinarum quæſtionibus diſputant*. Et ex Elenchis Profeſſorum ſub Paulo III. conſtat, nullam fere Facultatem tunc Gymnaſio defuiſſe. Plures enim res Theologicas tractarunt: plures Jura ſive

Ca-

Canonica, ſive Civilia, & horum aliqui Inſtitutiones Juris tradiderunt. Medicina tum Theorica, tum Practica ſuos habuit diſtinctos Profeſſores. Aderat, qui Anatomem exercebat. Metaphyſica, Philoſophia, & Logica a diſtinctis Profeſſoribus edocebantur. Duo vacabant Rhetoricis rebus. Nec deerant Profeſſores Hebraici, & Græci ſermonis. Erant & Profeſſores extra ordinem; erant & ii, qui, ſilentibus cæteris, cathedras aſcendebant, atque hos inter Joſeph Cincius agens diebus feſtivis, de ſimplicibus Medicamentis. Pariter res ſe habuit ſub Pontificibus ſucceſſoribus Julio III. Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. Atque tanta tunc temporis erat Romani Gymnaſii fama, ut Iacobus Middendorpius, qui ſub Pio V. edidit libros duos *Academiarum Orbis Chriſtiani*, ſcripſerit de Romano Gymnaſio: *In quo omne diſciplinarum genus, variæque linguæ a viris ſapientiſſimis publice traduntur: ac tam in ſacra Theologia, quam utroque Jure, & Medicina, atque humanioribus litteris honores ſcholaſtici conferuntur. Ante, & poſt prælectiones Studioſi in porticu invicem acute diſputant, ſæpe etiam in ipſos Profeſſores, ut & in reliquis fere Italiæ Academiis obſervatur. Id Pius V. ad Eccleſiæ Catholicæ, & bonarum litterarium inſtaurationem natus, atque a Domino Deo ſingulariter electus Pontifex Optimus, & doctiſſimus, hactenus augere, & exornare laborat.* His temporibus confluebant ſtudiorum cauſa undique adoleſcentes. Hinc Philippus II. Rex Catholicus, narrante eodem Middendorpio, *cum anno ſuperiori, ſeveriſſimo edicto prohiberet, ne quis ex Provinciis ſuis Belgicis ad alias Academias atque Scholas ſtudiorum gratia, quam imperio ſuo ſubiectas, proficiſceretur, Romanam, communem omnium patriam, bonorumque ſtudiorum matrem ſolummodo exepit.* Porro Gegorius XIII. tum ut Romanæ Univerſitatis ſplendorem augeret, tum ut Romanos Juriſconſultos ad bonarum artium ſtudia magis

ex-

excitaret, ipſis dedit facultatem interpretandi Jura, vel alias Diſciplinas edocendi in Romano Gymnaſio, dummodo a Rectore, & Reformatoribus eſſent probati, edita Conſtitutione, quæ incipit, *Supientes*, anno MDLXXIV. *Omnes*, inquit, *& ſinguli adoleſcentes, & juvenes Doctores ex patre, & avo Romæ natis, Romani, & excedentes vigeſimum ſecundum ætatis ſuæ annum, qui in Studio, ſeu Gymnaſio publico dictæ Urbis in quacumque Facultate pro tempore legere voluerint, ad Lecturam hujuſmodi, facta tamen prius per eos coram dilectis filiis noſtris S.R.E. Cardinalibus ſuper eodem Studio, ſeu Gymnaſio deputatis, ac illius Rectore, & Reformatoribus pro tempore exiſtentibus, una Lectione, admitti debeant, cum ſalario vigintiquinque ſcutorum quolibet anno pro unoquoque, qui, ut præfertur legere voluerit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus, & elargimur. Necnon ejiſdem Doctoribus, ut præfertur, qui in eodem Gymnaſio munus legendi ſubibunt, dictum ſalarium annum vigintiquinque ſcutorum ipſis, & eorum cuilibet, debitis, & conſuetis in eodem Studio, ſeu Gymnaſii reditibus, proventibus, vectigalibus, & aliis emolumentis univerſis per eos ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit perſolvendum, motu, & auctoritate ſimilibus, conſtituimus, & aſſignamus, ipſoſque ad Lecturam hujuſmodi recipi, & admitti, & ſalarium eis, & eorum ſingulis perſolvi debere, ut præfertur, decernimus*. Hinc fortaſſe in Albo Profeſſorum anni MDLXXVI. ſub eodem Gregorio Pontifice occurrit Hieronymus Pandonus Profeſſor Inſtitutionum extra ordinem, ſtipendio viginti quinque aureorum. Sed hoc inſtitutum haud diu perduravit; neque ſucceſſores Pontifices in ſuis de Studio Urbis Conſtitutionibus, ullam illius mentionem fecere. Notandum hoc loco eſt, in adducta Gregorii XIII. Conſtitutione, Scholas publicas *Sapientiæ* dici *Gymnaſium Urbis*. Quamvis Pontifex inſigne Societatis Jeſu Col-

Collegium edocendis litteris excitaverit, atque pluribus beneficiis cumulaverit, tamen nil detractum voluit Romanæ Univerſitati, ſeu Gymnaſio *Sapientiæ*. Quapropter erravit Andreas Victorellus, cum in additionibus ad Ciacconium, agens de Gregorio Pontifice, ſcripſit: *Urbis Gymnaſium, ſive Collegium Romanum fundavit hoc eodem anno idem Sanctus Pontifex, illudque Patribus Societatis Jeſu regendum dedit*. Nam illud eſt, ac dici debet Urbis Gymnaſium, ubi res litteraria auctoritate Principis, vel Magiſtratus ordinatur; Profeſſores publica auctoritate conſtituuntur, & publico ſtipendio aluntur; ubi cuſtodiuntur leges a Principe latæ; ubi Jura, & Medicina edocentur; ubi Rector utitur jurisdictione a Principe conceſſa. Hoc Gymnaſium, & olim ab Innocentio IV. & Bonifacio VIII. & Clemente V. & deinceps a Gregorio XIII. Sixto V. Alexandro VII. dictum eſt *Studium Urbis*. Cæteræ Scholæ publicæ, quas tum Patres Societatis, tum Scholarum Piarum, magno cum Civium commodo, & utilitate, in omnibus fere Civitatibus habent, niſi illæ accedant conditiones, minime dici poſſunt veræ *Univerſitates*. Gravioris erroris rei ſunt Mendo in libro de Jure Academico, & Cardinalis de Luca Diſcurſu 44. Relationis Curiæ Romanæ, qui dignitati Romanæ Univerſitatis plurimum detrahunt. Nam Romana Academia antiquitate temporis, beneficiis Pontificum, peritia Profeſſorum, numero Diſciplinarum, ordinatione rei litterariæ, nullis aliis Scholis publicis Urbis primas concedit. Atque hinc Univerſitas Urbis dici cœpit *Archigymnaſium*.

VI. Hoc quoque ſæculo in Cathedris Romanis præclariſſimi Profeſſores docuere. Nam Rhetoricam, litteraſque humanas pertractarunt Janus Parrhaſius ſub Leone X. Romulus Amaſeus ſub Paulo III. Sylvius Antonianus ſub Pio IV. Thomas Correa, & Marcus Antonius Muretus ſub Gregorio XIII. Aldus Manutius ſub Cle-

Digitized by Google

Clemente VIII. notiſſima ingenia. Mathematicæ Diſciplinæ, ineunte hoc ſæculo, Profeſſorem habuere Nicolaum Copernicum, quem in Urbe aliquas obſervationes feciſſe teſtatur Veidlerus Cap. 15. §. 19. Hiſtoriæ Aſtronomiæ. Huic addendus Joannes Taiſnerus Hannonius Mathematicus celeberrimus, auctor libri *de uſu ſphera materialis hactenus ab omnibus Philoſophis & Mathematicis magno ſtudioſorum incommodo neglecto*, nec non *Operis Mathematici*, ubi Chiromantia, & Aſtrologia prolixe exponuntur, quem in Urbe docuiſſe tanta fortuna, ut tercentos Auditores haberet, teſtatur Ghilinus in Theatro Litteratorum. Nec omittendus Lucas Valerius Romanus, cujus magna cum laude meminit in Pynacotheca Janus Nicius Erithræus. In Philoſophia excelluit Auguſtinus Niphus Sveſſanus clariſſimi nominis Philoſophus Peripateticus, cujus operam magnis ſtipendiis Academiæ omnes Italiæ exoptarunt. Qui dum in Urbe doceret, jubente Leone X. Pomponatii Librum *de immortalitate animorum* confutandum accepit, demonſtrans magno eruditionis apparatu ex principiis Ariſtotelicæ Philoſophiæ, animas eſſe immortales, quod Pomponatius negaverat. Nec ſiluit Pomponatius, ſed edito *Defenſorio*, ſe adverſus Niphum defendit. Tum alii in Niphum prodiere adverſarii, Franciſcus Lychittus Franciſcanus, qui *Theoremata philoſophica* Nipho oppoſuit, & Lucas Praſſicius Anverſanus, qui edidit *Confutationes in quaſdam Niphi commentationes pro defenſione Catholica & Peripateticæ veritatis*. Sed Niphi partes contra Pomponatium defendit Chryſoſtomus Caſalenes Dominicanus edito contra illius *Defenſorium* libro *de immortalitate animorum*. Fuſe de Philoſophico hoc certamine agit Jacobus Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ. Sub Clemente VIII. celeberrimi duo Philoſophi in Gymnaſio Romano ſedem habuere, Franciſcus Patricius Platonicis caſtris addictiſſimus, & Jacobus Mazonius ſectator

 Ari-

Ariſtotelis. Quæ cauſa fuit, ut armis litterariis inter ſe congrederentur, uti narratur a Bruchero in Hiſtoria Philoſophiæ. Ediderat Mazonius librum *de conſenſu Ariſtotelis, & Platonis*, hocque illius ſtudium conciliandi utrumque Philoſophum Patricio minime placuerat. Enata deinde eſt occaſio congrediendi. Cum enim Mazonius ſuſcepiſſet patrocinium Dantis Poetæ contra Caſtravillam, editis duobus libris, in quibus, data occaſione, Patricium carpebat, quod Ariſtotelem acerbe ageret; Patricius, edito libro, ſe adverſus Mazonium defendit. Quod ita hunc exaſperavit, ut novo ſcripto reum plurimorum errorum Patricium poſtularet. Rurſus edita reſponſione ſe defendit Patricius, rurſumque Patricium impugnavit Mazonius; nec deſiiſſet, niſi ille finem ſcribendi feciſſet. Neque cum Jacobo Mazonio ſolum Patricius graves habuit controverſias, ſed etiam cum Theodoro Angelutio Philoſopho, ac Medico Patavino de Philoſophia naturali. Tantum autem propriarum hypotheſium aſſertione odium incurrit, ut coactus fuerit paulo ante mortem nonnullas retractare. Et ſtuduit quidem in ſuis *Diſcuſſionibus Peripateticis* Ariſtotelem cum Platone conciliare, ita tamen ut Ariſtotelem peſſime egerit, ac veluti conſarcinatorem, & plagiarium traduxerit. Quem tanto odio proſequebatur, ut cum novam ſuam de Univerſis Philoſophiam Gregorio XIII. dedicaret, Pontificem hortaretur, ut proſcripta ex Urbe, atque omnibus Gymnaſiis Pontificiæ Ditionis, Ariſtotelica Philoſophia, tamquam impia, & prophana, Platonicam doceri juberet. Et hanc Chriſtianæ Religioni conſentientem, illam vero Ethnicæ ſuperſtitioni, edito libro, cui titulus *Ariſtoteles exotericus*, pluribus argumentis probavit. Quoad Medicinam, ea, hoc ſæculo a Romani Gymnaſii Profeſſoribus magnam lucem accepit. Bartholomæus Euſtachius ſub Pio IV. Anatomen, Medicinamque tractans in publicis Scholis, plurima, eaque præſtantiſſima

ma in re Anatomica primus obſervavit. Quod ipſe premiſerat in verſione Erotiani, ubi ait: *Illud velim ſcias, quaſdam a me tibi obſervationes, & inventiones anatomicas paratas eſſe, quas modo æquum, ut ſpero, ut mihi judicem præbeas velis, legiſſe unquam pœniteat.* Celebres ſunt ejus Tabulæ Anatomicæ, quas e tenebris primus omnium eruit clariſſimus Medicus Clementis **XI.** Joannes Baptiſta Lanciſius. Ex his Tabulis has inventiones Anatomicas tribuit Euſtachio Hiacynthus Gimma Tom. 2. Hiſt. Litter. pag. 706. in epiſt. ad Lanciſium: *Quod primus Stapedem detexit muſculum nempe in movendis oſſibus neceſſarium, & alia, quæ Veſlingius, Blancardus, Verheien, aliique non retulerunt. Quod capſulas ſuccenturiatas Bahuini, & Capſerii, & atrabilares Bartholini primum aliis nominibus deſcripſit. Quod Suammerdamium ſuperavit, ac prævenit in deſcribendis uteri ligamentis, & Graaffium in muſculis labiorum vulvæ. Quod os uteri internum, & folliculorum oſcula agnovit, quæ Malpighius appellavit ſtygmata. Quod vidit ante Fallopium tubas Fallopianas dictas, & indicavit ante Pecquetum, canalem limphæ, & chyli in thorace, & plura etiam circa cerebellum. Quod item varios pecudum foetus cum membranis, & cotyledonibus primum obſervavit.* Conſtantius Varolus Bononienſis, Medicinæ, & Anatomiæ peritiſſimus, Archiater Gregorii XIII. & publicus Anatomiæ Profeſſor primus reperit originem nervorum opticorum, de qua re librum ſcripſit. Salluſtius Salvianus Romanus pluribus editis libris clariſſimus, publicus Profeſſor ſub Gregorio XIII. novas excogitavit, defenditque ſententias in libris *de urinarum differentiis, cauſis, & judiciis*, quas tum privatis, tum publicis diſputationibus, ab aliorum Medicorum invidia vindicavit. Andreas Baccius, & Marſilius Cagnatus, publici Medicinæ Profeſſores ſub Clemente VIII. magnum ſibi nomen in re Medica compararunt. Quo etiam

 tem-

Digitized by Google

tempore celeberrimus ille Medicus, ac Philoſophus Andreas Cæſalpinus docuit e Cathedris Romanis, qui circulationem ſanguinis in humano corpore ante Haruæum obſervavit. Ita enim ait in ſuis Quæſtionibus Peripateticis Lib. 5. Cap. 4. *Idcirco pulmo per venam arteriis ſimilem ex dextro cordis ventriculo fervidum hauriens ſanguinem, eumque per anaſtomoſim arteriæ venali reddens, quæ in ſiniſtrum cordis ventriculum tendit, tranſmiſſo interim aere per aſperæ arteriæ canales, qui juxta arteriam venalem protenduntur, non tamen oſculis communicantes, ut putavit Galenus, ſolo tactu temperat. Huic ſanguinis circulationi ex dextro cordis ventriculo per pulmones in ſiniſtrum ejuſdem ventriculum optime reſpondent ea, quæ ex diſſectione apparent. Nam duo ſunt vaſa in dextrum ventriculum deſinentia, duo etiam in ſiniſtrum, duorum autem unum intromittit tantum, alterum educit membranis eo ingenio conſtitutis.* Tanti viri famam non leviter obſcuravit Nicolaus Taurellus, editis contra Cæſalpinum *Alpibus cæſis*, ubi eum Atheiſmi accuſat. Nam in ſuis doctis *Quæſtionibus Peripateticis* viſus eſt adhæſiſſe Ariſtotelis de Deo, deque humano intellectu ſententiæ, unamque animam ſtatuere pro corporum animatorum numero multiplicatam, cujus participatione corpora ſint animata omnia, hancque univerſalem animam eſſe Deum. Et fatetur Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ Cæſalpinum abreptum ſtudio Ariſtotelis, unam voluiſſe animatorum communem animam, quæ pro varia ſubjectorum materia, varias efficeret animatorum ſpecies. Sed raritate hujus libri Cæſalpini, factum eſt, ut nec illius ſententia ſatis perſpecta ſit, neque ab hac nota vindicari poſſit. Denique, hoc eodem ſæculo, Romanum Gymnaſium habuit Juriſconſultos eximiæ doctrinæ Benedictum Lomellinum poſtea Cardinalem, Bonſignorum Finettum, Flaminium Pariſium, Cinum Campanum, Hieronymum Pariſettum, & Petrum Paulum Pariſium

Digitized by Google

riſium poſtea Cardinalem. Quapropter ubi Summi Pontifices Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. emendando Decreto Gratiani nonnullos inſignes Juriſconſultos, ac Theologos incumbere decreverunt, Romani Gymnaſii Profeſſores minime omiſerunt. Nam Hieronymus Pariſettus Regienſis, publicus Juris interpres, & Chriſtophorus Patavinus Auguſtinianus, Profeſſor Theologiæ, operam in hac re ſuam præſtitere; uti conſtat ex Antonio Auguſtino, & Doviatio in Prænotionibus Canonicis.

VII. Ad Gymnaſii Romani gloriam, & utilitatem, hoc ſæculo, Sixtus V. Pontifex inauguratus eſt, qui ſacrarum rerum Profeſſorem in eo egerat. Ita enim teſtatur Lelius Peregrinus in oratione ſunebri, quam Sixto e vivis ſublato, habuit in Baſilica Liberiana, quamque in hujus Pontificis vita inſeruit Ciacconius: *In omnibus fere ſcientiis*, ait, *admiraculum eruditus*, *a Muſis minime alienus*, *ſolida eloquentia*, *& incredibili Philoſophiæ congnitione inſtructus*, *ſacris litteris*, *ac Theologicis difficultatibus enucleandis ſui Ordinis Scholas mire extulit*. *Romanum Gymnaſium*, *in quo publice Theologiam profitebatur*, *exornavit*. Qui autem fieri potuiſſet, ut nullam de Romana Univerſitate tantus Pontifex gereret curam? Imo nullus eo liberalior, & munificentior, Gymnaſium oppreſſum ære alieno liberavit, collata pecunia viginti millium aureorum. Et ut illius utilitati proſpiceret, Congregationem ampliſſimorum Cardinalium ſtatuit, quorum munus eſſet tuendi, vindicandi, augendi gloriam, & jura Romanæ Academiæ. Itaque in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Immenſa æterni Dei*, data anno MDLXXXVII. qua plures Cardinalium Congregationes ad Eccleſiæ, & Reipublicæ negotia pertractanda conſtituit, quinque Cardinales patrocinium Univerſitatis gerere decrevit: *Illud etiam cogitantes*, ait, *quod litterarum cognitio*, *liberaleſque doctrinæ*, *& diſciplinæ*, *quibus juventus in publicis Gymnaſiis inſtruitur*, ac

Digitized by Google

ac eruditur, magnam Chriſtianæ Reipublicæ, ſi cum pietate conjungantur afferunt utilitatem: tunc enim Civitates, & Regna optime adminiſtrantur, cum ſapientes, atque intelligentes gubernacula poſſident; ob eam ſane cauſam, Romani Gymnaſii, ejuſque Univerſitatis ornandæ, & amplificandæ curam merito gerimus, unde, & ipſam Univerſitatem ab ære alieno viginti duorum millium ſcutorum, & aliis pluribus oneribus ſublevavimus, & plane liberavimus. Itaque, ut illius rationibus, quam optime proſpiciamus, Cardinales quinque eidem Gymnaſio, & Univerſitati illiuſque reformationi præficimus, quibus facultatem concedimus, ut cum opus fuerit præclaros Theologiæ Magiſtros, & liberalium artium Profeſſores, egregios Juriſconſultos, undecumque ad juventutem erudiendam evocent, qui morum integritate, eruditione, atque elegantia litterarum non minus præſtent, quam peritia, uſuque docendi, aſſiduiſque prælectionibus juvenes inſtruant, atque ſingulis ſcientiarum Magiſtris pro meritorum ratione, re tamen Nobiſcum, aut cum ſucceſſoribus noſtris participata, ſtipendium conſtituant. Primus Leo X. Pontifex Maximus addixerat quoſdam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales gerendo patrocinio Romanæ Univerſitatis, nempe primum Cardinalem ex Epiſcoporum numero, itemque primum Presbyterum, atque primum Diaconum. Nam Bonifacius VIII. commiſerat tuenda jura Romanæ Academiæ Abbati S. Laurentii extra muros, Priori Baſilicæ Sancta Sanctorum, & Præpoſito Eccleſiæ S. Euſtachii. Eugenius IV. juſſerat Cardinalem Camerarium imminere, cum Reformatores, expleto ſuo munere, rationem reddidiſſent adminiſtrationis publicæ pecuniæ. Igitur primus Leo Pontifex nonnullos Cardinales nominavit ad Romani Gymnaſii præſidium. At Sixtus V. novam ad hanc rem Cardinalium Congregationem ſtatuit, cui facultatem quoque conceſſit accerſendi, ſi ampliori aucto-

ritate

ritate opus eſſet, ad Romanas Cathedras clariſſimos Profeſſores. Huic etiam Congregationi patrocinium commendavit Collegiorum quorumdam Urbis, nempe Maronitarum, Græcorum, ac Neophytorum, imo & nonnullarum Europæ Univerſitatum, quæ ſingulari jure ſuberant Apoſtolicæ Sedi, Pariſienſis, Bononienſis, & Salamantinæ: *Eidem Congregationi imponimus, ut earumdem Univerſitatum, atque ad eas pertinentium negotiorum apud Sedem Apoſtolicam curam gerat, illarumque neceſſitates Nobis, ſucceſſoribuſque Noſtris ordine exponat, ut eis ex paterna charitate, opem, & auxilium afferre valeamus, eaſque interdum per litteras viſitet, noſtroque nomine Catholicis viris Apoſtolicam Benedictionem impertiatur, illiſque, ut proſpere cuncta eveniant, aliis vero ſpiritum conſilii ſanioris a Deo Optimo Maximo deprecetur:* quibus verbis indicatur Oxonienſis Academia, quæ etiam in tutelam fuerat Sedis Apoſtolicæ. In hac Congregatione, utplurimum locum habuit Cardinalis ille, qui Pontificis eſſet fratris filius, uti Cardinales, Petrus Aldobrandinus, & Antonius Barberinus, cujus proinde ſumma erat dignitas, & auctoritas. Deſiit deinde hæc Congregatio, uti etiam Cardinalis de Luca in Relationæ Curiæ Romanæ teſtatur; nullamque illius ſucceſſores Pontifices in ſuis Conſtitutionibus mentionem fecere.

VIII. Ab eodem ſapientiſſimo Pontifice, regimen, & adminiſtrationem Romanæ Univerſitatis inſigne Advocatorum Conſiſtorialium Collegium accepit, ita ut Rector Univerſitatis ſemper ex illorum cœtu,& illorum ſuffragiis eligeretur. Refert Cartharius in Syllabo Advocatorum Conſiſtorialium Sixti Papæ V. Conſtitutionem ad hanc rem datam anno MDLXXXVII. quæ incipit *Sacri Apoſtolatus miniſterio*. Ibi Pontifex ait, tum ob ampliſſimi Collegii merita, quod aureorum ſex millia ſublevandis Romanæ Univerſitatis neceſſitatibus contuliſſet,

tum

tum quia in illum Cœtum viri doctiſſimi cooptarentur, ſe eidem Collegio regimen Gymnaſii perpetuo committere: *Attendentes, quod ſi dictum officium Collegio dilectorum filiorum ſacræ Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatorum perpetuo uniretur, & incorporaretur, idem officium felicius gubernaretur, ac utilitati publicæ, & ipſius Gymnaſii plenius conſuleretur, cum in dicto Collegio, ſemper adſint viri litterarum ſcientia, rerum experientia, ac uſu & prudentia præſtantes.* Cum enim in hoc Collegium præclariſſimi totius Italiæ Juriſconſulti conſueverint admitti; cum iiſdem conſueverint Pontifices graviſſima negotia committere; cumque Advocati Conſiſtoriales magnum honoris locum obtinerent; recte ſapienterque Pontifex, illorum adminiſtrationi Gymnaſium perpetuo committendum eſſe exiſtimavit. Et ita quidem, ut nil detractum voluerit ex juribus omnibus, omnique auctoritate, quibus antea, ſive ex Conſtitutionibus Pontificum, ſive ex conſuetudine, uſuque, ſive jure, ſive quovis alio nomine Rectores utebantur; *Officium Rectoratus Gymnaſii Urbis hujuſmodi*, ait, *per ipſum Collegium regendum, ac gubernandum juxta providam diſpoſitionem, & ordinationem per eos, vel majorem eorum partem faciendam, & toties, quoties eis, vel eorum majori parti expedire videbitur, mutandam, cum omnibus, & ſingulis illius fructibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, & quibuſcumque tam ordinariis, quam extraordinariis, & quæ alii, qui pro tempore fuerunt Rectores dicti Gymnaſii, quovis modo habuerunt, ſeu habere potuerunt, ac quibuſvis cauſis, & rationibus, necnon quibuſvis honoribus, oneribus, præeminentiis, antelationibus, prærogativis, juriſdictionibus, auctoritatibus, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, privilegiis, & indultis, ſolitis, & conſuetis, & quibuſvis aliis conceſſionibus, & gratiis, quibus tam ultimus, quam alii Re-*

Digitized by Google

Rectores dicti Gymnaſii, quavis ratione, vel cauſa uſi, gaviſi, & potiti fuerunt, ac uti, gaudere, & potiri potuerunt, Collegio Advocatorum hujuſmodi, ita quod liceat ipſi Collegio per ſe, vel alium, ſeu alios eorum, & Collegii hujuſmodi nominibus corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem dicti Officii apprehendere, ac perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta percipere, exigere, & levare, & in ſuos, ac Collegii, & officii hujuſmodi uſus, & utilitatem convertere; ipſumque officium per ſe, & quemlibet eorum exercere, regere, & gubernare, ac omnia, & ſingula, quæ ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum exercitium ſpectant, & pertinent, gerere, & facere, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo unimus, & incorporamus. Quapropter Pontifex nil derogatum voluit iis, quæ circa regimen Gymnaſii, officiumque Rectoris Bonifacius VIII. Eugenius IV. & Leo X. in ſuis Conſtitutionibus decreverant. Itaque, eodem anno, die quarta Septembris, Advocati Conſiſtoriales, ritibus conſuetis, Gymnaſii poſſeſſionem inivere, primumque ei præfecerunt Rectorem Horatium Burgheſium ornatiſſimum virum. Interfuere huic rei Vincentius Parenſius, Cæſar Marſilius, Pompejus Arigonius, Hieronymus Gabrielius, Cinus Campanus, Alexander Litta, Joannes Garzias Mellinus, Coronatus de Coronatis, Mutius Vellius Advocati Conſiſtoriales. Ratam vero habuit Clemens VIII. anno MDXCIX. Conſtitutione, *Decet Romanum Pontificem*, hanc adminiſtrationem Romanæ Univerſitatis Advocatis Conſiſtorialibus demandatam, cum probavit, confirmavitque quidquid ab ipſis ad illius regimen ſancitum fuiſſet: *Præterea*, inquit, *omnia, & ſingula Statuta, Conſtitutiones, Ordinationes, & Capitula per Collegium Advocatorum hujuſmodi, pro ejus, & negotiorum illius, nec non Gymnaſio prædicto, cujus Recto-*

ctoratus eidem Collegio Advocatorum Apoſtolica auctoritate, unitus, & annexus reperitur incumbentium, perſonarumque eis ſubjectarum felici regimine, & gubernio facta, & condita .... tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus: conceſſa inſuper eidem Collegio poteſtate mutandi, innovandi, augendi eadem Statuta, ſi ita eis expedire videretur. In hiſce Conſtitutionibus Sixti V. & Clementis VIII. altum eſt de Reformatoribus Studii ſilentium. Hos proinde, quorum officium ob demandatam Advocatis Conſiſtorialibus curam Gymnaſii, inutile, & ſuperfluum evaſerat, jam tum extingui cœpiſſe opinamur.

IX. Hujus ampliſſimi Collegii a priſtinis ſæculis accerſenda eſt origo. Compertum eſt, a quinto ſæculo Occidentis Eccleſias habuiſſe *Scholaſticos Defenſores*, & *Regionarios Defenſores*, quos ad inſtar *Defenſorum Civitatis*, quorum crebra eſt in Codice mentio, ſibi proprocurarunt Epiſcopi, & Eccleſiæ, ut ſua, & pauperum negotia tuerentur. Fuſe de his agit doctiſſimus Thomaſſinus Par. 1. Lib. 2. Cap. 97. de nova, & veteri Eccleſiæ diſciplina, ubi tradit primum ex laicis, deinde ex Clericis Defenſores Eccleſiarum eligi conſueviſſe. Frequens horum mentio eſt in epiſtolis S. Gregorii Magni, cujus ætate magno in honore erant, ut illis commiſſa eſſet cura patrimonii Romanæ Eccleſiæ, cura etiam aliarum Eccleſiarum, & patrocinium pauperum; ſæpe quoque ipſis demandarentur graviſſima Eccleſiæ negotia; ut proinde Gregorius Lib. 7. ep. 17. dixerit: *quia Defenſorum officium in cauſis Eccleſiæ, & obſequiis noſcitur laborare Pontificum*. Nec deſiit medio ævo illorum officium. Nam mentionem faciunt Defenſorum Stefanus Papa III. in epiſtola ad Carolum, & Carlomannum Reges, & Capitularia Caroli Magni. At recentiori ævo dici cœperunt Advocati Conſiſtoriales, quod ipſis ſolis fas eſſet, in Conſiſtorio Pontificis, negotiis Epiſcoporum, Eccleſiarum,

Digitized by Google

rum, & pauperum patrocinari. Hinc eadem fuere Advocatis Conſiſtorialibus officia, quæ olim Defenſoribus incumbebant. Atque hanc illorum originem ſtatuunt tum plures Auctores, tum omnium Doctiſſimus BENEDICTUS XIV. in Brevi quodam edito die 5. Martii, anno MDCCXLII. Jam vero magna fuit hujus Collegii dignitas. Nam primo Juriſconſulti doctiſſimi, poſtquam in præcipuis Italiæ Academiis docuiſſent, honoris cauſa in hunc Cœtum adſciſcebantur. Tum ex hoc Ordine prodiere plurimi viri a doctrina, a rebus geſtis, ab ampliſſimis dignitatibus clariſſimi, Epiſcopi, Cardinaleſque magno in numero, Pontifices, præſertim BENEDICTUS XIV. qui unus ſatis eſt ad hujus Collegii dignitatem comprobandam. Sæpe illorum peritiæ graviſſima commiſſa ſunt a Pontificibus negotia Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ; cujus rei plurima exempla dat Cartharius in Syllabo Advocatorum Conſiſtorialium. Aderant in Conciliis, ut rebus obſcuris doctrina ſua lucem afferrent. Pontificum itinera comitabantur, ne deeſſet Aulæ tantorum virorum obſequium. Quæ omnia perſpecta ſunt ex Syllabo Advocatorum Conſiſtorialium, auctore Carthario, & ex eorumdem Albo in calce hujus Operis edendo. Eorum autem munus in eo potiſſimum verſabatur, ut cum olim Pontifex nonniſi in Conſiſtorio tractaret negotia Eccleſiarum, Epiſcoporum, & Reipublicæ; ipſi in tanto conventu, de iis, quæ agebantur, verba facerent. Neque enim decet, niſi Viros graviſſimos, ſelectoſque, Pontificem in tanta majeſtate jus dicentem, alloqui. Atque hoc eſſe illorum officium, Martinus V. Conſtitutione, *In Apoſtolicæ*, lata anno MCDXXVIII. diſertis verbis teſtatur. Quoniam vero antiquis Defenſoribus incumbebat cura patrimonii Eccleſiæ, & pauperum hinc jam diu invaluit, ut Patronus Ærarii Pontificii, ac pauperum ex memorato Cœtu ſemper accerſiretur. Videndus de hujus Collegii præſtantia Rubeus in libro, cui titulus: *Defen-*

ſor redivivus. Olim Collegium hoc decem Juriſconſultis conſtabat; tum jubente Sixto IV. auctus illorum numerus ad duodecim. Ex hiſce unus, antiquiſſimo jure, Bononienſis, alter decreto Urbani VIII. anno MDCXXV. Ferrarienſis, unus Pii IV. juſſu MDLX. Mediolanenſis, alter beneficio Innocentii XII. anno MDXCV. Neapolitanus, cæteri ex Ditione Pontificia. Univerſi antequam in hunc Cœtum admittantur, præditi eſſe debent Juris ſcientia, & hujus rei periculum faciunt in publico conventu. Et Clemens XII. Brevi dato die XXII. Januarii MDCCXXXI. decrevit, nonniſi optimos Juriſconſultos in hunc Ordinem cooptandos, ne impares deinde ſint officiis *Advocati Fiſci*, *& Cameræ Apoſtolicæ*, *Advocati pauperum*, *& Promotoris Fidei*, *quæ eis conferri conſueverunt*. Inter eos primas tenet Decanus, ſeu is, qui in hoc Collegio eſt antiquiſſimus eorum, qui Romæ ſunt, quique inter Prælatos Aulæ Romanæ non recenſentur. Quoniam vero jam diu mos deſiit, ut Pontifex in Conſiſtorio, auditis Advocatis, jus redderet; hinc nunc temporis verba faciunt in Conſiſtorio, cum a Pontifice petenda ſunt Pallia Archiepiſcopis conferenda; cum agitur de iis, qui in Sanctorum numero ſunt referendi; & ſi qui Cardinales ſe dignitate ſua abdicarent; ſique aliquibus Oratoribus Principum permitteretur adire in Conſiſtorio Pontificem; horum nomine Advocati Conſiſtoriales verba facerent. Nuper vero omnia illorum munia, & privilegia, novis quoque additis beneficiis, confirmavit Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. qui diu in hoc Collegio meruerat, Conſtitutione, *Inter conſpicuos Ordines*, de qua re alibi dicemus.

X. Itaque huic Ordini ampliſſimo commiſſum eſt regimen Gymnaſii Romani. Ad hanc rem, ſingulis annis, collatis ſuffragiis, unum e cœtu ſuo Rectorem Gymnaſii conſtituunt; ſæpe eumdem diutius hoc fungi munere permittunt. Is dicitur, *Rector Deputatus*, duoſque ſocios

Digitized by Google

cios ſibi adjungit ad hoc munus obeundum. Olim Rectores Gymnaſii Romani ab ipſis Profeſſoribus, eorumque diſcipulis eligebantur, ut patet ex Bulla Bonifacii VIII. *Rectores quoque quos Doctores & Scholares ejuſdem Romani Studii pro tempore duxerint eligendos*. Nam excitatis ubique Academiis, cum neceſſe eſſet eis aliquem imminere, & rei litterariæ curam gerere; viſum eſt, nemini aptius id munus convenire, quam alicui e Profeſſorum numero, quem ipſi Profeſſores, diſcipulique communi ſuffragio elegiſſent. Ita fere res ſe habuit in omnibus Academiis, præſertim Pariſienſi, uti conſtat ex Bulæo; Patavina, uti conſtat ex Thomaſſino; Salmaticenſi, uti Mendo teſtatur; Neapolitana, Colonienſi, aliiſque. Perduravit hoc inſtitutum in Romana Academia, ſedente Eugenio Quarto. Nam in hujus Pontificis Conſtitutione, Capite antecedenti adducta, leguntur eadem verba Conſtitutionis Bonifacii VIII. de Rectoribus, quos Profeſſores, eorumque Diſcipuli conſtituiſſent. Hinc cum plurima Eugenius decreverit quoad modum eligendi Reformatores Gymnaſii, ſiluit tamen de electione Rectoris, utpote quæ ſuffragiis totius Academiæ eſſet permiſsa. Quapropter Joannem illum Matiſconenſem Epiſcopum, qui ſub Eugenio Pontifice agebat Rectorem, & quem Sammarthani in Gallia Chriſtiana vocant Decretorum Magiſtrum, opinamur e numero Profeſsorum fuiſse. Georgium quoque Trapezuntium Rectorem, Profeſſoremque fuiſſe, tradunt Voſſius, & alii. Jam vero in omnibus Academiis ampliſſima fuit dignitas Rectoris. Cum enim Cœtus ipſe Profeſſorum, & Auditorum ob præſtantiam doctrinæ, ob beneficia Principum, ob præclara in Rempublicam merita, ob defenſionem Fidei, ac Religionis, magnum honoris, ac dignitatis locum in qualibet Civitate, Provincia, & Regno obtineret; hinc conſequebatur, ut qui Cœtui huic ampliſſimo præeſſet, illumque repræſentaret, is in ſummo

mo honore, dignitate, & exiſtimatione eſſet. Hinc Rectoribus ſceptra argentea præferebantur. Ita de Rectore Papienſis Academiæ conſtat ex Arnoldo Ferrono Lib. 7. Hiſt. Gall. ubi narrat Antonium Levam Cæſaris Ducem, ut militibus ſtipendia ſolveret, etiam argentea ſceptra, quæ inſtar faſcium præferebantur Rectori Univerſitatis, in ſuos uſus convertiſſe. De Rectore Academiæ Montiſpeſſulanæ ſcribit Middendorpius: *Rectoris tanta auctoritas eſt, ut Studioſi quacumque etiam de cauſa egredientem comitari honoris gratia cogantur, quod ſe non ſine maxima ſtudiornm ſuorum, multarumque horarum jactura nimis frequenter feciſſe queritur Rebuſſus. Ac quorumdam Rectorum inhumanitatem reprehendit, qui de Studiis parum ſolliciti, ambulando per plateas, eundo ad nuptias, ſæpe etiam ad amicas, mortuorumque ſepulturas, prælectiones interturbabant*. Idemque Middendorpius teſtatur, Rectorem Academiæ Viennenſis in omnibus actibus publicis alterum a Principe, vel ejus Vicario locum obtinuiſſe. Augebat Rectorum dignitatem juriſdictio in negotiis definiendis Profeſſorum, ac diſcipulorum illis a Friderico Imperatore conceſſa. Nam vi hujus Sanctionis in omnibus fere Academiis Rectores hac uſi ſunt poteſtate. De Colonienſi ſcribit Middendorpius: *In omnibus quoque cauſis criminalibus & civibus juriſdictionem exercet: quare graviſſima ſemper inter Colonienſem Archiepiſcopum, & Rectorem controverſia fuit exorta: ſolius hæreſis cognitionem non uſurpat: & quamquam pro electione Rectoris quatuor iſtis anni temporibus Univerſitas cogitur, fere tamen nunc integrum annum retinetur: & de jure reſponſurus Rector Theologus, Medicus, & Philoſophus perpetuo Juriſconſultum Aſſeſſorem, & Conſiliarium habet*. Deque Rectore Academiæ Viennenſis, ſcribit: *Univerſitatis Rector in actibus publicis alterum a Principe, vel ejus Vicario locum obtinet, atque omnibus Academiæ membris*

Digitized by Google

bris ex æquo, & bono jus dicit, non modo in civilibus, ſed in criminalibus etiam controverſiis. Pariter Rectoribus Academiarum Complutenſis, Salamantniæ, Pariſienſis, Oxonienſis, Bononienſis, & aliarum plurium, fuiſſe ordinariam juriſdictionem in Profeſſores, Scholareſque, probat Cothmannus in ſuis Reſponſionibus Academicis. In Academia Neapolitana olim fuit ad hanc rem *Juſtitiarius Scholarium*, quo abrogato, juriſdictio hæc rediit ad Rectorem. Hinc Rectoribus ordinariam juriſdictionem abſcribunt Mendo in libro de Jure Academico, Eſcobarius de juriſdictione in Studiis generalibus, Pereira in Republica litteraria, aliique quamplures. Denique privilegia plurima a Principibus collata Academiis, non parum dignitatem illarum Rectorum extulerunt. Cum igitur Rectores tanto honore aucti eſſent, cauſa fuit, cur, demta Profeſſoribus, ac Scholaribus electione, cœperint ipſi Summi Principes Academiis ſibi ſubjectis Rectores præficere. Plurimum enim ſua, & Reipublicæ intereſſe exiſtimarunt, ſi in tanto munere virum ſuis rebus addictiſſimum collocarent. Ita in Gymnaſio Patavino Rector a Senatu Veneto conſtitui cœpit. In Gymnaſio Neapolitano munus Rectoris perpetuo addictum fuit Magno Regni Capellano. Pariter in Gymnaſio Romano mos deſiiit, ut a Profeſſoribus, Scholaribuſque Rector nominaretur. Sed ipſi Summi Pontifices aliquem e graviſſimis Aulæ Romanæ Præſulibus huic muneri præficere conſueverunt. Ita teſtatur Sixtus V. in laudata Conſtitutione, his verbis: *Sane licet alias Officium Rectoratus Gymnaſii Almæ Urbis uni ex Prælatis Romanæ Curiæ ad ejus vitam concedi, & aſſignari ſolitum fuerit*. Cumque antea, etiam laicis Profeſſoribus potuerit hoc munus committi, hinc ubi Romani Pontifices ſibi Rectoris electionem vindicarunt, nulla lege adigebantur, ut e Clericorum duntaxat numero Rectores ſeligerent. Quod indicatur a Leone in Bulla, *Quam omni-*

omnibus, ubi agens de Capellanis Romanæ Academiæ a Rectore inſtituendis, ait: *Quæ Rectoris pro tempore inſtitutio, ſeu confirmatio, etiamsi in futurum contingat, dictum Rectorem Prælatum non eſſe (ut nunc eſt) ſed ſimplicem Clericum, aut merum laicum eſſe, eaſdem vires, & eumdem effectum habeat, proinde ſi eſſet inſtitutio per Nos, ſeu per alios Pontifices ſucceſſores noſtros Romanos pro tempore in dictis Præpoſitis, & Capellanis reſpective facta*. In aliis quoque Academiis laici nonnunquam hoc munere donabantur, uti de Vienneuſi teſtatur Middendorpius, ita tamen, ut laicus Rector Clericum aliquem ſibi adſciverit ad juriſdictionem in eccleſiaſticas perſonas exercendam. At Romani Pontifices utplurimum conſueverunt Prælatos ampliſſimos Aulæ Romanæ præficere Gymnaſio. Nam ſub Leone X. anno MDXIII. uti conſtat ex Conſtitutione, *Dum ſuaviſſimos*, adminiſtrabat hanc provinciam Dominicus Jacobatius de Faceſchis Romanus, Epiſcopus Lucerinus, Pontificis in Urbe in rebus ſpiritualibus Vicarius, olim Advocatus Conſiſtorialis, & Auditor Rotæ Romanæ. Cujus quidem quanta fuerit in utroque Jure, & Theologia peritia, plurimi ab eo editi libri, quos recenſet Ciacconius, teſtantur; ut merito illum Leo X. anno MDXVII. inter Cardinales cooptaverit, & Urbe diſcedens ſuum in ea Legatum nominaverit. Anno MDXIV. præerat Academiæ Romanæ Epiſcopus Comenſis, cujus meminit Leo X. in Bulla *Quam omnibus*. Is autem fuit Scaramutia Trivultius nobiliſſimus Mediolanenſis, ac doctiſſimus Juriſconſultus, qui in Scholis publicis Ticinenſibus Jura docuerat, & a Ludovico XII. Galliarum Rege in Conſiliarium Regni fuerat adlectus, quem idem Pontifex Leo X. anno MDXVII. Cardinalium Ordini addidit. Vir quidem de publicis rebus, deque re litteraria optime meritus, uti Ughellus narrat in Epiſcopis Comenſibus. Andreas Jacobatius, Dominici frater, vir doctus, & Orientalium lingua-

guarum peritiſſimus, ſub eodem Leone Pontifice, teſte Ciacconio, fuit Rector Gymnaſii, Vicarius Pontificis in Urbe, & Epiſcopus Lucerinus. Veriſimile, eſt utrumque Jacobatium in Gymnaſio aliquamdiu docuiſſe. Sub Paulo III. Julio III. Pio IV. & Pio V. geſſit Rectoris munus Camillus Peruſcus Epiſcopus Alatrinus, vir ornatiſſimus. Huic ætate gravi, & reſidentiæ legibus adſtricto, Pius IV. anno MDLXIV. Coadiutorem dedit cum futura ſucceſſione, & ducentorum aureorum ſtipendio celeberrimum Silvium Antonianum, Profeſſorem humanarum litterarum in Romano Gymnaſio, tum Cardinalem ampliſſimum. Extant Pii IV. ad hanc rem litteræ in vita hujus Cardinalis conſcripta a Joſepho Caſtalione. Ibi legitur, ut Camillus Peruſcus conſenſerit huic Coadiutoriæ, & ut die XII. Februarii, anno MDLXV. Antonianus exhibuerit Conſervatoribus Urbis Pontificis litteras, & coram Cardinale Vitellio, & Camillo Peruſco ſolitam Fidei profeſſionem, conſuetumque juramentum ediderit. Gregorio XIII. Pontifice, agebat Rectorem Annibal de Graſſis, ſimulque erat Conſultor S. Officii, & Judex Confidentiarum, uti legitur in præfatione ad Deciſiones Cæſaris de Graſſis. Hic quoque Cæſar de Graſſis, Auditor Sacri Palatii, diu moderatus eſt Romanam Academiam. Denique ſub Sixto V. fungebatur hoc munere Simon Cecchinus, Utriuſque Signaturæ Referendarius, Auditor Contradictarum, & deinde Romanæ Rotæ, eximius Jurium Doctor, & Poeta. Atque ita res ſe habuit uſque ad Sixtum V. qui ut optimæ adminiſtrationi Romanæ Academiæ perpetuo conſuleret, utque Advocatorum Conſiſtorialium merita compenſaret, ipſis perpetuo hoc munus addixit. Et quidem tunc temporis, & ſequenti ævo, ſæpiſſime ex publicis Profeſſoribus creabantur Advocati Conſiſtoriales, uti Olradus de Ponte, Ludovicus Pontanus, Ivo Coppulus, Hieronymus Accorambonus, Bonſignorus Finettus, Antonius Vellius, Sigiſmundus Zan-

Digitized by Google

nettinus, Rutilius Alterius, Cinus Campanus, Marcus Antonius Bizzonius, aliique. Imo adhuc in Collegium hoc adſciti ſtipendia Profeſſorum percipiebant. Nam in Elenchis Profeſſorum ſub Pio V. anno MDLXVII. legitur Antonius Vellius Advocatus Conſiſtorialis, Profeſſor Jurium hora veſpertina, ſtipendio centum quinquaginta aureorum. Pariter ſub Gregorio XIII. occurrit in Albis Profeſſorum Marcus Antonius Bizzonius, quem Pius V. adſcripſerat inter Advocatos Conſiſtoriales. Julius Benignus, & Cinus Campanus, uterque Advocatus Conſiſtorialis, inter Profeſſores, qui ſtipendia percipiunt, recenſentur.

XI. Diximus Capite antecedenti, Sixtum IV. confirmaſſe Advocatis Conſiſtorialibus jus conſtituendi Doctores Legum, quod nullis aliis fas eſſet. Verum cum nonnulli id ſibi jus arrogarent, indoctique ſæpe ad hunc honorem promoverentur, Julius III. lata Conſtitutione, *Cum ſicut fide dignorum*, anno MDLII. ne Doctorum dignitas viliſceret, & ne privilegiis Advocatorum Conſiſtorialium detraheretur, novo donavit robore Sixti IV. Sanctionem, declarans, ſolos in Urbe Advocatos Conſiſtorales inſignia Doctoratus conferre poſſe, ac nullius momenti fore, ſi quid in hac re alii auſi eſſent: *Nos igitur præmiſſis, prout ex debito Paſtoralis Officii tenemur obviare volentes, præſertim in Urbe ex qua utrumque Jus profluit, ac deſcendit, & a cujus exemplo Orbis partes ſolent regulari, ac de litterarum ſcientia virtutibus, & meritis veſtris, quibus veſtro Collegio Doctores in utroque Jure Civili, & Canonico creandi, & illis inſignia conferendi ex diverſis privilegiis, & antiqua conſuetudine jus, facultas, & poteſtas competunt, & in quibus etiam poteſtas Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii, Gymnaſiique Almæ Urbis noſtræ Cancellarii pro tempore exiſtentium repreſentatur: Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, non ad veſtram, ſeu alicujus inſtantiam,* *ſed*

ſed de noſtra mera deliberatione tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus nullus, etiam prætextu cujuſdam licentiæ, ſeu facultatis ſibi conceſſæ.... ad gradum Doctoratus in utroque, ſeu alterum Jurium hujuſmodi ab alio, quam a vobis, & Collegio veſtro in dicta Curia aſſumi, ſeu in utroque, vel altero Jurium Doctorari poſſit. Rurſum a Sixto V. Conſtitutione, *Sacri Apoſtolatus miniſterio*, anno MDLXXXVII. novum robur acceſſit antiquo huic Advocatorum Conſiſtorialium privilegio, cum confirmaverit, ac innovaverit, *omnia, & quæcumque privilegia eidem Collegio, & Advocatis Conſiſtorialibus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & præcipue per piæ memoriæ Julium Papam III. etiam prædeceſſorem noſtrum ſuper facultate Doctores creandi, etiam privative quo ad alios*. Nihilo tamen minus ampliſſimum Protonotariorum Apoſtolicorum Collegium, ſæculo hoc cadente, eamdem ſibi poteſtatem adſcribebat. Quapropter, Clemente VIII. Pontifice, diu, multumque diſputatum eſt in Foro Romano, an jus promovendi in Urbe Doctores, utrique Collegio eſſet commune. Tandem anno MDXC. die III. Aprilis, ſuffragio Patrum, qui in Rota Romana jus dicunt, definitum eſt, Doctores in utroque Jure a ſolo Advocatorum Conſiſtorialium Collegio conſtitui poſſe. Eſt hæc Romanæ Rotæ Deciſio MCCLXXVII. coram Seraphino. Et huic illorum Patrum judicio ſuffragatus eſt Clemens VIII. promulgata eodem anno, Conſtitutione, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, qua Conſtitutionibus in hac re Sixti IV. Julii III. Sixti V. innovatis, declaratur, *quod munus, ſeu privilegium, & facultas creandi Doctores, ſeu Licentiatos in utroque, vel altero Jurium, ac conferendi inſignia Doctoratus, & Licentiaturæ ſolummodo ad Collegium Advocatorum hujuſmodi, privative quoad omnes alias perſonas cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & con-*

& conditionis, ac omnia alia Collegia Officialium dictæ Curiæ, & Notariorum de numero Participantium prædictorum perpetuo ſpectet: vetitumque eſt, *quibuſvis aliis perſonis, & Collegiis etiam Notariorum de numero Participantium hujuſmodi, ne de cætero perſonas quaſcumque, etiam quomodolibet optime qualificatas in eiſdem Curia, Urbe, & diſtrictu ad Doctoratus, ſeu licentiaturæ Gradus aſſumere, ſeu illis eorum inſignia tradere quoque modo, etiam vigore privilegiorum, & indultorum ad hoc eis auctoritate prædicta conceſſorum, ac etiam confirmatorum, & innovatorum.* Præterea ibidem privilegia aliis Collegiis in hac re conceſſa nullius declarantur momenti; nullius quoque pretii declarantur Doctores ab aliis promoti, imo & pœnis quibuſdam afficiuntur. Quoniam vero hoc idem jus in Doctoribus promovendis Comites Palatini ſibi aſſeruerant, Pius V. Conſtitutione, *Quamvis a Sede Apoſtolica*, anno MDLXVII. & Clemens VIII. eadem Conſtitutione, *Decet Romanum Pontificem*, id ipſis fas minime eſſe decreverunt. At iterum ſequenti ſæculo rediit hæc controverſia, quam hic indicamus, ne rurſum de ea agere cogamur. Conceſſa enim ab Urbano VIII. anno MDCXXIX. Protonotariis Apoſtolicis facultate promovendi quatuor dumtaxat Doctores, quibuſdam ſervatis conditionibus, has cum illi neglexiſſent, excitatæ inde ſunt lites, reſque diu diſceptata. Tandem nuper huic controverſiæ finem impoſuit Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. edita Conſtitutione, *Inter conſpicuos Ordines*, anno MDCCXLIV. In ea enim certam, firmamque facit Advocatorum Conſiſtorialium poteſtatem conferendi Doctoratus honorem, quæ nullis aliis in Curia, & Urbe conveniat; reſtituitque priſtinam vim Conſtitutionibus prædeceſſorum Pontificum jam recenſitis; e contra vim detrahit privilegiis omnibus, quæ aliis hanc poteſtatem communicarent. Tum, extincta inter Protonotarios, Advocatoſque lite, de-

declarat, Protonotariis integrum neque fuiſſe, nec eſſe, ut abſentes ab Urbe conſtituerent Doctores; idque ſolum ipſis fas eſſe, ex Urbani VIII. beneficio, ut nempe ſingulis annis quatuor tantummodo, qui in Urbe adſint, & nonniſi prævio examine, augeant Doctoris gradu. Imo, ut nobiliſſimum Protonotariorum Collegium, ſuis beneficiis complectatur, annuit, indulgetque ipſis facultatem conſtituendi annis ſingulis ſex Doctores, dummodo tamen in Urbe commorentur, quibuſdam etiam conditionibus præſcriptis. Mox ſtatuit, ut nullis inpoſterum in Aula Romana conferantur Officia, vel Beneficia, quæ nonniſi Doctoribus ſunt conferenda, niſi litterarium hunc honorem in Romano Gymnaſio ab Advocatis Conſiſtorialibus acceperint. Idque ſe decreviſſe teſtatur Pontifex, ut Advocatos Conſiſtoriales majoribus privilegiis donaret, ut Gymnaſii Romani dignitatem augeret, utque rebus publicis melius conſuleret: *Noſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatos, eorumque Collegium amplioribus favoribus, & gratiis proſequi, & tam prædicti Archigymnaſii Almæ Urbis noſtræ ſplendori, & dignitati, quam feliciori, atque utiliori Romanæ Curiæ ſtatui, & regimini plenius conſulere, & providere volentes, ſimulque dignum rationique conſonum reputantes, ut quicumque ad Dignitates, Prælaturas, Magiſtratus, aliaque munia, & Officia dictæ Curiæ, quæ in eadem Curia, & Urbe conſiſtunt, & in ea exercentur, & quæ Doctoratus gradum in utroque vel altero Jurium annexum habent, aut quomodolibet requirunt, pro tempoie aſſumi, & promoveri deſiderant eorum doctrinæ, & idoneitatis in prædicto Archigymnaſio publicum præbeant experimentum.* Excepit tamen ab hac generali lege illos, qui conſequuntur Officia nonnulla quibuſdam nationibus addicta.

XII. Quoad Doctores in Philoſophia, ac Medicina, ii honorem hunc conſequuntur ab inſigni in Urbe Collegio Medicorum. Jam olim ſub Imperatoribus fuit in Urbe

be Collegium Archiatrorum, cujus ſæpe mentio fit in utroque Codice. Archiatri dici cœperunt Medici Principis, atque adeo primarii, qui deinde diſtincti ſunt in Archiatros Palatii, & Archiatros populares, & ex his conflatum Collegium, uti cenſet Daniel Clericus in Hiſtoria Medicinæ. Archiatrorum popularium numerum, electionemque decrevit Valentinianus Lib. XIII. Codicis Theodoſiani Titulo III. de Medicis, & Profeſſoribus, Leg. VIII. *Exceptis portus Syxti, virginum Veſtalium quot Regiones Urbis ſunt, totidem conſtituantur Archiatri, qui ſcientes annonaria ſibi commoda a populi commodis honeſte obſequi tenuioribus malint, quam turpiter ſervire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quæ ſani offerunt pro obſequiis, non ea, quæ periclitantes pro ſalute promittant. Quod ſi huic Archiatrorum numero aliquem aut conditio fatalis, aut aliqua fortuna decerpſerit, in ejus locum non patrocinio præpotentium, non gratia judicantis alius ſubrogetur, ſed horum omnium fideli circumſpectoque delectu, qui & ipſorum conſortio, & Archiatriæ ipſius dignitate, & noſtro judicio dignus habeatur de cujus nomine referri ad nos potiuus oportebit.* Hinc patet, totidem fuiſſe Archiatros populares, quot erant Urbis regiones, exceptis Medicis qui in xyſtis, & apud Virgines Veſtales Medicinam faciebant, de quibus videndus doctiſſimus Gothofredus. Illorum autem munus fuiſſe obſequi tenujoribus, curare nempe eos, quibus nullæ, vel tenues eſſent opes. Et ob hanc rem percipiebant annonas e publico ærario. Nec ullus in hoc Collegium cooptari potuit, niſi communi aliorum ſuffragio, & auctoritate Imperatoris. De qua re rurſus Leg. IX. ait Valentinianus: *Si qui in Archiatri defuncti eſt locum promotionis meritis adgregandus, non ante eorum particeps fiat, quam primis, qui in Ordine reperientur, ſeptem, vel eo amplius judicantibus idoneus adprobetur: ita ut quicumque fuerit admiſſus, non ad prio-*

priorum numerum ſtatim veniat, ſed eum ordinem conſequatur, , qui cæteris ad priora ſubvectis, ultimus poterit inveniri, hiſque annonarum compendia, quæ eorum ſunt meritis, dignitatique præſtanda, tua ſinceritas juxta diſpoſitionem prius habitam faciat miniſtrari: Memorat hanc legem Symmachus Lib. 10. ep. 40. Erant & Archiatri Sacri Palatii, qui *intra penetralia Regalis Aulæ*, uti dicitur Leg. XII. citato loco Codicis Theodoſiani, Medicinam exercebant; quique deinde aſſequebantur Comitivam primi Ordinis, atque immunes erant ab omnibus publicis muneribus ſubeundis. Horum primus dicebatur Comes Archiatrorum. Quod vero non omnes Medici dicerentur Archiatri, probant verba Legis VI. Lib. X. Cod. Juſtin. Tit. LII. ubi: *Medicos, & maxime Archiatros*. Quemadmodum igitur olim in Urbe fuit præcipuorum quorumdam Medicorum Collegium, & nonnullis privilegiis ornatum, ita etiam ſæculis ſubſequentibus, præſertim ſæculo decimo quinto, cum huic Collegio Sixtus IV. poteſtatem addidit examinandi, probandique illos, qui in Urbe voluiſſent Medicinam exercere. Nam id olim eis fuiſſe a Sixto IV. conceſſum teſtatur Clemens VII. Conſtitutione *In ſupernæ* anno MDXXX. edita, qua confirmavit Statuta hujus Collegii, & juriſdictionem Protomedici in examinandis, probandiſque Medicis, ac Pharmacopolis. Tum Julius III. anno Domini MDLIII. lata Conſtitutione, quæ incipit *Meritis devotionis veſtræ*, confirmavit huic Collegio privilegia a prædeceſſoribus Pontificibus conceſſa, præſertim Clemente VII. annuitque, ut Protomedicus jus diceret in cauſis ſive civilibus, ſive criminalibus, quæ ad ejus officium ſpectarent, utque nonniſi ab hoc Medicorum Collegio fas eſſet conferri Doctoratus inſignia in Philoſophia, ac Medicina: *Statuimus*, inquit, *& Ordinamus, & nunc & de cetero perpetuis futuris temporibus, ut nullus, etiam prætextu cujuſuis licentiæ, ſeu facultatis ſibi*,

Digitized by Google

ſibi, etiam Apoſtolica auctoritate conceſſæ....ad Philoſophiæ, & Medicinæ, ſeu earum alterum Doctoratus gradum, præterquam a veſtro Phyſicorum, & Medicorum Collegio in dicta Alma Urbe noſtra exiſtente aſſumi, creari, & promoveri poſſit. Cumque excitata eſſet controverſia inter hoc Medicorum Collegium, & Collegium Pharmacopolarum, Gregorius Pontifex XIII. anno MDLXXV. Conſtitutione, *Cum officio Paſtorali*, declaravit, officinas Pharmacopolarum a Protomedico viſitandas, hos, eorumque Pharmaca ab eodem probanda, pretiumque Pharmacorum a Protomedico ſtatuendum. Tum alia Conſtitutione ab eodem Gregorio Papa XIII. promulgata anno MDLXXVI. quæ incipit *In Apoſtolicæ dignitatis*, ſancitum eſt, ut quicumque in Urbe vellent artem medendi exercere, ii, examine, ſuffragioque Protomedici, ac Collegii Medicorum eſſent comprobandi. Præterea Conſtitutione Clementis VIII. anni MDXCIII. cujus initium eſt, *Quo viri, qui tum ſalubribus artis Medicinæ præceptis*, Statuta hujus Collegii, ac privilegia a predeceſſoribus Pontificibus conceſſa, novo robore donata ſunt; declaratumque, Medicos, Chirurgos, Parmacopolas Urbis, Ditioniſque Pontificiæ ſubeſſe juriſdictioni Protomedici, hujuſque Collegii; illorum cauſas civiles, criminaleſque ſpectantes ad hanc artem, a Protomedico in prima inſtantia definiendas eſſe; hujus judicio ſtandum eſſe, an pares ſint illis vires his muneribus exercendis; medicamenta quoque a Pharmacopolis confecta Protomedici examini ſubiicienda eſſe. Denique ab Urbano VIII. & Clemente X. novis Conſtitutionibus corroborata ſunt privilegia, & Statuta hujus Collegii, eaque typis edita anno MDCLXXVI. Eſt igitur in Urbe inſigne Collegium ex duodecim Medicis conflatum, quorum ſi unus loco ceſſerit, eligitur alter ſuffragiis cæterorum, dummodo nonnullis præditus ſit conditionibus, quæ leguntur Statutorum Cap. 19. atque in primo ingreſſu diſferen-

ſerendum ei eſt de Philoſophia, deque Medicina, jurandumque ſe Collegii Statuta ſervaturum. Horum unus ſuffragiis cæterorum electus agit Protomedicum generalem, ſimulque cum tribus Conſiliariis exercet jurisdictionem omnem in Urbe, & Ditione Pontificia in rebus ad artem Medicam ſpectantibus; hique omnes, expleto ſui Magiſtratus tempore, ſubiiciuntur Cenſorum judicio, an quidquam officio ſuo defuerint. Ad hoc Collegium ſpectat Doctores vel in Philoſophia, vel Medicina conſtituere in Urbe, neque id aliis fas eſt. Qui igitur hoc honore donari exoptat, adire debet Protomedicum, cujus auctoritate nonnulli nominantur, qui illius in Philoſophia, vel Medicina peritiam explorent, ac teſtentur. Tum illi publicum examen eſt ſubeundum, diſſerendumque de nonnullis propoſitionibus ſorte deſumptis, vel ex Aphoriſmis Hippocratis, vel ex libris Phyſicarum Auſcultationum Ariſtotelis, in conventu totius Collegii, & Viceſgerentis Cardinalis Camerarii, poſtquam Catholicæ Fidei profeſſionem recitaverit, conſuetumque ſacramentum præſtiterit. Tum iis, quæ ille dixit, opponit nonnulla ultimus e Collegio; ægrumque fingit quodam morbo laborantem, ut ille hujus curandi methodum tradat. Quibus finitis, feruntur ſuffragia, iiſque collatis, ſi ei faverint, petit a Viceſgerente, vel a Protomedico ſibi inſignia Doctoratus conferri. Et Viceſgerens Camerarii, vel eo abſente, Protomedicus illum Doctorem decreto Collegii declarat, Promotor vero ei tradit inſignia, Librum, Annulum, Biretum, poſtquam eum in Cathedra collocaverit. Deinde novus Doctor, procumbens ante Viceſgerentem, vel Protomedicum, promittit, juratque tactis Evangeliis, ſe dignitati Romanæ Eccleſiæ, Populique Romani, juribuſque Collegii Medicorum numquam detracturum; pauperes ſine ulla mercede curaturum; ægros omnes ſuæ curæ commiſſos hortaturum ad Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipienda juxta

Digitized by Google

Pii V. Conſtitutionem; omneque ſtudium in ægrotis curandis ſe adhibiturum. Tum ſingulorum amplexibus excipitur, eiſque pro collato beneficio gratias agit plurimas. Atque is eſt ritus creandi Doctores Philoſophiæ, vel Medicinæ in Romano Gymnaſio. Nec ambigendum eſt, quin in hac re Collegium Medicorum Urbis exhibeat vices Romanæ Univerſitatis, & hujns nomine probet, conſtituatque Doctores. Proinde hoc inſigne Collegium quoad hanc rem eſt pars Romanæ Academiæ, uti etiam fatetur Cardinalis de Luca Diſcurſu 44. Relationis Curiæ Romanæ. Hinc ait: *In eadem Univerſitate, vel Sapientia adſunt etiam Collegia Theologorum, & Medicorum ſcientificorum, qui Phyſici appellantur, ad differentiam Chirurgorum practicorum, & mechanicorum; atque penes utrumque Collegium reſidet quoque eadem poteſtas Doctorandi in propria profeſſione reſpective.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

DE GYMNASIO ROMANO SÆCULO DECIMO SEPTIMO.

Gymnaſii ædificium ſub Alexandro Septimo perficitur: II. De ejus Bibliotheca. III. De Sacra Æde. IV. De Horto Medico. V. De ſtipendiis Profeſſorum. VI. Novæ quarumdam Diſciplinarum Cathedræ reſtitutæ vel erectæ. VII. Solemnis Dedicatio Gymnaſii. VIII. Decreto Clementis Noni nullis in Urbe fas eſt publice docere, diſſentiente Gymnaſii Rectore. IX. Jus interpretandarum Legum uni Gymnaſio Romano aſſertum, & vindicatum. X. De quibuſdam Theologicis exercitationibus in Gymnaſio Romano.

I. AEdes publicis ſcholis habendis in regione Sancti Euſtachii, jubente Eugenio IV. Pontifice rei litterariæ ſtudioſiſſimo, Senatus Romanus extruxerat. Has Alexander VI. Pius III. Julius II. Leo X. Paulus III. Gregorius XIII. Sixtus V. adjectis ædificiis curaverant ampliari; unde & quorumdam illorum Pontificum Gentilitia inſignia adhuc in Gymnaſio ſuperſunt. Sub Sixto V. molem ædificii auctam ab ea parte, quæ reſpicit Eccleſiam Gentis Hiſpanæ Divo Jacobo Apoſtolo ſacram, & abſolutam externam faciem Gymnaſii, apertum principale oſtium, extructam interiorem aream, ac porticibus adornatam, erectamque turrim cum tintinnabulo ad convocandos Auditores, narrat Franciſcus Macedo in ſua Archigymnaſii Sapientiæ deſcriptione. Deinde uſque ad Clementem VIII. opus lente proceſſit, cum fabricari cœpit ad latera ædificii, & aliquantum operis

Digitized by Google

adiici. Nec ceſſatum eſt ſub Paulo V. de quo teſtatur Ciacconius: *Lyceum Romanum, Sapientiam vulgus appellat, magnis acceſſionibus ædificiorum factis amplificavit: utque ultima ei manus imponeretur nonnulla Sedis Apoſtolicæ vectigalia loco pignoris ſubſtructioni perficiendæ obligavit*. Rurſus ſub Urbano VIII. data eſt opera perficiendo Gymnaſii ædificio, atque nova Ædes ſacra conſtructa, cui in juſtam altitudinem jam eductæ ſub Innocentio X. faſtigium, ſeu fornicem impoſuere, erecta ſuper tectum turri cochleario opere ſpiris intortis ſinuata, quæ deſinit in coronam. Hinc de Urbano ſcribit Ciacconius: *Gymnaſium Romanum, quod Sapientiam vocant ornatius, & majus conſtituit, in quo hæc inſcriptio*:

VRBANO VIII. PONT. MAX.

OB SAPIENTIÆ GLORIAM ET PATROCINIVM.

Adhuc illa Gymnaſii facies, quæ forum S. Euſtachii ſpectat, perficienda erat. Tandem, ſedente Alexandro VII. anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto ad Pontificatum evecto, totum Gymnaſii ædificium abſolutum eſt, auctumque inſigni Bibliotheca, & Horto Medico in monte Janiculo medicis exercitationibus aptiſſimo. Quapropter in externa Eccleſiæ Gymnaſii fronte inſcriptum legitur:

ALEXANDRO VII. P. M.

OB ÆDEM SAPIENTIÆ

TOTO AMBITV PERFECTAM ET BIBLIOTHECA

HORTOQVE MEDICO INSTRVCTAM

SACRI CONSISTORII ADVOCATI

POS. M. DC. LX.

Idque in hujus Pontificis vita minime prætermiſit Panvinius in additionibus ad Ciacconium: *Archigymnaſium Romanum a Leone X. inſtitutum toto ambitu perfecit, in eoque egregii operis Ædem in honorem S. Ivonis ab Innocentio X. invocatam abſolvit, & Bibliothecam omnis generis libris luculenter inſtructam ingenti aula, ac the-*

thecis magnifice inſtructis , publicæ commoditati aperuit .

II. Bibliotheca hæc , qua Alexander VII. donavit Romanum Gymnaſium , juris fuerat Ducum Urbini , uti & altera pretioſiſſimis manuſcriptis referta , quam in Vaticanam Bibliothecam intulit . De qua re idem Ciacconius ſcribit : *Bibliothecæ Vaticanæ adjunxit celebrem illam Urbinatum Ducum magna omnis generis manuſcriptorum copia refertiſſimam , cujus jacturam Urbinatibus large rependit . Aliam vero impreſſorum librorum Bibliothecam eorumdem Ducum , quæ Urbaniæ in ſitu , atque inter blattas jacebat , penſato pariter civibus damno , Archigymnaſio Romano donavit .* Quamobrem in monumentum tanti beneficii , juſſit Carolus Emmanuel Vizzanius Bononienſis , Advocatus Conſiſtorialis , Rectorque Gymnaſii , marmoreum Alexandri Pontificis Simulachrum in ipſa Bibliothecæ fronte collocari , hac addita inſcriptione :

dello scultore Domenico Guidi

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.
QVOD POST VRBEM A PESTILENTIA VINDICATAM
ET AD SVMMAM ELEGANTIAM NITOREMQVE
MVLTIPLICI OPERE PERDVCTAM
POST EMENDATOS POPVLI MORES
ET CLERI DISCIPLINAM DIVINVMQVE CVLTVM
SANCTIVS ORDINATVM
ALIAQVE COMPLVRA LIBERALITER POSITA
ET SALVBRITER INSTITVTA
NE QVID VEL AD CIVIVM COMMODITATEM
VEL AD AMPLITVDINEM VRBIS DEESSET
LIBERALIBVS DISCIPLINIS ET BONIS ARTIBVS
PVBLICE ALENDIS EXCOLENDISQVE
GYMNASII ÆDIFICATIONEM ABSOLVERIT
BIBLIOTHECAM INSTITVERIT INSTRVXERIT DICARIT
SAC. CONSIST. AVLÆ ADVOCATI POSS.
ANNO SAL. M. DC. LXI.

Tum

Digitized by Google

Tum idem Gymnaſii Rector in ipſa Bibliotheca addidit hanc aliam inſcriptionem:

Libros omnigenæ eruditionis a Franciſco Maria II.
Urbini Duce, ſummo ſtudio conquiſitos
ALEXANDER VII. PONT. MAX.
Ut ſplendidiori illorum cultui, & Reipublicæ litterariæ bono
Conſuleret, cum hiſque conſociatos, & permixtos
In Romanæ Sapientiæ Archigymnaſio
A ſe condita inſtructaque Bibliotheca
Publica luce donavit.

Ad conſervandam vero, & adminiſtrandam Bibliothecam ſancitæ ſunt a Pontifice leges nonullæ Conſtitutione *In ſuprema Paſtoralis Officii*, edita anno MDCLXVII. In ea præfatur Pontifex, ſe Bibliothecam hanc curæ Advocatorum Conſiſtorialium, & publico uſui commiſiſſe: *Dudum ſiquidem*, ait, *inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolicæ ſervitutis curas peculiari ſollicitudine ad Urbis Sapientiam nuncupatam animum intendentes, ejuſque ædificium, & Sacellum olim magnifice a Pontificibus prædeceſſoribus noſtris inchoata, imperfecta remanere proſpicientes, magno ſumptu perficimus, & abſolvimus, & tamen non minus publicæ utilitati, ſtudiorum commoditati, quam Urbis, & ipſius Sapientiæ ſplendori ſtudentes in ea inſignem Bibliothecam a nomine noſtro Alexandrinam nuncupatam ſumptuoſe, & ſplendide a fundamentis conſtruximus, eamque armariis, & magna librorum undique conqueſtorum copia inſtruximus, & publico uſui, nedum ſubditorum noſtrorum, ſed omnium quarumcumque nationum ad hanc noſtram Almam Urbem confluentium ſub cura, regimine, & adminiſtratione Collegii Advocatorum noſtri Conſiſtorii inſerviat, & inde quibuſcumque litterarum ſtudio vacare cupientibus, earumdem capeſſendarum occaſio, & commoditas miniſtretur*. Tum ſtatuit, ut ex cœtu ſuo Conſiſtoriales Advocati unum ſeligant, qui Bibliothecæ præſit, atque

Digitized by Google

atque Bibliothecarius dicatur: ut etiam eorumdem Advocatorum Conſiſtorialium ſuffragiis Presbyter aliquis conſtituatur, qui librorum curam gerat; in ipſa Bibliotheca adſit; aureos nummos decem, loco ſtipendii ſingulis menſibus accipiat; Sacrum faciat in Æde Gymnaſii, diebus, in quibus patent Scholæ; & primus Cuſtos nuncupetur. Huic adjunctum voluit Presbyterum alium, nomine Subcuſtodis, de Advocatorum Conſiſtorialium ſuffragio, deque primi Cuſtodis conſenſu deligendum, ita tamen, ut Advocatis Conſiſtorialibus liberum ſit, hos a Bibliothecæ cura amovere, ſi ita expediret. Et primo Cuſtodi data poteſtas conſtituendi inferiorem miniſtrum ad vilia Bibliothecæ miniſteria obeunda. Conſtitutionis hæc ſunt verba: *Volumus ſolvi menſtrua ſcuta decem uni Sacerdoti, qui cuſtodia ejuſdem noſtræ Bibliothecæ aſſiſtat, & Primus Cuſtos nuncupetur, & alia menſtrua ſcuta ſeptem uni Subcuſtodi, qui pariter ſit Sacerdos una cum manſionibus in ædibus dictæ Sapientiæ a prædicto Collegio Advocatorum, adſignandis, in quibus ſupradictus Cuſtos, & Subcuſtos aſſiduo reſidere, & habitare, & ut nequeant eas ulli alteri locare neque ullo modo etiam gratis cuipiam concedere, & alternatim diebus, in quibus publicæ lectiones in Sapientia habentur, Sacrum Miſſæ Sacrificium celebrare, & Sacriſtiæ, & ejuſque bonorum, & ſacrarum ſuppellectilium curam, & cuſtodiam diligenter habere tenentur, eorumque deputatio, & amotio ſit ad nutum, & libitum dicti Collegii Advocatorum noſtri Conſiſtorii in futurum*. His tamen muneribus explendis, prima illa vice, Pontifex præfecit Marcum Antonium Burattum Advocatum Conſiſtorialem Bibliothecarium, Carolum Magrium Presbyterum Cuſtodem primum, & Fauſtum Maironum Presbyterum Maronitam Cuſtodem alterum: juſſitque, ut deſcriptis libris omnibus, ſinguliſque, qui in Bibliotheca aſſervantur, ſe ſe ad illorum curam Primus Cuſtos, cum ſuarum

rerum

rerum periculo, ſolemniter obliget. Omnem vero administrandæ, augendæ, conſervandæ Bibliothecæ poteſtatem uni Advocatorum Conſiſtorialium Collegio commiſit, his verbis: *Curam vero, regimen, gubernium, adminiſtrationem, & ſollicitudinem pro implemento, executione, manutentione omnium ſupradictarum noſtrarum ordinationum, & ipſius Bibliothecæ, excepta hac prima vice, deinceps perpetuis futuris temporibus imponimus, injungimus, & committimus eidem Collegio Advocatorum noſtri Conſiſtorii, quod teneantur eligere unum ex iiſdem Advocatis in Præfectum ejuſdem Bibliothecæ, Bibliothecarium nuncupandum, duraturum ad triennium, vel alias arbitrio Collegii, qui præſit, & continua, ac ſedula cura invigilet, ut quilibet ex ſupradictis miniſtris munere ſuo legitime & fideliter fungatur, tam circa Bibliothecam, quam circa Eccleſiam, ejuſque Sacriſtiam, & ſuppellectilem, curetque omnia a prædictis Cuſtode, Subcuſtode, & miniſtris, qui ipſi obedire teneantur perfecte, & diligenter impleri.* Neque prætermiſit Pontifex annuum cenſum conſervandæ, & augendæ Bibliothecæ neceſſarium. Nam pecuniam ex locatione ædium, quæ ad Gymnaſium ſpectant, deſumptam, emendis libris, aliiſque Bibliothecæ, aut Gymnaſii uſibus, de ſententia Collegii Advocatorum Aulæ Conſiſtorialis juſſit applicandam. Quoniam vero publico commodo, & rei litterariæ incremento hanc Bibliothecam extruxerat, edixit, ut diebus ſingulis, quibus non eſſet feriandum, pateret omnibus, data tamen facultate Advocatis Conſiſtorialibus, quorum arbitrio totum hoc commendavit negotium, ordinandi, quanto temporis ſpatio, mane, veſpereque, fas eſſet univerſis, Bibliothecam adire: *Ut autem Bibliotheca iſta jugiter inſerviat uſui publico, volumus, mandamus, & præcipimus, quod retineatur aperta de mane per horas quatuor continuas ſingulis diebus non feſtivis de præcepto, exce-*

Digitized by Google

excepta feria quinta, in qua vacare poſſit. Diebus autem, in quibus publicæ lectiones in eodem Gymnaſio habentur, retineatur aperta, tum de mane, quam de veſpere, & juxta ordinationem deſuper faciendam a Collegio prædictorum Advocatorum noſtri Conſiſtorii. His ſapientiſſimis Alexandri VII. legibus ad noſtra uſque tempora, Bibliotheca adminiſtratur, cui præeſt Advocatus aliquis Conſiſtorialis. Patet vero quatuor integris horis matutinis, ac tribus horis veſpertinis, ſingulis diebus, quibus in Archigymnaſio docetur, aliis vero diebus non feſtivis de præcepto, patet dumtaxat horis matutinis; die vero Jovis minime patet. Ab eodem Pontifice Alexandro VII. inflicta eſt Excommunicatio latæ ſententiæ, cujus ſolus Romanus Pontifex veniam facit, iis, qui Bibliothecæ hujus Alexandrinæ libros, vel exaratos manu, vel typis editos abſtulerint. Hæc tamen prohibitio ipſum Bibliothecarium minime complectitur, utpote cui in citata Conſtitutione facultas data eſt, de ſententia Collegii Advocatorum, commutandi inferioris notæ libros cum libris majoris momenti, *valeatque idem Præfectus, quotieſcumque opus fuerit, libros Bibliothecæ antiquioris, & deterioris impreſſionis, vel qualitatis, prævio tamen decreto Collegii legitime congregati in ſcriptis redigendo cum aliis libris permutare, pretiumque neceſſarium ex redditibus ſupradictis pro dote ejuſdem Bibliothecæ aſſignatis ſupplere.* Tandem ab Innocentio XI. anno MDCLXXXIII. Conſtitutione, quæ incipit, *Cum felicis recordationis*, quæque extat in novo Bullario declaratum eſt, fas eſſe in Bibliotheca hac Alexandrina damnatos quoſcumque libros aſſervari.

III. Dictum jam alibi fuit, ut Oratorium intra Gymnaſii ambitum, Sanctis Leoni Papæ, & Fortunato Martyri ſacrum, Leo X. excitaverit; & ad illius miniſterium conſtituerit Præpoſitum, duoſque Presbyteros, quos Rectoris conſenſu, Reformatores nominarent. Huic ſacræ

Digitized by Google

Ædi nova deinde facies acceſſit, præſertim ſub Urbano VIII. & Innocentio X. inſigni, nobilique ſtructura, opera Borromini Architecturæ peritiſſimi. Et Reformatores quidem Gymnaſii, auctore Innocentio X. deſiere. Annui vero proventus olim a Leone X. Præpoſito, ac duobus Preſbyteris addicti, temporum calamitate, aliquid detrimenti acceperant. Adhæc Gymnaſii Bibliothecæ recenter extructæ addicendi erant Miniſtri ſpectatæ virtutis, qui illius gererent curam. Quapropter Alexandro Pontifici utile, ac opportunum viſum eſt conſilium, ſi abrogata Leonis X. Conſtitutione, *Quam omnibus*, ſublatis Præpoſito, Capellaniſque Academiæ, iidem duo Preſbyteri, & Bibliothecæ, & Sacræ Ædi deſervirent. Itaque, enarratis iis, quæ Leo X. in ſua Conſtitutione ordinaverat de Præpoſito Academiæ, ejuſque Capellanis, ſtatuit, juſſitque a Presbyteris illis duobus, qui libris cuſtodiendis incumberent, cuſtodiendam quoque Sacræ Ædis ſuppellectilem, & Sacrum in ea faciendum, iis diebus, in quibus docent e Cathedra Profeſſores: *Cum hodie*, ait, *mutato rerum ſtatu dicta Sapientia Urbis, ejuſque Gymnaſium, & Sacellum (ut diximus) ad meliorem utilitatem, ſplendidiorem uſum per nos redacta fuerint, proindeque neceſſarium ſit eidem Bibliothecæ de opportunis Cuſtodibus, & Sacello prædicto de Capellanis, qui ſingulis diebus, in quibus publicæ lectiones habentur celebrent, providere, dotemque congruam eiſdem conſtituere, & aſſignare. Motu proprio, non autem ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dictam Conſtitutionem Leonis X. & quamcumque aliam, de qua etiam ſpecialis, & individua fieri debeat mentio, earum tenores pro expreſſis habentes, ac ſi de verbo ad verbum hic inſertæ forent, Præpoſituram, & Capellanias prædictas in eadem Conſtitutione Leonis X. aut quocumque alio*

Digitized by Google

alio modo erectas, & inſtitutas cum dote, & dotibus ſuperius expreſſis, ſeu in alia veriori quantitate, aliis modis quomodolibet conſtitutis, & aſſignatis, nunc in vim Apoſtolicæ, ſeu alterias proviſionis poſſeſſas, videlicet Præpoſituram a Dilecto filio Bartholomæo Oregio Baſilicæ S. Petri de Urbe Canonico, atque Capellanias, unam a Venerabili Fratre noſtro Marco Antonio de Mareſcottis Epiſcopo Cluſino, & alteram a dilecto etiam Filio Sebaſtiano Baldino, earum Titulos collativos penitus, & omnino ſupprimimus, abolemus, ac etiam penitus extinguimus. Tum annuos illorum redditus jubet Cuſtodi, & Subcuſtodi Bibliothecæ perſolvendos, qui ſimul debeant in Æde Sacra, alternis vicibus, cum Profeſſores pulpita aſcendunt, Sacris operari. Neque tamen derogatum voluit annuis exequiis Leonis X. in Eccleſia Gymnaſii celebrandis: *Anniverſarium autem*, ait, *pro anima felicis recordationis Leonis X. quotannis celebrari ſolitum volumus, ut modo, & forma ſolitis continuantur*. Quapropter, adhuc ſingulis annis, ſtata die, conveniunt in Eccleſia Advocati Conſiſtoriales, Profeſſoreſque, & hinc, inde, ſcamnis tapeto tectis inſident, dum Sacrum ſolemni ritu a Primo Bibliothecæ Cuſtode celebratur, pro expianda anima Leonis X. Tum Oratio de hujus Pontificis laudibus a Profeſſorum aliquo de ſuggeſtu habetur. Tandem conſuetæ ad Tumulum preces, benedictioneſque recitantur, Advocatis, ac Profeſſoribus accenſos cereos manu geſtantibus. Altera die, defunctis Advocatis Conſiſtorialibus, eodem ritu, nulla tamen habita Oratione, juſta ſolvuntur. Denique ſequenti die, iiſdem ritibus, Profeſſorum, qui vivis exceſſerunt, exequiæ aguntur.

IV. Ex ejuſdem Alexandri Papæ VII. munificentia Hortum Medicum in monte Janiculo Botanicis exercitationibus peragendis accepit Gymnaſium Romanum. Atque inſtitutum eſt, ut qui e Medicinæ Profeſſoribus tractationi incumberet ſimplicium Medicamentorum, is

Digitized by Google

etiam, ſtatis diebus, in Gymnaſio, herbarum nomina, & characteres indicaret. Quo munere functus eſt ſub Alexandro VII. ac diu, Joannes Franciſcus Sinibaldus Romanus, cui in eadem provincia ſucceſſit ſub Clemente X. Jacobus Sinibaldus itidem Romanus. Hunc ſub Alexandro VIII. excepit Joannes Baptiſta Triumphettus Bononienſis, rei herbariæ peritiſſimus, cujus opera, & diligentia, Hortus hic Medicus plurimum accepit incrementi. Nam anno MDCLXXXVIII. ei addidit ſtirpes ſupra centum e variis exteris regionibus advectas, nobiliſſimas, magnique pretii, quarum catalogum typis edidit, atque Bernardino Scotto Advocato Conſiſtoriali, Rectorique Gymnaſii dicavit. In hujuſce catalogi præfatione teſtatur Triumphettus, cura ejuſdem Rectoris, excitatum in Gymnaſio Theatrum Anatomicum, atque Hortum Medicum variis operibus auctum, & expolitum, ſeque editurum generalem plantarum omnium catalogum: *In quo*, ait, *jam circiter tres mille ſtirpium varietates enumerandæ veniunt*, *cum totidem in hujuſmodi Horto*, *ut cuivis libere conſpicere licet*, *jam feliciter vireſcentes eumdem cunctis Europæ Botanicis Hortis*, *aut facile principem* (*abſit invidia dicto*) *aut ſaltem nulli ſecundum abunde reddant*, *ſuiſque exornent coronis*. Is etiam primus omnium quamplurimas ſtirpes nobiliſſimi generis obſervavit, deſcripſitque, atque e variis diſſitis locis evulſas, tranſtulit in Hortum Romanum, quas neque Bauhinus, nec Breynius, nec Mentzelius, aliique Phytologi evulgaverant. Harum novarum ſtirpium hiſtoriam iconibus illuſtratam publici juris fecit, ſimul cum novis quibuſdam ſuis obſervationibus de Ortu, & Vegetatione Plantarum, teſtatus in epiſtola ad Antonium Felicem Marſilium, cui librum dicavit, ſe ægre tuliſſe, quod tam inſigne Viridarium raris profecto vegetalibus dives deliteſceret. Tum ſub Clemente XI. Pontifice, anno MDCCIII. extructa eſt in ipſo Horto Medico aula

aula pentagona inſignis ſtructuræ, ubi Botanicæ exercitationes haberentur, quæ olim in Gymnaſio habebantur: dataque opera, ut ſtirpes Indicæ, & Africanæ, quæ aere benigno gaudent, ſub tecto cuſtodirentur, rigida tempeſtate. Quam ob rem laudat Clementem Triumphettus in Vindiciis ſuarum Obſervationum: *Tamdem licuit*, inquit, *quod nuſquam antea*, *Botanicam totius jam Orbis delicium ſuper hiſce aureis Janiculi glebis ſolertiori mangonio reddere exultantem*. *Exultat ſane ipſa ob novam Magnifici Theatri ſtructuram in Phytologicarum exercitationum aſylum ab æſtuoſis*, *aliiſve tempeſtatum injuriis*, *necnon aptiſſima Hybernacula ad Africanarum*, *atque Indicarum tot ſtirpium neceſſariam tutelam contra hyemis rigores*, *omnia Tuæ Providentiæ nutibus*, *Tua liberali ope conſtructa*. Deinde Petrus Aſſaltus, eidem muneri incumbens, præclariſſime de re herbaria meruit. Nunc Romanum hoc Viridarium in florentiſſimo eſt ſtatu, atque cultu, uti Capite ſequenti dicendum erit.

V. His omnibus ab Alexandro VII. ad Romanæ Academiæ utilitatem geſtis acceſſit cura reſtituendi, vindicandique ſtipendia Profeſſorum. Primus omnium Pontificum Eugenius IV. alendis Profeſſoribus certam pecuniæ ſummam ex vectigali vini, quod ab exteris regionibus in Urbem infertur, conſtituerat. Hæc ſumma jam ſex mille aureos conficiebat. Sed injuria temporum aliquid ex ea perierat Profeſſoribus. Quapropter non ſemel Rectores, ut ea Scholis publicis reſtitueretur in integrum, a Pontificibus exorarunt, ac obtinuerunt. Nam a Paulo Papa V. primum, edito Chirographo, die 7. Aprilis, anno MDCX. tum a Gregorio XV. edito Chirographo, die 28. Auguſti, anno MDCXXII. datum eſt in mandatis Magiſtratui Populi Romani, ſeu Conſervatoribus Urbis, ut aureorum ſex millia ſalariis Profeſſorum perſolvendis impenderentur. Horum Pontificum decreta innovavit, confir-

firmavitque Alexander VII. Chirographo edito, die 15. Maii, anno MDLV. petente Carolo Emmanuele Vizzanio Rectore. Unde in libris Camerariatus Collegii Advocatorum Conſiſtorialium, fol. 588. adnotatum legitur ab eodem Rectore: *Eadem die Sanctiſſimum Dominum noſtrum, poſt illi breviter enarratum Romanæ hujus Univerſitatis ſtatum ſupplex nomine Collegii exoravi, ut Lectores ad integram ſcutorum ſex millium eis a Paulo V. & illius ſucceſſore pro ſalariis aſſignatorum ſummam reintegrare dignaretur, ex eo quod in Tabella Populi Romani exitus, & introitus Gabellæ Studii reperirentur deſcripta ſcuta quinque millia, & octingenta tantum. Sanctitas ſua benigne annuit, ideoque infraſcriptum manu ſua firmavit Chirographum, cujus Originale tradidi Domino meo Cathario Decano, ut eum in Archivo Collegii ſervaret.* In Elencho Profeſſorum ſub Gregorio XIII. anno MDLXXVI. horum ſtipendia ſex mille aureos efficiunt. At in Elencho anni MDLXXXII. ſtipendia excedunt hanc ſummam. Et ſub Clemente VIII. anno MDXCII. aurei ſupra ſeptem mille Profeſſoribus ſolvebantur. Ita quoque annis MDXCIII. & MDXCIV. & MDXCV. ubi pinguia leguntur Profeſſorum ſalaria. Porro hujus pecuniæ adminiſtrationem Eugenius Papa IV. Rectori, & Reformatoribus commiſerat, uti patet ex adductis illius Conſtitutionibus: *Statuimus, & ordinamus, ut in Gabellam vini forenſis addantur etiam pro libra tres ſolidi cum dimidio, quæ additio exigi, & conſervari debeat, & pecuniæ exinde exactæ exponi juxta ordinationem Venerabilis Fratris noſtri Joannis Epiſcopi Matiſconenſis Rectoris, ac Dilectorum Filiorum Nobilis Viri Pauli de Valle, Artium, & Medicinæ Doctoris, Joannis de Aſtallis, Laurentii de Limis, & Laurentii Stati Civium Romanorum Reformatorum dicti Studii, ac aliorum Rectoris, & Reformatorum pro tempore exiſtentium pro ſalario Doctorum per eos ad legendum in Studio conductorum, & om-*

nium

nium aliarum expenſarum in Studio hujuſmodi occurrentium. Pariter Leo X. decreverat ſalaria Profeſſorum a Rectore, & Reformatoribus, *juxta ipſorum Doctorum, & Magiſtrorum qualitates de Romani Pontificis licentia eſſe conſtituenda*. Itaque nulla fuerunt certa quibuſdam Cathedris ſtipendia, ſed auctoritate Pontificis, ſuffragioque Rectoris conſtituebantur majora, vel minora, juxta varias perſonarum, ac rerum circumſtantias. Ea quidem aliquando exigua fuere, uti loquens de Theodoro Gaza indicat Raphael Volaterranus Anthropologiæ Lib. 21. ubi ait, huic non fuiſſe fortunam parem virtuti, & ob inopiam deſeruiſſe Urbem, uti & aliis contigerat: *Viros quoque multos ego ſæpe memini, & litteris & moribus claros magna huc expectatione veniſſe, paulo poſt fame coactos diſcedere*. Rurſumque loquens de Andronico Theſſalonicenſi ait: *Romæ apud Nicenum vivebat, profitebaturque non pari quidem virtuti emolumento. Quapropter ſicut plerique alii ejus generis coactus eſt egeſtate Urbem deſerere, Florentiamque ſe conferre*. Scripſit Volaterranus ſub Julio II. Pontifice. Nihilo tamen minus ſæpe illuſtrium Profeſſorum opera magnis ſtipendiis conducta eſt. Nam Romulus Amaſæus ſub Paulo III. profitebatur humanas litteras ſtipendio mille & quadringentorum florenorum. Franciſcus Patricius Philoſophus præclariſſimus, & Andreas Cæſalpinus Medicus magni nominis ſub Clemente VIII. accepere ſtipendii loco aureos ſexcentos. Sunt qui ſcribunt Jacobo Mazonio ſolutum ſtipendium aureorum mille. Vincentio Alſario Medico peritiſſimo ſub Paulo V. cum primum profiteri cœpit ſoluti ſunt aurei tercenti. Auguſtino Maſcardo Profeſſori Rhetoricæ Urbanus VIII. ſolvi juſſit aureos quingentos. Julio Angelo Bargeo, ac Jacobo Lampugnano Profeſſoribus Medicinæ, cum primum aggreſſi ſunt munus litterarium, dati ſunt aurei quingenti. Aldus Manutius anno MDLXXXVIII. ſtipendio ducentorum aureorum profiteri cœ-

cœpit. Attamen in Gymnaſio mos fuit, ut primo quidem Profeſſores licet doctiſſimi parvis ſtipendiis operam ſuam navarent, quæ deinde, data occaſione, augebantur, tum ob muneris litterarii antiquitatem, tum ob eorum merita. Ita Marcus Antonius Muretus docuit ſub Pio IV. Philoſophiam Moralem ſtipendio centum aureorum, cui Rhetoricam tradenti ſub Gregorio XIII. ſolvebantur aurei quingenti, tandemque anno MDLXXXII. ſeptingenti. Cinus Campanus anno MDLXII. ſedebat in Juris Cathedra ſalario ducentorum aureorum, quod anno MDXCV. pervenerat ad aureos ſexcentos. Et Julius Benignus, qui Inſtitutiones Juris tradendas aggreſſus eſt anno MDLXXVI. octoginta primum aureos, & tandem anno MDCXIX. aureos fere octingentos percipiebat. Nec ſemel clariſſimi Profeſſores parvis ſtipendiis docuere, uti Petrus Maria Paſſerinus Procurator generalis Ordinis Prædicatorum, Laurentius Brancatus de Laurea Ordinis Minorum Conventualium, Franciſcus Macedo Ordinis Minorum de Obſervantia, aliique. Ex his patet nullis olim Cathedris certa, & fixa fuiſſe ſtipendia, nec certas in hoc negotio fuiſſe leges; ſed utplurimum in conſtituendis, augendiſque ſtipendiis, habitam fuiſſe rationem, quam diu, quam bene in Gymnaſio quis meruiſſet. Quapropter, ubi, pro re nata, augendum erat ſtipendium, ut ſi aliquis e veteribus Profeſſoribus ſupremum diem obiiſſet, vel ad Sacerdotia evectus eſſet, Profeſſores datis Pontifici ſupplicibus libellis, exorabant, ut ſuis rebus conſuleretur. Atque Pontifices conſueverunt Rectoris ſuffragium expetere, vel hujus arbitrio hoc negotium committere. Tandem obtinuit, ut nonnullæ Cathedræ propria, & fixa haberent ſtipendia, de qua re dicendum erit Capite ſequenti.

VI. Acceſſerunt hoc ſæculo ad majorem Gymnaſii gloriam novæ quædam Diſciplinarum Cathedræ. Diximus, in Athenæo Romano præcipuum locum habuiſſe Rhetoricam; & Imperatores illuc ſe contuliſſe ad Rhetores

tores audiendos. Diximus etiam, in Auditorio Capitolii ſub Imperatoribus Chriſtianis tres Oratores Latinam eloquentiam, quinque Sophiſtas Græcam facundiam edocuiſſe. Dictum etiam fuit, regnantibus in Italia Gothis, Profeſſores Eloquentiæ in Urbe minime defuiſſe. Nec defuere, reſtituto Gymnaſio a Summis Pontificibus, uti colligitur ex Conſtitutione Bonifacii VIII. & Diplomate Innocentii VII. atque ex hujus Artis Profeſſoribus, qui ſub Eugenio IV. & Nicolao V. & deinceps floruere. Jam vero poſt Leonis X. tempora, duo incumbebant huic rei, quorum unus mane, alter veſpere e Cathedra docebat. Veriſimile eſt illorum unum tradidiſſe præcepta Eloquentiæ, alterum humaniores litteras tradidiſſe. Ita res ſe habuit uſque ad Pauli V. tempora, quum ab uno, eodemque Profeſſore Rhetorica, & Humanæ litteræ tractari cœperunt. Quapropter Urbanus VIII. in gratiam Auguſtini Maſcardi viri doctiſſimi, qui ipſi erat a Cubiculo, antiquam Rhetoricæ ſtationem reſtituit, datis hiſce litteris, anno MDCXXVIII. die 3. Aprilis: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, unam in præfato Gymnaſio Eloquentiæ ſive Rhetoricæ Cathedram pro uno ipſius Eloquentiæ ſive Rhetoricæ Lectore & Profeſſore cum omnibus, & ſingulis privilegiis, & indultis, etiam ſpeciali nota, & expreſſione dignis, quibus aliarum ſcientiarum, ſive diſciplinarum in dicto Gymnaſio Cathedratici Profeſſores de jure, uſu, ſtatuto, conſuetudine, aut ex conceſſione Apoſtolica, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſant, & poterunt quomodolibet in futurum. Necnon proviſione annua ſcutorum quingentorum monetæ ex ea octogintorum ſcutorum ſimilium, quam Venerabilis Frater Julius Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, uti Juris Civilis in eodem Gymnaſio olim Profeſſor, & Jubilatus ex conceſſione Apoſtolica percipit, poſtquam tamen per obitum ipſius Julii Archiepiſcopi, ſeu alias ex ejus per-*

perſona quomodolibet ceſſaverit, deſumenda, & perſolvenda, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium eligimus, & inſtituimus. Primum autem Eloquentiæ Profeſſorem juſſit eſſe Auguſtinum Maſcardum Sarzanenſem, qui ipſi Pontifici erat a cubiculo, virum ſumma eruditione præditum, uti quidem varii ejus libri teſtantur. Et ab Alexandro VII. Pontifice additæ ſunt Gymnaſio novæ quædam Cathedræ utilium, ac nobilium Diſciplinarum. Ut enim Franciſcus Macedo in ſua Archigymnaſii deſcriptione teſtatum facit: *Sex Cathedras inſtituit, quæ deſiderabantur, auctore dignas Alexandro. Primam Dogmaticam de Controverſiis Catholicæ Fidei. Secundam Decreti. Tertiam Pandectarum. Quartam Inſtitutionum Juris Canonici. Quintam materiæ Criminalis. Sextam Hiſtoriæ Eccleſiæ. Quarum argumentum, qui conſideret, neceſſarias imprimis Romanæ juventuti, ac utiles toti Chriſtianæ Reipublicæ eſſe, atque adeo, cum domi ad formandos Catholicorum juvenum animos, tum foris ad refutandos Hæreticorum errores, magno deinceps uſui fore comperiet*. Cum plurimi ſemper fuerint in Gymnaſio Romano utriuſque Juris Profeſſores, hinc a vero haud plurimum diſtat, datam aliquando ab illorum nonnullis fuiſſe operam, vel Decreto, vel Pandectis, vel Inſtitutionibus tractandis. Et quidem in Albo Profeſſorum ſub Clemente VIII. anno MCXCIII. deſcriptus legitur in Criminalibus Dominicus Zappus Tiburtinus, ſalario aureorum viginti quinque: & ſub Paulo V. anno MDCV. Ivo Gattulus Romanus. Quod igitur hiſce ſtudiis incerta eſſet in Gymnaſio ſedes, certam, perpetuamque fecit Alexander. Primique occurrunt anno MDCLVIII. harum rerum Profeſſores, in Controverſiis Dogmaticis, Joannes Baptiſta de Niſiis Procurator Generalis Ordinis Minorum Conventualium, qui antea Moralem tractabat Theologiam; in Decreto Jacobus Cincius Romanus; in Pandectis Carolus Selvagus; in Criminalibus Titus Sabellicus;

eus; in Inſtitutionibus Juris Canonici Conceptius Pica Aquilanus; & in Inſtitutionibus Juris Civilis Alexander Brugiottus Florentinus, qui omnes jam antea in Gymnaſio meruerant. Hiſtoriam Eccleſiæ primus tractare cœpit Franciſcus Macedo Ulyſſiponenſis, Ordinis Minorum, pluribus editis libris clariſſimus. Quot, quantiſque laudibus ſit proſequendum hoc Alexandri VII. conſilium, inſtitutumque, facile intelliget quiſque. Præſertim vero, quod Dogmatum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tractationem in Gymnaſium induxerit. Perſpectum enim eſt cuilibet in ſacris doctrinis vel leviter verſato, neque mediocrem Theologum eſſe poſſe, qui nullam, vel levem notitiam Dogmatum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ habuerit. Adhæc in Gymnaſio Urbis, in qua Religio, Romanus Pontifex, Fides, & Diſciplina ſedem habent præcipuam, primumque locum, & ex qua ad omnes Eccleſias defluunt ſacræ doctrinæ rivuli, neceſſe erat, illas præſertim tradi, ac efloreſcere Diſciplinas, quæ conſervandæ Religioni, vindicandæ Fidei, refellendis Hæreticis inſerviunt. Tales autem imprimis ſunt Theologia Dogmatica, atque Hiſtoria Eccleſiæ.

VII. Jam vero, abſolutis ædificio, Bibliotheca, Ædeque ſacra Gymnaſii, auctis etiam Diſciplinarum Cathedris, ſtatuit Alexander VII. Pontifex magnis ſolemniis Gymnaſium dedicare. Id etiam apud Ethnicos fuit uſitatum, ut ædificia recenter extructa, tum publica, tum privata, quum primum iis uti cæperint, multiplici ritu, & pompa conſecraverint. De Tito ſcribit Svetonius: *Amphitheatro dedicato .... munus edidit apparatiſſimum, largiſſimumque*. Ita Nero variis conviviis, publicis ludis, ſparſiſque in populum muneribus, eodem Svetonio teſte, domum ſuam conſecravit. Ab eodem Nerone Gymnaſium exercendis corporibus conſtructum, dedicatumque, oleo Senatoribus, & Equitibus diſtributo, narrat Xiphilinus. Chriſtiani ſanctiori conſilio mo-

rem hunc in Eccleſiis, Altaribus, Cœmeteriis, Ædibuſque dedicandis ſervarunt. Itaque ex antiquiſſimo hoc more, ſtatuit Alexander Pontifex, poſtridie Idus Novembris, quæ Dominica dies fuit, anno MDCLX. ſolemnem Gymnaſii Dedicationem agere; quam ante aliquot dies abſolviſſet, niſi Tiberis ſuis limitibus exceſſiſſet, Urbem aquis immerſiſſet, & ea cura totum Pontificem occupaſſet. Hujus cæremoniæ ordinem totum deſcripſit pluribus Franciſcus Macedo, qui præſens aderat, in libello quodam cui Titulus: *Deſcriptio Archigymnaſii Sapientiæ*. A conſecratione Ædis Sacræ ductum eſt initium. Cui peragendæ Pontifex inſigni munificentia dono dedit Eccleſiæ Romani Gymnaſii Venerandum Alexandri Martyris Corpus, nuper in Cœmeterio Priſcillæ repertum, cum Monogrammate Chriſti, *Alpha*, & *Omega*, & hac inſcriptione:

ALEXANDER DEP. V. IDVS OCTOBRES.

Quod Senenſibus ſuis dono dare cogitaverat. Sacrum hoc munus ab Ambroſio Landuccio Epiſcopo Porphyrienſi, Pontificio Sacriſta delatum, traditumque conſuetis ritibus excepit Cardinalis Antonius Barberinus, pridie illius diei, atque arca pluribus obſignata ſigillis incluſum, in ara veteris Sacelli reliquit, ut poſtera die in novam Gymnaſii Eccleſiam transferret. Ubi hæc dies illuxit, Cardinalis Barberinus, Carolus Emmanuel Vizzanius Rector Gymnaſii, & Aſſeſſor S. Officii, Advocati Conſiſtoriales, Profeſſores, & magna cujuſuis Ordinis multitudo in Gymnaſium convenere. Tum Cardinale Sacris operante, miniſtrantibus Advocatis Conſiſtorialibus Buratto, & Bottino, quorum ille Diaconi, hic Subdiaconi fungebatur officio, conſueto Eccleſiæ ritu, in honorem Sancti Juonis, conſecrata eſt Eccleſia Gymnaſii, quæ ſplendidiſſime ornata erat. Peracta conſecratione, ad vetus Sacellum, ubi Sacrarum Reliquiarum arcam collocaverant, acceſſere univerſi; eamque Cardinalis ipſe,

Digitized by Google

ipſe, magno comitatu, inſignique pompa detulit ad novam S. Juonis Eccleſiam, ut in ipſo Altaris ſinu conderetur. Ibi igitur pretioſiſſimis lipſanis locus datus. Interea his abſolutis, idem Alexander Pontifex adiit Gymnaſium. Cardinalium vero plerique eo jam venerant, alii Pontificem ſequebantur; quibus parata fuere in Æde Sacra ſubſellia, ut adeſſent, Pontifice Sacrum faciente. Ergo Pontifex ſolemni ritu Sacrum fecit. Quo expleto, ad aulam magnam Gymnaſii vario ornamentorum genere ſumptuoſiſſime circumveſtitam proceſſere univerſi. Solio in ipſius aulæ fronte erecto inſedit Pontifex, & prope Solium ſteterunt Proceres quidam, Legatus Ducis Sabaudiæ, Marius Chiſius Pontitificis frater, Auguſtinus Chiſius fratris filius, Laurentius Columna Magnus Comeſtabulus, Franciſcus Phebeus Cæremoniarum Præfectus, Jacobus Ninius Præfectus Pontificii Cubiculi, Clemens Accariſius Pontificius Pincerna. Cardinalium ſedilia dextram, lævamque aulæ partem occupabant. Tum Advocati Conſiſtoriales, tanquam Gymnaſii Moderatores, religionis, officii, & gratiarum actionis cauſa ad pedum oſcula acceſſere. Deinde Profeſſores e duobus pulpitis, quæ ad dicendum parata fuerant, ex utroque aulæ latere, infra ſedilia Cardinalium, alternis diſſerere cœperunt de ea re litteraria, cui tractandæ ipſi incumbebant. In omni autem diſciplinarum genere Profeſſor unus verba fecit. Primus dixit e dextro ſuggeſtu Petrus Maria Paſſerinus Procurator generalis Ordinis Prædicatorum, Profeſſor Theologiæ. Hunc excepit e ſiniſtro ſuggeſtu Joſeph Palamolla Policaſtrenſis primus Canonum Profeſſor. Huic ſucceſſit a dextro ſuggeſtu Joſeph Carpanus Romanus primus Profeſſor Juris Civilis. Quartus ex adverſo dixit Benedictus Rita Leoniſſanus, Magiſter Theoricæ Medicinæ. Quinto loco diſſeruit Antonius Marinarius Carmelita Metaphyſicæ Lector. Succeſſere Linguarum Orientalium Profeſſores, Joannes Baptiſta Jona,

na, & Demetrius Phalereus, ille Hebraicæ, hic Græcæ linguæ. Quos ſecuti ſunt Abraham Echellenſis Syriaci ſermonis, & Ludovicus Maraccius Arabici ſermonis Magiſtri, qui Epigrammata peregrino primum idiomate, deinde Latino recitarunt. Tandem ultimus omnium Jacobus Albanus Ghibbeſius Profeſſor Rhetoricæ habuit Orationem gratiarum actionis. Horum omnium Diſſertationes edidit Franciſcus Macedo in citato Libello. Et Pontifex ſingulis dari juſſit aureos viginti. Ubi omnes dicendi finem fecere, a Secretario Collegii recitata ſunt ſingulorum Profeſſorum nomina; ſingulique, cum nominabantur, adibant Pontificem, illique pedem oſculabantur. Atque hoc ritu, peracta eſt ſolemnis Dedicatio Gymnaſii, in cujus rei memoriam, tum inſcriptio poſita eſt in ipſo Sacræ Ædis fronte, quam jam retulimus, tum nummi ex auro, vel ex argento conflati, in quorum parte averſa, quæ Pontificiæ imagini reſpondet, Archigymnaſii effigies conſpicitur, his verbis inſculptis: *Omnis Sapientia a Domino*.

VIII. Alexandro Septimo Pontifici beneficentiſſimo ſucceſſit anno MDCLXVII. Clemens Papa IX. a quo etiam data eſt opera majori conciliando Gymnaſii Romani ſplendori. Certum eſt, antiquiſſimis Legibus Civilibus publicos Profeſſores bonarum artium decreto Ordinis, ſeu Decurionum Civitatis fuiſſe probandos, ne in damnum Reipublicæ cederet res litteraria. Hinc Cod. Lib. x. Tit. LII. de Profeſs. & Med. dicitur a Gordiano Imperatore: *Grammaticos, ſeu Oratores decreto Ordinis probatos, ſi non ſe utiles Studentibus præbeant, denuo ab eodem Ordine reprobari poſſe incognitum non eſt*. Cur vero, publica auctoritate ſeligendi eſſent Profeſſores, non obſcure colligitur ex Lib. I Digeſtorum, Tit. IX. de Decretis ab Ordine faciendis, ubi ſtatutum eſt, Medicos non a Præſide Provinciæ, ſed ab Ordinis cujuſque Civitatis conſtituendos, *ut certi de probitate morum, & peritia ar-*

artis eligant ipſi , quibus ſe , liberoſque ſuos in ægritudine corporum committant . Quemadmodum enim corporum , ita nec animorum cura committi debet improbis , imperitiſque Profeſſoribus . At qui adoleſcentes inſtituunt liberalibus diſciplinis , hi in animorum cura verſantur ; quibus inſignem perniciem afferre poſſunt , ſi vel perverſe , vel leviter ſapiant . Quapropter Legibus quoque Eccleſiaſticis cautum eſt , ne erudiendis adoleſcentulis quis vacaret , cui non eſſet facultas publice docendi . Cum' enim Libro quinto Decretalium Titulo v. *De Magiſtris*, Decreto Concilii Lateranenſis , & Alexandri III. Pontificis, pro annuenda poteſtate docendi , pretium aliquod exigi nefas ſit ; hinc ſequitur , hanc ipſam docendi facultatem expetere viros doctos & conſueviſſe , & debuiſſe . Et hanc quidem idoneis viris minime denegandam eſſe voluit Concilium Lateranenſe Cap. I. loco citato , his verbis : *Pro licentia vero docendi nullus omnino pretium exigat , vel ſub obtentu alicujus conſuetudinis ab eis , qui docent aliquid quærat , nec docere quemquam , qui ſit idoneus , expetita licentia interdicat*. Pariterque Alexander III. ſcribens Vintonienſi Epiſcopo Cap. *Quanto* 3. citati Tituli, inquit: *Sedeis* (qui publice docere permittebant) *diſtricte præcipiatis , ut quicumque viri idonei , & litterati volunt regere ſtudia litterarum , eos ſine moleſtia , & exactione qualicumque Scholas regere patiantur* . Et ſi vero idoneis viris docendi facultas non eſſet deneganda , ea tamen facultas ab ipſis erat expetenda , & obtinenda : neque ſine publica auctoritate , vel Civili, vel Eccleſiaſtica, ipſis fas erat Scholas publicas moderari . Neque ab aliis , quam a Magiſtratibus , vel Civilibus , vel Eccleſiaſticis ferendum erat ſuffragium , an qui ſe aliis erudiendis offerrent , idonei , aptique eſſent huic muneri gerendo . Quicumque igitur vellent hoc munus inire , hi utplurimum ab Epiſcopo , vel a Magiſtratu debuerunt hujus muneris exercendi facul-

cultatem expetere, atque obtinere. Spectat enim quammaxime ad Eccleſiæ, & Reipublicæ adminiſtrationem, ut neque temere, nec ſine delectu, & pro arbitrio cujuſque ingenii, graviſſimum docendi munus exerceatur. In locis, ubi publicæ extructæ fuerunt Scholæ, ſive ab Epiſcopo, ſive a Principe, facultatem docendi annuebat, qui Scholis hiſce præeſſet. Nam is a Principe, ſive ab Epiſcopo conſtitutus erat ſupremus Moderator rei litterariæ; cujus proinde officio incumbebat, imminere, ac curare, ne quid ex imperitis, improbiſque Magiſtris res litteraria detrimenti caperet. Quamobrem, reſtaurato a Pontificibus Gymnaſio Romano, eædem antiquiſſimæ viguerunt leges, ne alii præter publicos Profeſſores a Principe conſtitutos in Urbe docerent. Id in antiquiſſimis Profeſſorum Elenchis cautum legitur, his verbis: *Præter hos nullis aliis profiteri liceat*. Si qui igitur extra Romanum Gymnaſium voluiſſent ludum aliquem litterarium moderari, id ipſis erat a Rectore Gymnaſii impetrandum. Et is in ſingulis Regionibus Urbis ſtatuebat Magiſtros Grammaticæ, qui prima litterarum elementa, & Latinum ſermonem edocerent pueros, uti conſtat ex omnibus Elenchis Profeſſorum. Hanc Rectoris auctoritatem ratam habuit Clemens IX. perpetuo Decreto, edito anno MDCLXVIII. nomine Cardinalis Antonii Barberini Camerarii Romanæ Eccleſiæ, & unius e Protectoribus Studii, quod extat in libris Camerariatus Collegii Advocatorum Conſiſtorialium: *De mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ vivæ vocis oraculo nobis injuncto, & ex Decreto futuris temporibus in perpetuum, & inviolabiliter obſervando, ab eodem Sanctiſſimo maturæ conſideratione promulgato ſub pœna ducentorum aureorum locis piis applicandorum, ac irrogatæ infamiæ, & perpetui ab Urbe exilii, præcipimus omnibus, & ſingulis cujuſcumque conditionis, ordinis, aut profeſſionis, ne quiſquam eorum publice docere, Scholam aperire, aut Scho-*

Scholares apud ſe, diſcendi cauſa in contubernio habere audeat, vel præſumat, niſi prius Illuſtriſſimo Domino ejuſdem Almæ Urbis Gymnaſii Rectori pro tempore exiſtenti, ſe præſentaverit, ejuſque, vel alterius ab eo deputati, examini ſe ſubjecerit, & apud eumdem Illuſtriſſimum Dominum, Chriſtianæ Fidei ſolitam profeſſionem emiſerit, atque ab eodem facultatem docendi per litteras, quas vocant Patentes, habuerit. Quocirca, & qui hodie ſunt Regionum Magiſtri; aut quomodocumque Scholas apertas, aut Studioſos domi Convictores habent (exceptis dumtaxat Collegiis publicis approbatis) infra triginta dies ab harum litterarum promulgatione, prædictum Illuſtriſſimum Dominum adire, & prædicta omnia ſubire, & obſervare ſub iiſdem pœnis omnino debeant. Datum Romæ in Ædibus noſtris, die XVIII. *Octobris* MDCLXVIII. *Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Clementis Divina providentia Papæ IX. anno ſecundo. Petrus Franciſcus de Rubeis, Sacri Conſiſtorii Advocatus, & Rector deputatus*. Hinc ad noſtra uſque tempora, ſi qui publicum in Urbe ludum litterarium velint moderari, debent hujus rei veniam faciendæ a Rectore Gymnaſii impetrare, qui illorum in docendo vires, facto periculo, poteſt experiri, & Fidei Catholicæ profeſſione emiſſa, eiſdem docendi facultatem impertitur. Cumque ſub Innocentio XI. nonnulli auſi fuiſſent, inſcio Rectore, Scholas habere, hinc cæteri Ludimagiſtri, qui Rectoris auctoritate variis in Regionibus Urbis præerant Scholis, dato libello ſupplice, Summum Pontificem exorarunt, ut illorum audacia coerceretur. Reſcripſit autem Pontifex, ut Gymnaſii Rector conſuleret huic rei.

IX. Cadente hoc ſæculo decimo ſeptimo, a graviſſimis Patribus, qui in Romana Rota jus dicunt, aſſertum, vindicatumque eſt ſoli publico Gymnaſio Sapientiæ jus interpretandarum Legum, ſive Civilium, ſive

Eccleſiaſticarum. Cum enim in Collegio Romano Societatis Jeſu, ubi patent omnibus nonnullarum Diſciplinarum Scholæ nobiliſſimæ, cogitatum fuerit, anno Domini MDCXCVI. de Jure Canonico edocendo; Advocati Conſiſtoriales, Moderatores publici Gymnaſii, ac ejuſdem Profeſſores obſtitere: reque ad Judicem Sperellum, qui Auditoris Cameræ Apoſtolicæ vices gerebat, tum ad Patres Rotæ Romanæ delata, his præcipue momentis certatum eſt pro tuendo jure publici Gymnaſii. Legibus Civilibus liberales artes nonniſi in publicis Univerſitatibus publice docendas eſſe; ut patet Lege unica Cod. *de Studiis liberalibus Urbis Romæ*, ubi: *Univerſos, qui uſurpantes ſibi nomina Magiſtrorum in publicis Magiſtrationibus, Celluliſque collectos, undecumque diſcipulos circumferre conſueverunt ab oſtentatione vulgari præcipimus amoveri*. Ibi Gymnaſium publicum dici a Principe, *Auditorium noſtrum*, quo ſignificatur jure ſingulari illic litteras edoceri. Præſertim vero jus interpretandarum Legum in toto Romano Imperio, ſolis tribus publicis Gymnaſiis conceſſum fuiſſe, nempe Romano, Conſtantinopolitano, ac Berytenſi. Alias quoque Univerſitates hoc jure frui, ut non alibi Leges fas ſit docere. Nam de Neapolitana ſcribit Middendorpius Libr. Acad. Orbis: *Cum Federicus II. hanc Academiam fundaſſet, non ſolum decrevit, ne quis extra illud Regnum Studiorum cauſa proficiſceretur, verum etiam ne in trivialibus Regni Scholis majores Diſciplinæ traderentur, quoniam iſtam Academiam florentiſſimam reddere cupiebat*. De Patavina idem Middendorpius teſtatur a Senatu Veneto decretum, ut Subditi alibi nequeant ſtudiis incumbere, quam in Gymnaſio Patavino, ac controverſiam inter Profeſſores enatam, Patreſque Societatis, ita fuiſſe compoſitam ab Epiſcopo Patavino, ut publicum Gymnaſium nihil caperet detrimenti. Teſtis eſt Mendo Jeſuita Lib.4. Quæſt. 5. de Jure Acad. anno MDXCII. decreviſſe Salmaticen-

ticenſem Academiam, ne Scholares laici addiſcendis ſcientiis in Collegio Societatis operam darent, & ne in eodem Collegio doceretur, iiſdem cum publico Gymnaſio horis; & excitata in hanc rem lite, tandem a Senatu Regio Caſtellæ, anno MDCIII. definitum, *quod Scholares ſæculares in nulla Religioſa Communitate lectiones audirent*. Quoad Bononienſem Academiam Urbanus VIII. Conſtitutione anni MDCXLI. die X. Novembris decrevit, nullis fas eſſe in Civitate, & Provincia Bononienſi Diſciplinas illas tradere, quæ in publico ejuſdem Civitatis Gymnaſio edocentur. At Romanæ Academiæ omnia jura competere, quibus aliæ fruuntur. Addebatur, Conſtitutionibus Societatis Part. 4. Cap. 12. ſtudia Theologiæ, & Sacrarum Scripturarum pertractanda eis eſſe, *non attingendo tamen eam partem Canonum, quæ foro contentioſo inſervit*. Atque idipſum a pluribus Scriptoribus affirmari. Decreviſſe quidem Lateranenſe Concilium, ut viris idoneis concederetur facultas docendi; ita tamen, ut ne Univerſitatum jura lædantur, nec illarum ſplendori quidquam detraheretur. Privilegia a Paulo III. Pio V. Gregorio XIII. conceſſa, quæ a Paſſerino in libro de Statibus hominum referuntur, docendi liberales artes, Jus Canonicum minime complecti. Ab antiquiſſimis temporibus nullum in Urbe docuiſſe publice Jura, nonniſi quia noverat quiſque id ſibi eſſe interdictum. Inde Romani Gymnaſii jus confirmari, auctoritate Legis *Si quiſquam*. Digeſtis. *De diverſ. & tempor. præſcript.* ubi dicitur: *Si quiſquam in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem jure uti prohibet*. Denique jamdiu in more poſitum, ut a Rectore Gymnaſii concederetur facultas Jura interpretandi. His igitur momentis mature penſitatis, tandem die XVI. Maii, anno MDCXCVIII. a Patribus Romanæ Rotæ dicta eſt ſententia, quæ legitur typis impreſſa in *Romana Juris legendi ſuper bono Jure*, excitatoque Dubio, *An & de cu-*

 jus

Digitized by Google

jus bono jure conſtet, ſuffragati ſunt Judices privilegiis Univerſitatis: *Domini favore Univerſitatis de ipſius bono jure conſtare procul dubio reſpondendum eſſe cenſuerunt*. Alteroque ſimul propoſito Dubio circa *Manutentionem*, pariter: *Domini cenſuerunt Univerſitati & non Patribus Societatis Jeſu dandam eſſe Manutentionem in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione legendi Jus Canonicum ex profeſſo & in ſeparata Cathedra*. Æquiſſimam autem hanc ſententiam hiſce momentis Patres comprobarunt. Quod jus privativum Romanæ Univerſitatis fundetur, nedum in generali ordinatione Juris prohibentis publice Leges interpretari, extra ea loca, quæ hanc facultatem obtinuerint privilegio; ſed etiam in ſpeciali ordinatione Juris Pontificii in Capite *Cum de diverſis*. De privil. in Sexto, ubi ab Innocentio IV. Romana Academia præcipue conſtituta eſt ad Jus edocendum, uti etiam ex Conſtitutionibus Bonifacii VIII. & Leonis X. Quod retroactis temporibus Gymnaſium Romanum hoc jure privativo frueretur; cum nullus umquam publice explanaverit Jura, inconſulto Rectore; nec ullæ Propoſitiones ex Jure ſelectæ, fuerint publice propugnandæ, etiam a Romanæ Rotæ Auditoribus in Cancellaria, cum primum ad hoc officium accerſuntur, niſi data venia a Rectore Gymnaſii. Quod Decreta Concilii Lateranenſis, & Alexandri III. Tit. *de Magiſtris*, id unum ſtatuant, ne ſcilicet aliquid pretii exigatur pro concedenda facultate docendi: Privilegia verò Pontificum Patribus Societatis indulta de Scholis publicis habendis, Juris Scholas minime cumplectantur. Quod Regularibus, præſertim vero Patribus Societatis interdicta ſint ſtudia utriuſque Juris; nec ulla eſſe poſſit ſcientia Juris Canonici, ſine ulla ſcientia Juris Civilis. Denique cum nonnullæ Rotæ Romanæ Deciſiones in medium proferrentur in *Cracovienſi juris legendi coram Coccino*, *Ubaldo*, *Ghiſlerio*, medio ſæculo decimoſeptimo, Judicum ſententia fuit, in illis di-

diſputatum fuiſſe de Theologia, ac litteris humanioribus, non vero de Juribus edocendis. Rurſum hæc controverſia ad examen revocata eſt in Auditorio Sacræ Rotæ, rurſumque definita, die 9. Januarii, anno MDCXCIX. in alia *Romana juris legendi tum ſuper bono Jure tum ſuper Manutentione*, hoc Decreto, *ſtandum eſſe in deciſis*. At quoad *bonum Jus*, declararunt Patres *conſtare de bono Jure Univerſitatis, ſeu Archigymnaſii prohibendi Collegio Romano lecturam, ſeu explicationum Juris Canonici in univerſum eo modo, quo fuit in ſeparata Cathedra incepta, poſſe tamen Patres Societatis dicti Collegii Sacros Canones Forum contenſioſum non reſpicientes docere in Cathedra Theologiæ poſitivæ: num vero pro Canonibus permiſſis, hunc contenſioſum Forum non reſpicientibus erigi potuerit, vel poſſit particularis, & ſeperata Cathedra, Domini non fuerunt concordes, ut reſolutionem ſuper hoc puncto ad aliam propoſitionem diſtulerint*. Quapropter, die 22. Junii, anno MDCXCIX. Romanæ Rotæ Patres, in quæſtionem vocarunt, an fas eſſet Patribus Societatis, Cathedra diſtincta a Theologia, Canones illos explicare, qui minime ſpectarent ad Forum contentioſum; definitumque eſt, id eis minime fas eſse, tum quia illorum Statuta eis dumtaxat permittunt Theologica ſtudia; tum quia Canones ſejuncti a Foro, vix a Theologia ſejungi poſſunt; tum quia ad illa uſque tempora, nulla in Collegio Romano fuerat Cathedra Canonibus edocendis. Hæ Rotæ Deciſiones typis editæ ſunt, ac memorantur ab Antonello Lib. de oner. & jur. Cleric. Deciſ. 26. & a Card. Petra in Comment. ad Conſtit. *Inter cæteras* Joannis XXII. Igitur antiquiſſimum jus Gymnaſii Romani interpretandarum Legum ſive Civilium, ſive Eccleſiaſticarum, novum robur accepit his graviſſimorum Patrum Rotæ Romanæ ſuffragiis. Cui juri etiam novum robur addidit Innocentius XII. Pontifex Maximus, anno MDCC. lato Edicto, nomine Joannis Bapti-

ſtæ

ſtæ Spinolæ Cardinalis Camerarii, ut nullus in Urbe, ſive publicus Profeſsor, ſive aliquis alius, extra publicum Gymnaſium, ſive privatim, ſive publice traderet Inſtitutiones ſive Civiles, ſive Canonicas, ſive Criminales; exceptis Collegiis, Seminariiſque, ubi fas eſset alicui publico Profeſsori, vel aliis Lectoribus, facultate tamen eis a Rectore Gymnaſii conceſsa, Jura docere: utque ibi publice propugnari Theſes in Jure deberent, nonniſi conſentiente Rectore: ut publici Profeſsores mercedem nullam a ſuis Diſcipulis exigerent, ac diligentem Scholis habendis operam darent; ſin minus, detracta ſalarii parte punirentur. Pariter Clementis XI. Edicto cautum eſt, ne quis in Urbe, ſine permiſsu Rectoris, Jura doceret. Memorat hæc Pontificia Decreta Vincentius Petra, loco citato.

X. Spectant ad Gymnaſii Romani ornamentum nonnullæ, quæ in eo habentur, Theologicæ exercitationes. Et quidem in mentem venerat Alexandro VII. Papæ Optimo conſilium inſtituendi clariſſimorum Theologorum collegium, quorum opera tuendæ Eccleſiæ inſigniter deſeruiret. Ita enim narrat Panvinius in additionibus ad Ciacconium: *Deſtinaverat & virorum Collegium inſtituere ſacrarum omnis generis litterarum eruditione præſtantium, qui ex omnibus Chriſtiani Orbis provinciis legerentur, pro ut quiſque fama, & ingenio clarus eſſet. Horum opera, & conſilio uti volebat in definiendis Fidei controverſiis, & retundendis calamis Romanæ Sedi infenſis, quibus Theologorum noſtrorum, qui Scholaſtica tantum norunt ſtudium impar eſt. Ex quo profecto ingens Summis Pontificibus præſidium, ipſi autem Urbi decus, atque exiſtimatio accederet, & ille, vel maximus fructus aliquando exiſteret, quod ſi quæ apud exteros præclara ingenia ſuccreſcerent, vitio gentis, vel aliqua alia de cauſa, male in Urbem Romam animata, allecta ſpe præmiorum, & victa beneficio, noſtra fierent. Statuerat enim*

enim ad eos viros liberaliter alendos, *Collegio attribuere reditus inſignium Monaſteriorum*, *quæ ſpectatæ religionis*, *atque induſtriæ hominibus olim referta*, *collapſa in præſens diſciplina*, *a priſtis moribus defecerunt*: *& ex eorum numero illos*, *qui diuprobati merito*, *& ſapientia eminerent*, *ad Magiſtratus ampliſſimos*, *& primos Eccleſiæ Romanæ gradus provehere*. Nec ambigendum eſt, quin hoc nobiliſſimum Collegium pars fuiſſet publici Gymnaſii, illiuſque magnum ornamentum. At dolendum ſane, hæc Pontificis vota irrita fuiſſe, tantumque conſilium executione caruiſſe. Attamen non defuerunt Gymnaſio, eadem ætate, Theologicæ quædam exercitationes. Nam Decreto Congregationis, quæ Viſitationis Apoſtolicæ dicitur, anno MDCLX. ſtatutum eſt, ut Parochi Urbis, ſemel in hebdomada in Gymnaſio de Theologia Morali diſsererent, ac diſputarent. His vero diſputationibus Pontifex præeſſe juſſit unum ex publicis Profeſſoribus Theologiæ. Legitur enim in libro Camerariatus Collegii fol. 694. die 12. Januarii 1661. Rectore Carolo Emmanuele Vizzanio: *Sanctiſſimus Dominus noſter facta ſibi per me infraſcriptum Rectorem Deputatum relatione decreti noviſſime a Sacra Gongregatione emanati*, *quod impoſterum Parochi Urbis debeant conſuetas theſes Caſuum Conſcientiæ defendere in Eccleſia*, *ſeu Sacello Sapientiæ per Sanctitatem ſuam nuperrime abſoluto*, *prædictum decretum approbavit*, *& juſsit impoſterum prædictis theſibus ultra expreſsis in prædicto decreto aſſiſtere*, *ac difficultatibus arguentium*, *quando opus ſit ſatiſfacere aliquem ex Lectoribus Theologis prædictæ Sapientiæ in Catalogo Lectorum ejuſdem Univerſitatis deſcriptis*, *alternatim*, *vel determinate prout Rectori pro tempore magis expediens viſum fuerit*. Nunc vero, ab hujus ſæculi decimi octavi exordio, diſputationibus illis ſucceſsere clariſſimorum plurium Theologorum exercitationes de Sacra Scriptura, de Controverſiis

Fi-

Fidei, de Theologia, deque Eccleſiaſtica Hiſtoria, quæ in qualibet hebdomada, feria tertia, & ſexta, in Gymnaſio aguntur. Inſignis hic Theologoaum cœtus dicitur Academia Theologica, atque ex Cenſoribus, & Academicis conſtat, ita tamen, ut nullus inter Cenſores cooptetur, qui non antea ſex annis inter Academicos diſſerendo, ac diſputando meruerit. Nam in quolibet conventu unus quidem diſſerit, duo vero in diſſerentem inſurgunt; & Cenſores de ipſa re judicium ferunt. Hujus Academiæ Inſtitutionem, ac Statuta, quæ magna ex parte auctorem habent doctiſſimum Cardinalem Ferrarium ex Ordine Prædicatorum, laudavit, confirmavitque Clemens XI. Conſtitutione *Inſcrutabili* edita die 23. Aprilis, anno MDCCXIII. ac nonnulla privilegia Academicis conceſſit, quorum eligendorum curam nonnullis Cardinalibus commiſit. Et ne Cenſores umquam deeſsent, ſtatuit, ut illi Profeſsores publici Theologiæ, ad quos ſpectat Lauream in Theologia conferre, iidem, ipſo jure fruantur in hac Academia Cenſorum officio: *ut omnes, ſinguli Sacræ Theologiæ in eodem Gymnaſio Lectores nunc & pro tempore exiſtentes, qui Collegium Theologorum inibi conſtituunt, officium Cenſorum in dicta Academia pariter obtineant*. A Benedicto XIII. qui ſæpe hiſce Theologicis exercitationibus delectabatur, majora accepit Academia Theologica beneficia. Nam Conſtitutione *In excelſa*, lata die 6. Maji, anno MDCCXXVI. nedum Clementis XI. de hac re Conſtitutionem, & Academiæ ſtatuta confirmavit, verum etiam decrevit, ut ex Dataria Apoſtolica, quotannis ſolverentur aurei nummi quinquaginta ſingulis Academicis numero viginti, donec expleto ſuo munere, inter Cenſores cooptarentur. Tunc alios eſse in illorum loco ſubrogandos, qui hæc eadem ſtipendia perciperent. Verum paucis ab hinc annis detracta illis fuere hæc ex Apoſtolica Dataria præmia, & ſubſidia. Nihilo tamen minus inſigni munificentia Cardi-

dinalis Raphaelis de Girolamo, qui in hac doctorum victorum Academia excitanda, fovendaque nil ſibi reliquum fecerat, haud exigua pecuniæ ſumma Academicis loco præmii ſingulis annis diſtribuenda, eſt teſtamento relicta. Atque hæc Academia, cui nonnulli Cardinales imminent, adhuc in Gymnaſio, qualibet in hebdomada conventus ſuos præclariſſime celebrat. Nonnunquam, conveniente multitudine, præſentibus ampliſſimis Cardinalibus, vel clariſſimis Aulæ Romanæ Prælatis, diſputationes publicæ inſtituuntur. Singulorum merita a Viro ad hoc munus deputato, quem Secretarium vocant, deſcribuntur. Porro ſpectat hæc Academia ad Romanum Sapientiæ Gymnaſium, tum quia in ea habet ſedem, tum etiam, quia ex Conſtitutione Clementis XI. duo ejuſdem Gymnaſii Profeſſores jure perpetuo funguntur ibidem Cenſorum honore, & officio.

Digitized by Google

CAPUT X.

DE GYMNASIO ROMANO SÆCULO DECIMO OCTAVO.

BENEDICTUS XIV. reſtaurat Romanam Academiam. II. Ejus regimen Advocatis Conſiſtorialibus, eorumque jura confirmat. III. Statuit ordinem conſtituendi publicos Profeſſores. IV. Mathematicam, & Chemiam donat Cathedra, & ſtipendio. V. Definit numerum, & ſtipendia Profeſſorum utriuſque Juris. VI. Et Medicinæ, ac Botanicæ. VII. Theologia Moralis, Phyſica experimenta, & Liturgia docentur e Cathedra. VIII. Quotidianam operam jubet Profeſſores præſtare. IX. Conditiones decernit ad vacationem muneris obtinendam. X. De dignitate Profeſſorum Urbis XI. De Ordine, quem inter ſe ſervant. XII. Ordo totius rei litterariæ in Gymnaſio Romano.

I. QUæ varia diverſis temporibus, Imperatores plurimi, Romanique Pontifices contulerunt bonis artibus incrementa, & beneficia, ea omnia ab uno eodemque BENEDICTO XIV. Pontifice ſimul collata vidit ætas hæc noſtra feliciſſima. Nam alii quidem exemplo ſuo, alii patrocinio ad Litterarum ſtudia homines excitarunt. Ab aliis ſtipendia, honores, vel privilegia Profeſſores bonarum artium accepere. Alii denique promulgatis optimis legibus rem litterariam adjuvarunt. Hæc vero omnia noſtris hiſce temporibus unus idemque Pontifex præſtitit, ut qui liberalium Diſciplinarum ſtudia excitavit, fovit, auxit exemplo, patrocinio, præmiis, honoribus, opibus, legibuſque. Qui in ſupremo Pon-

Digitized by Google

Pontificatu, etſi omnium Eccleſiarum, & totius Reipublicæ ſollicitudinem gerat, & officiis omnibus Epiſcopi, ac Principis, pietatis, & imperii, ne vel minimum deſit; tamen Litterarum ſtudiis, in quibus ab ineunte ætate fuerat diligentiſſime verſatus, quæque in omni vitæ ſuæ genere honeſtiſſime coluit, totus incumbit, ac ut alii etiam incumbant, modis omnibus curat. Cujus quidem rei, cum plurima ſint argumenta, eaque indigenis, exteriſque perſpecta, tamen illud inſigne eſt, quod ad noſtrum pertinet inſtitutum, reddidiſſe illum Gymnaſio Romano priſtinam gloriam, & dignitatem. Ab ea namque Romanum Gymnaſium exciderat aliquamdiu; adeo ut Cardinalis de Luca in ſua Relatione Curiæ Romanæ Diſcurſu quadrageſimo quarto, agens de *Sapientiæ* Gymnaſio ſcriptitaverit: *Exceptis Facultatibus Legum, & Medicinæ, licet in Sapientia adſint Profeſſores, ſeu Lectores Theologiæ, Philoſophiæ, & aliarum Facultatum, vel artium liberalium, attamen videri potius Studium quoddam cæremoniale*. Tantam Romanæ Univerſitatis calamitatem BENEDICTUS XIV. Pontifex Glorioſiſſimus avertit, atque in florentiſſimum ſtatum commutavit. Ejus enim cura, & imperio Profeſſores doctiſſimi conſtituti: juſſi omnes diligentem, quotidianamque operam in Scholis habendis impendere: otioſi e medio ſublati: Diſciplinæ nonnullæ præſtantiſſimæ in publica pulpita illatæ: Experimenta Phyſica, Mathematica, Chymica, Anatomica, Botanica, vel revocata, vel nunc primum inducta: Profeſſorum merita, & ſtipendia æquiore lance penſitata: illorum numerus definitus: & leges plurimæ ad rei litterariæ ordinationem ſapientiſsime latæ. Quibus omnibus Optimi Principis beneficiis, reviviſcere viſa eſt priſtina Gymnaſii Romani gloria, ut jam nobis minime invidenda ſit dignitas, & fortuna, quam Eugenius IV. & Nicolaus V. vel Leo X. aut Clemens VIII. vel Alexander VII. bonis artibus attulerunt. Et adſcribendum quidem eſt

 Ro-

Romanæ Academiæ felicitati, quod Pontifici rei litterariæ ſtudioſiſsimo adhæreat inter primos Aulæ Miniſtros Rector ipſius Academiæ, Clemens Argenuillerius, Vir peritia Juris, probitate morum, & ſingulari ſtudio juſti, & æqui, cum paucis comparandus. Jam ſingula, quæ in Romani Gymnaſii utilitatem decreta ſunt, proſequamur.

II. Regimen Gymnaſii, quod Sixtus V. Advocatis Conſiſtorialibus commiſerat, quodque plures alii Pontifices comprobaverant, Glorioſiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. eiſdem confirmavit, lata Conſtitutione, *Inter conſpicuos Ordines* anno MDCCXLIV. his verbis: *Quam proinde unionem, & perpetuam annexionem & incorporationem Officii Rectoratus hujuſmodi una cum facultatibus ipſum Gymnaſium, ejuſque Eccleſiam, Scholas, & Bibliothecam regendi, aſſervandi, & gubernandi, unumque ex proprio Collegio in ſingulos annos Studiorum Rectorem, atque alterum Bibliothecarium, tum etiam Bibliothecæ prædictæ Cuſtodes, alioſque Gymnaſii prædicti Officiales, & Miniſtros, reſpective eligendi, & deputandi, ſalvo eorum jure, quibus vel oneroſo, vel alio legitimo titulo nonnullorum Officialium hujuſmodi deputatio competere dignoſcatur; nec non ejuſdem Bibliothecæ libros permutandi; ſtatuta quoque, ordinationes, & proviſiones pro Gymnaſii prædicti meliori regimine, & utilitate condendi, faciendi, & publicandi, atque illa, ſeu illas, toties quoties eiſdem, ſeu eorum majori parti expedire videbitur mutandi, & innovandi, ſicuti per Prædeceſſores Noſtros Sixtum V. Clementem VIII. & Alexandrum VII. Romanos Pontifices eiſdem alias conceſſæ fuerunt, approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit de novo concedimus, & indulgemus.* Quoniam vero Sixti V. Conſtitutione, adminiſtratio Gymnaſii ita fuerat Collegio Advocatorum Conſiſtorialium addicta, ut nil tamen deperditum, detractumque eſſet ex juribus, privilegiiſque omnibus, quibus

Digitized by Google

bus antehac Urbis Univerſitas, ejuſque Rector utebantur, vel beneficiis Pontificum, vel conſuetudine, vel quovis alio titulo; jam perſpicuum fit, omnia antiqua Gymnaſii, Rectoriſque jura, hac etiam BENEDICTI XIV. Conſtitutione reſtitui, ac novo robore donari. Præterea, ut hoc inſigne Collegium majoribus afficeret beneficiis, eidem confirmavit antiqua jura omnia, & addidit nova. Nam I. recenſet hoc Collegium *inter Conſpicuos Ordines* Curiæ Romanæ, quod conflatum eſt ex Viris doctrina, virtute, ac rerum peritia præclaris, quodque addictum eſt graviſſimis muneribus exercendis, & ampliſſimis donatum privilegiis; teſtatus ſibi gratiſſimum eſſe, quod diu in hoc Cœtu meruiſſet. II. Statuit duodenarium Advocatorum numerum, ita tamen, ut inter eos ſit ſedes perpetuo addicta Civibus Bononienſi, Ferrarienſi, Mediolanenſi, Neapolitano a Pontifice ſeligendis: utque cæteri ex Advocatis Romanæ Curiæ, Civibus Romanis, vel Pontificiæ Ditionis ſeligantur, permiſſa trium electione ipſi Collegio, quorum unum Pontifex in ea ſede collocet. III. Declarat, neminem excedere officio Conſiſtorialis Advocati, niſi aut inter Cardinales, vel inter Epiſcopos reſidentiæ legibus alligatos, vel inter Auditores Rotæ Romanæ adſcribatur. IV. Decernit illum in hoc Collegio Decanum nuncupari, qui antiquior ſit ex iis, qui Romæ ſunt, quique nulla alia Dignitate Aulæ Romanæ fruuntur; antiquitatem vero cujuſque eſſe metiendam ab eo die, quo litteras Pontificis de electione ſua exhibuerit Collegio. V. Edicit, Advocatos Conſiſtoriales procul dubio eſſe Pontificis Familiares, ac Commenſales; atque adeo illos ſequi debere Pontificum itinera, & iis obviam ire, quibus honoris cauſa Pontifex Familiares ſuos jubet occurrere. VI. Eoſdem præcellere Advocatis, Doctoribus, & Profeſſoribus omnibus, tum etiam familiaribus Principum, & Cardinalium; & in omnibus publicis Functionibus locum obtine-

tincre poſt Cubicularios Pontificios, & ante Capellanos Secretos; tum in omnibus Solemniis Pontificiis adeſſe debere. VII. In his vero Pontificiis Solemniis, ſeu Cappellis, ſi in Palatio agantur, ſtatuit ſcamno inſidere ante ſcamnum Cubiculariorum; ſi vero in Vaticana Baſilica celebrentur, jubet ſedere in inferiori gradu Solii Pontificii. VIII. In Conciliis, ſive Generalibus, ſive Provincialibus conſtituit, eumdem Advocatis Conſiſtorialibus locum fore, quem obtinent in Aula Romana. IX. Confirmat eiſdem uſum Cappæ violacei coloris in publicis Functionibus, atque Pluvialis in Coronatione Pontificis; tum etiam Togæ, ſeu *Mantelli nigri*, ita ut hoc veſtimenti genere neque Auditoribus Sacri Palatii uti fas ſit, niſi de illorum conſenſu. X. Addit Advocatis Conſiſtorialibus facultatem utendi *Habitu Viatorio* nigri tamen coloris. XI. Declarat, eorum munus eſſe Cauſas pertractare in Conſiſtorio Pontificis, & conſequenter verba facere in Conſiſtorio de iis, qui ſunt inter Beatos, vel Sanctos recenſendi; ac negotia omnia, quæ in Conſiſtorio ſignificanda ſunt Pontifici, exponere. XII. Probat, confirmatque facultatem privativam conſtituendi Doctores in utroque Jure, quæ ſpectat ad hoc Collegium, uti alibi dictum fuit. XIII. Cum litteraria inſtituuntur certamina ad publicos Profeſſores conſtituendos, ſuffragia, quæ horum peritiam comprobent, jubet ab Advocatis Conſiſtorialibus ferenda. XIV. Aſſerit, addicitque perpetuo Advocatis Conſiſtorialibus Officia Promotoris Fidei, Advocati Pauperum, Advocati Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ, Advocati Fabricæ Baſilicæ S. Petri, Advocati Senatus, Populique Romani, & Commiſſarii Conclavis, Sede vacante. XV. Eiſdem permittit uſum Domeſtici Oratorii. XVI. Denique rata, ac firma habet omnia illorum jura, & Statuta, ita quidem, ut liberum eis ſit nova Statuta condere, ſi ita expedire, ipſis viſum fuerit. Quapropter tot, & tantis acceptis beneficiis,

ne

Digitized by Google

ne illorum memoria umquam excideret, Advocati Conſiſtoriales grati animi cauſa excitarunt in Aula magna Gymnaſii marmoreum monumentum cum hac inſcriptione.

BENEDICTO XIV.
PONT. O. M.
QVOD VETERA COLLEGI IVRA
FIRMA RATAQ. ESSE
VOLVERIT
NOVAQ. PRO SVA LIBERALITATE
ADDIDERIT
PRINCIPI INDVLGENTISSIMO
CONLEGÆ OLIM SVO
ADVOCATI SACRI CONSISTORI
D. N. M. Q. EIVS
ANIMO L. F.
PONT. A. QVINTO

III. Eadem Pontificia Lege definitus eſt ordo conſtituendi publicos Profeſſores. Diximus alibi, Profeſſores Urbis olim ab Imperatore, vel a Senatu docendi munus accepiſſe. In Provinciis vero a Decurionibus Civitatum. Deinde ſub Romanis Pontificibus, horum auctoritate, electio Profeſſorum abſolvebatur. Neque enim Bonifacius VIII. Clemens V. Innocentius VII. Eugenius IV. quidquam de Profeſſoribus accerſendis decreverunt. Joannes XXII. ſtatuerat dumtaxat ordinem promovendi Doctores. At Conſtitutione Leonis X. *Dum ſuaviſſimos*, indicatur, Profeſſorum operam conductam fuiſſe a Rectore, & Reformatoribus, impetrato Pontificis conſenſu. Jubet enim ut *eminentis litteraturæ viri undecumque ad legendum in Scholis publicis dictæ Urbis ... per eoſdem Rectorem, & Reformatores communi opportuna in hoc per eos adhibenda diligentia annuatim conducantur*. Sixtus V. Conſtitutione *Sacri Apoſtolatus miniſterio*, nil derogatum voluit priſtinis juribus Rectoris.

Digitized by Google

ris . At Conſtitutione , *Immenſa æterni Dei*, qua decrevit Cardinales nonnullos patrocinium Gymnaſii gerere , eiſdem communem fecit poteſtatem accerſendi Profeſſores , ſi opus fuiſſet , & de Romani Pontificis ſententia : *Quibus facultatem concedimus* , inquit , *ut cum opus fuerit , præclaros Theologiæ Magiſtros , & liberalium artium Profeſſores , egregios Juriſconſultos undecumque ad juventutem erudiendam evocent* . Itaque Profeſſores Urbis a Pontifice conſtituebantur , vel ſuggeſtione Rectoris , vel ſuggeſtione Cardinalium Protectorum Studii , præſertim vero Cardinalis Pontificis fratris filii . Qua in re Cardinalis Petrus Aldobrandinus præclariſſime meruit . Invaluit deinde , ut qui vellent e Cathedra docere inito certamine , ſuarum virium periculum facerent . Cui inſtituto fortaſſe occaſionem dedit Conſtitutio *Cupientes* Gregorii XIII. qua fas eſſe dixit Romanis Juriſconſultis , atque Doctoribus publice in Gymnaſio legere Diſciplinas quaslibet,dummodo ſcientiæ ſuæ periculum feciſſent , publica Lectione habita , præſentibus Cardinalibus Protectoribus Studii , Rectore , & Reformatoribus : *Facta* , inquit , *prius per eos coram Dilectis Filiis noſtris Cardinalibus ſuper eodem Studio ſeu Gymnaſio deputatis , ac illius Rectore , & Reformatoribus pro tempore exiſtentibus una lectione* . Frequentiſſima fuere ſæculo decimo ſeptimo hæc certamina litteraria , cum de aliquo conſtituendo Profeſſore agebatur , quæ vulgo dicuntur *Concurſus* . His peragendis jubebant Pontifices , Cardinalem aliquem adeſſe , vel fratris ſui filium , Camerarium , Summum Miniſtrum , aut aliquem e Cardinalibus Protectoribus Studii, aut alium ſuo arbitrio deputatum. Ita anno MDCIX. die VI. Octobris, certamen pro Cathedra Juris Civilis actum eſt præſente Cardinale Arigonio , qui primus erat e Protectoribus Studii . Anno MDCXVI. die XXII. Martii , Cardinalis Sabellus delegatus eſt a Pontifice , ut adeſſet certamini pro Cathedra Juris Canonici inſtituen-

tuendo. Anno MCDL. Cardinalis Capponius; & anno MDLXXVII. Cardinalis Cibo hiſce litterariis concertationibus interfuere. Atque agebantur vel in Ædibus Pontificiis, vel in ædibus ipſius Cardinalis, qui Pontificis nomine aderat. Aderant quoque Rector, cæterique Advocati Conſiſtoriales, & ſinguli ferebant ſuffragia, de illorum peritia, qui ſe huic examini ſubjiciebant. Antea vero promulgabantur Edicta nomine Rectoris, & Cardinalium Protectorum Studii, queis certamen habendum omnibus innoteſceret. Cujus Edicti hæc forma fuit: *De mandato Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum Dominorum S.R.E. Cardinalium, nec non R. P. D. Petri Franciſci de Rubeis Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocati, & ejuſdem Studii Rectoris Deputati. Intimetur omnibus, & ſingulis valentibus concurrere ad Lecturam Inſtitutionum Civilium quatenus infra dies octo a data præſentium debeant eorum nomina, cognomina, patriam, privilegium Doctoratus, & alias qualitates, ſi quas habent, deferre R.P.D. Rectori prædicto deſcribendas, & diebus, & horis intimandis in loco ſtatuendo accedere ad Concurſum coram Eminentiſs. & Rev. Domino Cardinale Capponio Deputato, & Collegio RR. PP. DD. Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatorum apud eum congregando, quia dignior, & magis idoneus præferetur cum honorario congruo. Datum Romæ* XXI. *Septembris* MDCL. *Petrus Franciſcus de Rubeis Rector Deputatus.* Simile Edictum latum legitur annno MDCLXXXIV. a Marco Antonio Buratto Rectore pro Concurſu ad Cathedram Mathematicæ faciendo, præſente Eminentiſſimo Cibo. Itaque a Rectore deſcribebantur conditiones ſingulorum, qui ſe certamini objiciebant; tum dies, & hora agendæ rei indicebantur. Sed horis vigintiquatuor ante ſtatam horam periculi faciendi, vel Cardinalis, vel Rector Gymnaſii ſtatuebat, quid a ſingulis in ſubeundo certamine eſſet tractandum. Et quidem ſi de Jure Canonico,

Digitized by Google

vel Civili agebatur, ſinguli Textum aliquem Juris interpretandum accipiebant. Si agebatur de Medicina, Textus ex Hippocratis libris deſumebatur. In aliis artibus liberalibus alia ſeligebantur argumenta, circa quæ illorum opera eſſet impendenda. Stata hora, præſentibus Cardinale, Rectore, Advocatis Conſiſtorialibus, quilibet de re ſibi propoſita diſſerebat. Ubi finem dicendi fecerat, ſi in utroque Jure certamen verſabatur, Advocati Conſiſtoriales diſſerentem objectionibus, quibus ille faceret ſatis, provocabant. Si de aliis Diſciplinis certamen erat, inſurgebant in diſſerentem Profeſſores duo, vel alii, quibus Rector hanc provinciam demandaſſet. His peractis, ſinguli Advocati Conſiſtoriales ferebant ſuffragium. Quibus collatis, Cardinalis ille, qui aderat, vel Rector Gymnaſii, totius rei geſtæ Pontificem conſcium faciebat; iſque illum præficiebat Cathedræ vacanti, quem majora ſuffragia digniorem declaraſſent. Tum ei a Rectore ſignificabatur electio a Pontifice facta, electumque Rector Pontifici ſiſtebat. Sed antequam munus litterarium aggrederetur, Catholicæ Fidei profeſſionem juxta Pii IV. Conſtitutionem *In ſacroſancta*, præſtabat. Sæpiſſime ipſi Profeſſores, qui in inferioribus ſtationibus docebant, ſe ſe dabant certamini, ut ſuperiores Cathedras occuparent. Quandoque viduata aliqua Cathedra, qui antea aliquod certamen ſubjiſſet, in ea collocabatur. Igitur nulla certa lege ad noſtra uſque tempora Profeſſores Urbis conſtituendi fuere. Sed vel ex litterario certamine, vel ex arbitrio Pontificis, interpellato ſuffragio Rectoris, munus hoc conferebatur. Nuper vero BENEDICTUS XIV. Pontifex Glorioſiſſimus, Conſtitutione ſua, quæ incipit, *Inter conſpicuos Ordines*, certam in hac re legem ſtatuit, his verbis: *In eligendis autem per concurſum, quoties ita Nobis, & Succeſſoribus Noſtris placuerit, tam Juris Canonici, & Cæſarei in Archigymnaſio prædicto Anteceſſoribus, quam alia-*

Digitized by Google

aliarum Theologiæ, Linguæ ſanctæ, aliarumque Linguarum, & Eloquentiæ, nec non rationalis, & experimentalis Philoſophiæ, Medicinæ, & cæterarum Artium, & Facultatum, quæ in Archigymnaſio hujuſmodi publice traduntur, & explicantur, Profeſſoribus, atque Lectoribus, volumus, ut concurrentium examini coram Ven. Fratre Noſtro Annibale Epiſcopo Portuenſi S. R. E. Cardinali Camerario, & ejuſdem Archigymnaſii, atque Univerſitatis Studii generalis Cancellario, Sancti Clementis nuncupato, ejuſque in officio Camerariatus hujuſmodi Succeſſoribus, habendo, Advocati prædicti collegialiter ſemper aſſiſtant; & pro eorum, qui examinati fuerint, electione, una cum Camerario prædicto, qui tamen duplicis ſuffragii jure gaudere debeat, iidem Advocati Conſiſtoriales ſuffragium ferant. Et quidem examen eorum, qui ad obtinendas Cathedras in Decretis, ſeu Jure Civili ſcientiam, et peritiam ſuam profitentur, ab ipſis Advocatis Conſiſtorialibus peragendum erit. Ad aliarum vero ſcientiarum, ſive facultatum, aut linguarum Lectores Candidatos experiendos, atque probandos ab Archigymnaſii Rectore pro tempore deputato, cum prædicto S.R.E. Cardinalis Camerarii participatione, et aſſenſu, alii aſſumentur Aſſeſſores in ſcientiis, facultatibus, et linguis hujuſmodi præſtantes, juxta quorum conſilium, atque ſententiam tam Camerarius, quam Advocati prædicti in ſuffragiis ferendis ſuper concurrentium peritia, judicia ſua dirigere valeant. Ac denique totius examinis ſive concurſus, et ſuffragiorum latorum relatio, Nobis ſeu Romano pro tempore Pontifici, fiet; ut vacanti Cathedræ, ſeu Lecturæ de perſona habili, et idonea, auctoritate Apoſtolica provideatur. Atque jam ex hac lege certamina litteraria in eligendis Profeſſoribus agi utplurimum ſolent. Nam & ſine ullo certamine alii ad publicas Cathedras vocantur; cum Pontifex juſſerit certamina ineunda, *quoties ita Nobis, & Succeſſori-*

 bus

bus Noſtris placuerit. Et quidem viri doctiſſimi, quorum jam explorata eſt ſcientia, editis libris, vel diuturna in Scholis regendis opera, haud ſe publico certamini conſueverunt committere. Et qui peregre ab Urbe commorantur, vix, aut ne vix quidem noſcere poſſunt Romæ certari de Profeſſore conſtituendo; neque ſi noſſent, iter arriperent, ut ingenii ſui vires oſtenderent. Ne igitur clariſſimarum quorumdam virorum opera deeſſet Gymnaſio, liberum voluit Pontifex, ut vel ex certamine, vel electione ſua Profeſſores in Cathedris Romanis collocarentur. Denique omittendum non eſt, olim Profeſſores Urbis ad annum conduci conſueviſſe, ut patet ex Bulla Leonis X. ubi: *annuatim conducantur*. Et is mos perpetuo viguit in Gymnaſio, uti colligitur ex omnibus antiquis Elenchis Profeſſorum, in quibus præmittitur, eos ad biennium, vel triennium, vel quadriennium conduci. Id nunc quoque temporis ſervatur, etſi minime contingat a munere ſuo aliquem amoveri.

IV. Ab eodem Glorioſiſſimo Pontifice auctum eſt Romanum Gymnaſium duabus Cathedris præſtantiſſimis, nempe Mathematicæ, & Chemiæ. Et quidem Mathematicis Diſciplinis ſua ſemper fuerat in Romano Gymnaſio ſedes, uti patet ex Conſtitutionibus Bonifacii VIII. & Eugenii IV. quæ jubent ſtudium in Urbe eſſe *in qualibet facultate*. Imo veriſimile eſt inſignem illum Mathematicum Joannem Regiomontanum, quem a Vienneſi Gymnaſio, ubi poſt mortem Purbachii publice docebat, Romam duxit, Pio II. Pontifice, Cardinalis Beſſarion, ibidem publice docuiſſe. Et hunc quidem in Urbe familiaritatem iniviſſe cum Georgio Trapezuntio publico Profeſſore, qui in Ptolomeo, & Theone interpretando operam navaverat, atque obſervationes plures Aſtronomicas feciſſe, referunt Gaſſendus in illius vita, & Veidlerus in Hiſtoria Aſtronomiæ. Quamvis ei diuturna tunc non fuerit in Urbe mora, utpote qui, Beſſarione ob

Digitized by Google

ob negotia Religionis in Græciam profecto, conceſſit Ferrariam, Patavium, Venetiaſque, ubi Cardinalis Cuſani Quadraturam Circuli conſutavit; reverſuſque Romam, infenſum per id tempus habuit Trapezuntium, quod interpretationem Theonis non ſatis probaret: & ſunt, qui putant extinctum Regiomontanum in Urbe, quo e Germania venerat, jubente Sixto IV. ut reformationem Kalendarii aggrederetur, odio, & opera filiorum Trapezuntii, quod parentis errores in vertendis Ptolomæo, & Theone minime diſſimularet. Certe tamen Copernicus, & Taiſnerus in Urbe docuere. Deinde in omnibus Profeſſorum Elenchis, quæ ſuperſunt, occurrit Profeſſor Mathematicæ. Unus tamen huic rei vacabat, idemque aliquando duas ſimul tradidit Diſciplinas, uti Lucas Valerius Romanus diu docuit Matheſin ſimul, ac Moralem Philoſophiam. At ſapientiſſime ſtatutum eſt a BENEDICTO XIV. Pontifice, ut duo poſthac eſſent in Gymnaſio Mathematicarum rerum Profeſſores, quorum unus Elementa, alter abſtruſiores, & nobiliores hujus ampliſſimæ Diſciplinæ partes tractaret. Nam eorum, qui ſe hiſce ſtudiis dant, duplex eſt ordo, eorum ſcilicet, qui nec prima elementa noverunt, & aliorum, quibus perſpecta ſunt quidem elementa, ignotæ vero ſublimiores, difficilioreſque Mathematicæ Diſciplinæ. Hinc Pontificia lege hac, elementa Geometriæ, Algebræ, & Arithmeticæ ſuum habent Profeſſorem; & ſuum quoque habent Aſtronomia, Statica, cæteræque partes Matheſeos. Et Chemia quoque, cujus notitia, & uſus, ætate hac bonis artibus auſpicatiſſima, plurimum utilitatis, luciſque affert rebus Medicis, Mechanicis, ac Phyſicis, auctore hoc Pontifice, ſuum nacta eſt in Gymnaſio locum. Data eſt in hanc rem Pontificis Conſtitutio anno MDCCXLIIII. incipiens his verbis: *Quanta Reipublicæ commoda*: ubi ait: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,*

in

in præfato publico Archigymnaſio, ſeu ſtudio generali, Sapientiæ nuncupato, de Urbe, præter eam, in qua Elementa Geometriæ traduntur, aliaſque inibi præexiſtentes Cathedras, & Lecturas, duas novas Cathedras, ſeu Lecturas alteram nimirum Mathematicæ, alteram vero Chymiæ, pro aliis duobus Lectoribus, altero nempe Mathematicæ, altero autem Chymiæ hujuſmodi Profeſſoribus probatæ fidei, & idoneitatis ad Cathedras hujuſmodi pro tempore quomodolibet vacantes, prævio concurſu, & ſervata forma dudum a Nobis in Conſtitutione noſtra privilegiorum noſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatorum confirmatoria, quæ incipit, Inter conſpicuos Ordines, *edita quarto Kalendas Septembris Anno quinto.* §. In eligendis, *tradita, atque præſcripta deputandis, & aſſumendis, ad commune bonum, publicamque utilitatem, Apoſtolica auctoritate perpetuo erigimus, & inſtituimus.* Ne vero aliorum Profeſſorum ſtipendiis quidquam detraheret, decrevit, ut hiſce duobus Anteceſſoribus recenter ab eo conſtitutis ſolverentur ſtipendia ex ea pecuniæ ſumma, quam Avenionenſes Typographi illi, quibus unis ex privilegio conceditur facultas edendi politicas, & litterarias Narrationes rerum ubique geſtarum, in Ærarium Pontificium intuliſſent. Et hujus pecuniæ adminiſtrationem, facultatemque ineundi novi contractus cum Avenionenſibus Typographis, commiſit Cardinali Primo Pontificis Miniſtro, Rectorique Gymnaſii: *Eiſdemque Cathedris, ſeu Lecturis a Nobis ſic erectis, & inſtitutis, pro earum dote, ac utriuſque Lectoris congruo ſalario, & proviſione, annuam ſummam quadringentorum ſcutorum monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet ſcuto ad rationem ducentorum ſcutorum pro quolibet, eis, ut infra perſolvendorum, eadem Apoſtolica auctoritate conſtituimus, & aſſignamus.* Porro hujus optimi inſtituti occaſionem, conſiliumque dedit Ampliſſimus Cardinalis Silvius Valente Gonzaga S.R.E. Camerarius, & Pon-

& Pontifici a ſummis imperii negotiis, qui in magna rerum gerendarum mole, quas ſumma cum laude adminiſtrat, rem litterariam inſigniter fovet.

V. Quoad numerum Profeſſorum, varia olim fuit Gymnaſii diſciplina, neque certa lege id erat definitum. A Bonifacio VIII. & Eugenio IV. ſilentio prætermiſſum eſt, quot in publicis Cathedris ſedere deberent Profeſſores. Clemens V. ſedem dari juſſit duobus linguarum Orientalium Magiſtris. At Innocentius VII. ſingulos Profeſſores addixit ſingulis hiſce Diſciplinis, Theologiæ, Juri Civili, Medicinæ, Philoſophiæ, Logicæ, Rhetoricæ, & Græcæ linguæ. Leo X. decrevit, ſingulas haſce Diſciplinas, Jus Canonicum, Jus Civile, Philoſophiam, Medicinam ſuum habere Profeſſorem, *præter alios, qui neceſſarii fuerint in qualibet facultate Lectores*. Attamen poſt Leonis X. tempora non unus quidem Juri Canonico, alter Juri Civili, ſed plures tradendis Juribus incubuerunt. Nam, uti conſtat ex antiquis Profeſſorum Elenchis, duo ſemper fuere Profeſſores Ordinarii Juris Canonici, quorum unus matutinis horis, alter veſpertinis e Cathedra docebat. Ita res ſe habuit ſub Paulo III. Julio III. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. Et imperante Gregorio XIII. alter e duobus Juris Canonici Profeſſoribus ſextum Librum Decretalium interpretabatur. Verum ab anno MDCXXI. diuque poſtea Jus Canonicum tres habuit Profeſſores, quorum unus de ſexto Decretalium Libro diſſerebat. Tandem ſub Alexandro VII. anno MDCLVIII. & ſequentibus Pontificibus, præter duos Juris Canonici Anteceſſores, matutinum, & veſpertinum, qui ab antiquiſſimis temporibus obtinuerant in Gymnaſio ſedem, tertius exponendo Gratiani Decreto operam ſuam impendebat. Hinc Franciſcus Macedo in ſua Archigymnaſii deſcriptione ait, ab Alexandro VII. erectam Cathedram Decreti. Sed is tertius Juris Canonici Profeſſor ab anno MDCXXI. ſub Gregorio XV. agebat de Li-

Libro Sexto Decretalium. Quoad Profeſſores Juris Civilis, antiquiſſima, atque perpetua Gymnaſii diſciplina tulit quatuor hujus Facultatis Profeſſores, quorum duo mane, aliique duo veſpere in pulpita aſcenderent. Sedente Gregorio XIII. anno MDLXXVI. his quintus acceſſit tradendis Criminalibus rebus. At ſub Pontificibus, qui ſucceſſerunt, in Elenchis Profeſſorum, nullum illius deinceps occurrit veſtigium uſque ad Clementem VIII. & Paulum V. cum tractarunt Criminalia Ivo Gattulus, & Dominicus Zappus, & ſub Urbano VIII. Joannes Sanctinus. Veriſimile tamen eſt, ex illis quatuor Juris Civilis Profeſſoribus, unum Criminalibus, alterum etiam tradendis Pandectis incubuiſſe. Has Cathedras poſtea neglectas revocavit Alexander VII. uti dictum fuit Capite præcedenti. Profeſſores Inſtitutionum Juris a Pauli III. ætate anno MDXXXIX. uſuque continuo, ſtationem in Gymnaſio habuere. Duo huic rei vacabant, quorum unus mane, alter veſpere. His quandoque tertius acceſſit. Attamen Alexandrum VII. auctorem hujus Cathedræ aſſerit Macedo. Itaque diu Gymnaſium aluit novem Juris Profeſſores, nempe tres Juris Canonici, quatuor Juris Civilis, duos Inſtitutionum. Non raro tamen hiſce alii adjungebantur. Et quoad illorum ſtipendia, etſi olim, uti diximus, nulla fuiſſent ſtipendia quibuſdam Cathedris addicta, tamen obtinuerat, ut quædam eſſent ſuperiores ſtationes majoribus ſtipendiis cumulatæ. Ut proinde ſæpiſſime curarent Profeſſores ex inferioribus ſtationibus ad illas transferri. Nuper vero numerum, & ſtipendia Profeſſorum Juris decrevit Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. exarato Chirographo die XXIII. Maii, anno MDCCXLVIII. Statuit enim, ut nonniſi ſex eſſent Juris Profeſſores, unus quidem tradendis Inſtitutionibus Juris Canonici, alter Juris Civilis, tertius Criminalibus rebus, quartus Pandectis, quintus Decreto Gratiani; ſextus vagam aliquam Juris Civilis ma-

Digitized by Google

materiam a Rectore ſtatuendam tractaret. Præter hos juſſit, ſeptimum eſſe ultra numerum, cujus munus ſit, illius Anteceſſoris vices ſupplere, qui ægra valetudine, vel alia cauſa a Scholis habendis prohiberetur. Id vero ne Profeſſorum numerus inutiliter augeretur, in aliorum perniciem,atque rei litterariæ. Quoad ſtipendia decrevit, utillorum eſſent majora emolumenta, qui diuturniorem operam navaſſent, in quacumque eſſent ſtatione; ita ut ſingulis e duobus Profeſſoribus Juris antiquiſſimis ſolvendi ſint aurei quadringenti; aliis duobus, qui temporis diuturnitate illos proxime excipiunt, aurei tercenti; denique reliquis duobus, qui poſtremi omnium munus litterarium aggreſſi ſunt, aurei ducenti. Idque ſtatutum eſt, ne ex una ſtatione, in qua vix eſſent verſati, ad aliam commigrare Profeſſores conarentur. Profeſſori ultra numerum nulla certa conſtituit ſtipendia, ita tamen, ut ſi longo tempore docuerit, Rectoris ſententia ſit inter ſtipendiarios recenſendus.

VI. Ad Profeſſores quod attinet Medicinæ. Etſi Leo Papa X. huic tradendæ Arti Profeſſorem unum addixerit, attamen antiqui omnes Profeſſorum Catalogi exhibent hanc Artem in quatuor partes diſſectam, jam a Pauli III. Pontificatu, nempe Medicinam Theoricam, Medicinam Practicam, Chirurgiam cum Anatome conjunctam, & Simplicium Medicamentorum tractationem. Atque utplurimum hiſce edocendis quatuor Anteceſſores vacabant, alii matutinis horis, alii veſpertinis. Sed a Clementis VIII. ætate, auctus eſt illorum numerus, ut jam duo Theoricam, totidem Practicam, præter Anatomiæ, & Simplicium Medicamentorum Profeſſores, expenderent. Imo ſub Urbano VIII. præter hos ſe prodit Alexander Menghinus de Monte Ilcinio, qui diu, etiamque ſub Innocentio X. diſſeruit de Morbis Mulierum. Et ſub Alexandro VII. recenſitis Profeſſoribus adjungebatur pariter Hyacinthus Altomarius Conſentinus, qui

Digitized by Google

de Morbis Mulierum verba faciebat. At ſimplicium Medicamentorum tractatio ab Urbani VIII. Pontificatu locum habuit in diebus, quibus erat cæteris feriandum. Et huic Profeſſori incumbebat herbarum, quæ ad rem Medicam ſpectant, nomina, & characteres indicare. Anatomicarum rerum Cathedra numquam defuit Gymnaſio Romano; quæ etiam in ſecandis humani corporis partibus verſabatur. Unde ſub Pontifice Gregorio XIII. anno MDLXXXII. leguntur in Anatomia Archangelus Piccolomineus ſtipendio centum aureorum, & Leonardus Blandinus Inciſor ſtipendio aureorum quadraginta. Ex his omnibus patet, antiquiſſimam, perpetuamque eſſe in Gymnaſio Romano diſtinctionem, tractationemque Medicinæ Theoricæ, Medicinæ Practicæ, Anatomiæ, & Simplicium Medicamentorum. At cum Profeſſorum in re Medica numerus non ſemel creverit, nulla quidem aucta Gymnaſii utilitate, recte, ſapienterque ſtatutum eſt a BENEDICTO XIV. Pontifice, in memorato Chirographo, ut poſthac, non ultra ſex alerentur Medicæ rei Profeſſores, quorum unus Theoricam, alter Practicam tractaret, re illis a Rectore definienda, circa quam illorum opera in ſingulis annis eſſet adhibenda; Inſtitutionibus Theoricæ, Inſtitutionibus Practicæ, Inſtitutionibus Botanicæ, Inſtitutionibus Anatomiæ alii quatuor incumberent. Quibus ſalaria juſſit diſtribuenda, eadem lege, qua Profeſſoribus utriuſque Juris, ita ut duo antiquiſſimi, ſinguli acciperent aureos quadringentos, minus antiqui tercentos, denique duo recentiores, ſinguli acciperent aureos ducentos, nulla Cathedræ ratione habita, ſed dumtaxat in munere litterario antiquitatis. Pariter hiſce ſex adjectum voluit ſeptimum extra ordinem, qui impedito alicui ex illis Profeſſoribus ferret ſuppetias. Adjecit & Profeſſorem Botanicæ Practicæ, qui in Horto Medico adoleſcentes harum rerum ſtudioſos in dignoſcendis diſtinguendiſque herbis inſtitueret. Nam olim hoc munere

Digitized by Google

nere ſungebatur idem Profeſsor, qui in Gymnaſio Botanicam edocebat. Nunc præter Profeſſorem Botanicæ, qui quotidie e Cathedra docet vim, uſumque herbarum in Medicis rebus; alter, diebus feſtivis, ut Auditoribus Botanicæ liberum ſit ſe eo conferre, ante oculos ponit ſtirpes ipſas, earumque characteres, quarum nomina, & virtutes audiverant. Ad eam rem Horto huic Medico cultus omnis nobiliſſimus reſtitutus eſt, & quammaxime auctus. Nam ſtirpes plurimæ redditæ ſunt, vel de novo adjectæ, ita ut illarum genera diverſa ad ſex uſque millia enumerentur; atque illarum plurimæ Indicæ, & Africanæ, quæ mille vaſis exceptæ, ſæviente hyeme, diligentiſſime cuſtodiuntur. Univerſæ ſtirpes diſtinctæ ſunt in claſſes, eo ordine, quem tradidit Vir præclariſſimus Joſeph Pitton de Tournefort, Socius Academiæ Regiæ Scientiarum, & in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor Botanicæ, in ſuo Libello de optima methodo inſtituenda in Re Herbaria ad Gulielmum Sherardum. Tum ſtirpium ſemina in armariis ad id conſtructis ſervantur; illarum etiam, quæ iis temporibus vegetare ſolent, cum nullæ habentur Botanicæ exercitationes, caules, & trunci aſſervantur, ut de iis agi poſſit illa quoque tempeſtate, qua minime vireſcunt. His omnibus, juſſu Rectoris, & cura Nicolai de Vecchis Advocati Conſiſtorialis in rei herbariæ incrementum geſtis, BENEDICTI XIV. Summi Pontificis munificentia acceſſit, qui aquæ copiam non exiguam alendis ſtirpibus, nullo ſoluto pretio, conceſſit. Ejuſdem Pontificis imperio Profeſſori Botanicæ practicæ eſt ſtipendium aureorum centum ſupra viginti.

VII. Progredimur ad aliarum artium liberalium Profeſſores. Diſciplinæ Theologicæ utplurimum a quatuor, vel quinque Anteceſſoribus traditæ ſunt: & ſub Gregorio XIII. anno MDLXXVI. Rectore Cæſare de Graſſis occurrunt in Elencho Profeſſores ſacrarum rerum quinque Procuratores generales Dominicanus, Franciſcanus,

Auguſtinianus, Carmelita, Servita. Et ſæpe ex hiſce Ordinibus viri doctiſſimi res Theologicas in Gymnaſio tractarunt. Sub Sixto V. Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. duo fuerunt Profeſſores Theologiæ, quorum unus mane, alter veſpere docebat, tertius circa Sacram Scripturam verſabatur. Atque hi Dominicanus, Franciſcanus, Auguſtinianus. Sed ab anno MDCXXXVI. Urbano VIII. Pontifice, duo etiam diverſis horis matutina, & veſpertina, vacabant interpretandis Sacris Scripturis. Attamen ſub Innocentio X. res ad priſtinum inſtitutum rediit, ut duo Theologiam, tertius Sacram Scripturam tractarent, uſque ad annum MDCLIII. quo acceſſit quartus hora veſpertina Profeſſor Theologiæ Moralis. Verum anno MDCLVIII. Pontifice Alexandro VII. omiſſa Morali Theologia, huic quarto Profeſſori demandatum eſt munus agendi de Controverſiis Dogmaticis. Deinceps, perpetua praxi, duo Profeſſores Theologicis rebus, alter Sacris Litteris, quartus Controverſiis agendis incubuere. Acceſſit quintus pariter ſub Alexandro VII. qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam e Cathedra expenderet. Atque ad noſtra uſque tempora quinque fuerunt in Gymnaſio ſacrarum Diſciplinarum Cathedræ, in quibus totidem ſedebant Profeſſores. Deinde unus, idemque conſtitutus eſt Profeſſor rebus Hiſtoricis ſimul, ac Controverſiis tractandis. Quo munere functus eſt Cæleſtinus Galianus, Vir doctiſſimus, deinde Archiepiſcopus Tarentinus, nunc Theſſalonicenſis, & Magnus Aulæ Neapolitanæ Capellanus. Nuper vero, Rectore Argenvillerio, ut tot, & tantarum rerum, quæ in Hiſtoria Eccleſiæ, & Controverſiis Dogmaticis occurrunt, diligenti tractationi fieret ſatis, rurſus diſſecta ſunt hæc munia, & duobus Profeſſoribus commiſſa. Et Theologia Moralis, quæ ab Alexandri Papæ VII. ætate ſiluerat in Gymnaſio, revocata quoque eſt, ſedemque illam accepit, quam olim Metaphyſica occupabat. Nam tres erant in Gymnaſio Philoſophiæ Profeſſo-

Digitized by Google

feſſores, quorum unus Logicam, alter Phyſicam, tertius Metaphyſicam edocebat. Hæc fuit perpetua Gymnaſii diſciplina. Etſi non raro tradendæ Philoſophiæ plurimi incubuerint. Nec deſuit ab antiquiſſimis temporibus Profeſſor Moralis Philoſophiæ. Hoc munere anno Domini MDLXIII. ſungebatur celeberrimus Marcus Antonius Muretus, Pio IV. Pontifice. Profeſſores vero Logicæ ſæpe ad alia munera litteraria excurrebant, uti Philander Colutius Veliternus, qui ſub Paulo V. & Urbano VIII. Logicam ſimul & Medicinam expendebat. Nuper, eodem Rectore Argenuillerio, res Logicæ, & Mephyſicæ ſimul conjunctæ ſunt, quod ex hujuſce ſæculi ingenio, jam Diſciplinæ illæ ab innumeris tricis, captioſiſque contentionibus, nugiſque expurgatæ ſint, atque eadem fere, vel ſimillima plura complectantur. Igitur ex eadem Cathedra Logica & Metaphyſica traduntur. Inde Profeſſori olim Metaphyſicæ demandata eſt provincia Moralem Theologiam expendendi. Quoad Phyſicam ſpectat, ea olim, ad noſtra uſque tempora ex Ariſtotile, vel Platone hauriebatur. Quoniam vero ætate hac Litteris auſpicatiſſima, Philoſophia Peripatetica ſtomachum movet, ea remota, ſucceſſerunt in ea Cathedra Phyſica Experimenta ad Nevvtoni, aliorumque Recentiorum mentem accomodata. De Profeſſore Rhetoricæ, & Humanitatis diximus Capite præcedenti, duos olim hoc munere functos eſſe, tum unum utramque provinciam adminiſtraſſe, uſque ad Urbanum VIII. qui Rhetoricam ab Humanis litteris ſejunxit. At ab anno MDCXL. ad hæc uſque tempora, unus, idemque Profeſſor Rhetoricis rebus, & Humanis Litteris tradendis incumbit. Orientales Linguas juſſit Clemens V. in Romano Gymnaſio edoceri. Attamen in nonnullis antiquis Profeſſorum Elenchis deſideratur Græcæ Linguæ Profeſſor, fortaſſe, quod id ageret etiam Profeſſor Humanarum Litterarum. Sub Paulo V. Marcus Dobellus Parthus Ara-

bi-

Digitized by Google

bicam Linguam in Gymnaſio tradebat ; & ſub Pontifice Gregorio XV. Victorius Scialach Maronita, qui ſimul Chaldæorum idioma edocebat. Deinceps tres Linguarum Profeſſores fuere, Hebraicis, Græcis, Arabicis ſimul & Chaldaicis litteris tradendis. His quartus adjunctus eſt ſub Innocentio X. anno MDCLIII. qui Syrorum Grammaticam expendebat. Id diu præſtitit Abraham Echellenſis. Hujuſmodi inſtitutum ad hanc uſque ætatem perduravit. Quatuor igitur ſunt in Gymnaſio Profeſſores Linguarum Orientalium, nempe Græci, Hebraici, Arabici, ac Syriaci ſermonis. Sed eorum opera non in ſolis hæret Grammaticis rebus. Nuper enim, Rectore Argenuillerio, illis additum eſt munus agendi de rebus Sacris, atque Liturgicis Orientalium Chriſtianorum. Cum enim ad Catholicæ Fidei incrementum, atque ad Schiſmaticos adducendos in Eccleſiam, Orientales linguæ in Gymnaſium illatæ ſint, perſpectum eſt, ad hunc ſcopum plurimum conferre notitiam ſacrarum rerum, quibus illarum gentium Eccleſiæ utuntur. Pariter Infidelium converſionem juvare plurimum poteſt notitia inſtitutorum, legum, & morum, ſtatuſque eorum Reipublicæ. Et Arabici ſermonis Profeſſor, tum illarum gentium ritus, diſciplinam, doctrinamque exponit; tum Mahumetis Legiſlatoris fabulas, & præcepta refellit. De Mathematicis Diſciplinis jam diximus.

VIII. Tot, tantiſque inſtitutis ad rei litterariæ incrementum videbatur illud deeſſe, ut nempe Profeſſores frequentius, ac diligentius Scholis adeſſent. Hoc quidem negotium arbitrio Rectoris, ac Reformatorum commiſſum fuerat Conſtitutione Leonis X. his verbis: *Tam ipſi, quam cæteri omnes ad legendum in hujuſmodi Scholis pro tempore conducti ſolitis temporibus, & diebus, horiſque ad id eis per Rectorem, & Reformatores præfatos ſtatutis, legitimo impedimento ceſſante, commiſſum ſibi legendi munus obire, & poſt finitas lectiones*

per

Digitized by Google

per aliquod conveniens ſpatium circulos in iiſdem Scholis tenere debeant. Cum igitur id liberum eſſet, neque certa ſtatutum lege, jam integro anno, paucis dumtaxat menſibus, paucisque diebus Profeſſores pulpita aſcendebant. Cui incommodo ut occurreret Innocentius XII. decrevit, ut Profeſſores Inſtitutionum Juris Sacri ſive Civilis quotidianam operam in Scholis publicis præſtarent. Id etiam injunctum fuit Profeſſoribus Inſtitutionum Medicinæ. Quapropter ad noſtra uſque tempora Profeſſores diſtinguebantur in tres Ordines. Alii dicti ſunt Quotidiani a quotidianis eorum Lectionibus, exceptis feſtivis diebus, & Jovis die, atque in hac erant claſſe ſoli Profeſſores Inſtitutionum Juris, & Medicinæ. Alii dicti ſunt Ordinarii, quibus docendum erat in nonnullis dumtaxat diebus, ac menſibus. Alii dicti ſunt Extraordinarii, quorum Lectiones dumtaxat in diebus feſtivis, dieque Jovis audiebantur. Horum antiqua eſt in Gymnaſio inſtitutio. Nam in omnibus Profeſſorum Elenchis occurrunt Profeſſores extra ordinem cujuslibet Diſciplinæ, diebus feſtivis. Sub Paulo III. hanc ſedem obtinuit Profeſſor Simplicium Medicamentorum. Et Hiſtoria Eccleſiæ cum primum ab Alexandro VII. in Gymnaſium illata eſt, uſque ad hanc ætatem, tractabatur iis diebus, quibus ſiluiſſent cæteri Profeſſores. Tandem lege BENEDICTI XIV. Summi Pontificis, in memorato Chirographo expreſſa, ſublata eſt hæc Profeſſorum diſtinctio, juſſique omnes, ſingulis diebus, demptis feſtivis, exceptoque die Jovis, e Cathedra docere. Itaque a die ſexta Novembris, cum auſpicantur Lectiones, uſque ad diem vigeſimam Julii, cum feriandi tempus ſuccedit, Profeſſores univerſi quotidie pulpita aſcendunt. Adhuc tamen nonnulli, ſilentibus dumtaxat cæteris, verba faciunt. Et ne unus in alterius meſſem excurrat, vel inutilibus rebus occupetur, vel ne actum agat, Rector, ſingulis Profeſſoribus indicit rem eo anno pertractandam.

De-

Digitized by Google

Denique, ut ne officio ſuo Profeſſores, vel Auditores deſint, tum ſæpiſſime Monitor, ſeu Bidellus Scholas adit, exploratque, an recte ſe habeant omnia, ut Rectorem harum rerum conſcium faciat; tum Rector ipſe, vel Advocatus aliquis Conſiſtorialis in hujus curæ partem adſcitus, quandoque, & inopinato, ſe ad Scholas confert, auditque differentes Profeſſores. Quod ſi quis nec ægra valetudine, nec conſenſu Rectoris, nec æqua de cauſa, ſtatis diebus, & horis, deeſſet Scholis, hunc detracta ſalarii parte, quæ reſpondet diebus illis, in quibus nulla fuit in Gymnaſio illius opera, decrevit Pontifex puniendum.

IX. Olim Profeſſores publici poſtquam annis viginti in tradendis Diſciplinis meruiſſent, rude donabantur, uti de Quintiliano diximus. Diximus, etiam lege Antonini Imperatoris Cod. Lib. v. Tit. LV. qui viginti annorum ſtipendia acceperant, dictos eſſe veteranos, & in Cod. Juſtin. Lib. XII. Tit. XV. publicos Profeſſores Regiarum Urbium, poſt viginti annorum operam, Comites primi Ordinis evaſiſſe. Reſtituto a Pontificibus Gymnaſio, vacatio muneris antiquis Profeſſoribus conceſſa eſt arbitrio Pontificis, ſuffragioque Rectoris. Teſtis eſt Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca, Cæſarem Valentinum Romanum, poſtquam annis vigintiquinque Jura docuiſſet, tunc demum obtinuiſſe vacationem muneris, ut nihil tamen de ſalario deperderet, ſed integrum ad finem uſque vitæ perciperet. Julium quoque Benignum vigintiquinque annorum Profeſſorem, rude donatum, idem Janus Nicius teſtatur. Iſque Archiepiſcopatu Theſſalonicenſi auctus adhuc ſtipendium aureorum octingentorum percipiebat, uti patet ex adductis litteris Urbani Papæ VIII. quibus Auguſtinum Maſcardum conſtituit Rhetoricæ Profeſſorem. In Elenchis tamen ſæpe occurrunt Profeſſores, qui annos ultra triginta in munere litterario impenderant. Et mos erat, ut vel ætate graves, vel infirma valetudine, vel antiquitate muneris bene me-

riti

Digitized by Google

riti offerrent Pontifici ſupplices libellos, ut a Scholis ceſſarent, ſalvo ſtipendio. Pontifex vero, interpellato ſuffragio Rectoris, illorum votis annuebat. Quoniam vero res iſtæc nullis erat certis limitibus circumſcripta, non ſemel, qui exiguam, vel etiam nullam operam in Gymnaſio impenderant, rude, & ſtipendio donati ſunt, magno cum aliorum Profeſſorum detrimento, quibus deperditum fuerat, quod fictitiis illis veteranis, ac nomine tenus Profeſſoribus ſolvendum erat. Ita publica pecunia litterariis laboribus addicta in otioſorum hominum commodum projiciebatur. Hanc corruptelam Glorioſiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in memorato Chiropraпho e medio ſuſtulit. Decrevit enim has conditiones ad vacationem muneris obtinendam. Qui annis quadraginta in publicis Cathedris docuerit, ceſſet a munere, & integrum percipiat illud omne ſtipendium, quod ei ſolvebatur, quoad in vivis fuerit. Qui annos triginta in exercendo munere litterario compleverit, ſi vacare velit, ſtipendium quidem accipiat, ſed detractis aureis ſexaginta, Profeſſori illi ſolvendis, qui in ejus locum ſucceſſerit. Qui annorum dumtaxat viginti Profeſſor fuerit, ſi velit rude donari, dimidium ſtipendii ſui ſibi dumtaxat vindicet. Qui nondum annis viginti in Gymnaſio meruerit, ſi velit a Scholis abſtinere, nullum omnino ei debeatur ſtipendium.

X. Cum vero omnia, quæ dicta ſunt, ſpectent non ſolum ad rei litterariæ utilitatem, ſed etiam ad dignitatem Profeſſorum Urbis, non abs re erit, ſi pauca de eorum præſtantia ſubnectamus. Dignitatem Profeſſorum Urbis conſtituit primo, extollitque dignitas loci, ubi docent, in Urbe ſcilicet olim totius Romani Imperii, deinde totius Chriſtianæ Eccleſiæ principe. Quemadmodum etiam Magiſtratus omnes ſive Civiles, ſive Eccleſiaſtici, qui jus dicunt in Civitatibus, quæ Provinciarum, vel Regnorum ſint metropoles, majorem obtinent dignitatem,

tem, & auctoritatem. Hinc Innocentius VII. in Diplomate adducto Cap. VII. hujus Libri, ait: *Quodſi quis eſt qui putet ipſum locum in quo ſtudetur, atque proficitur auctoritatem quamdam hominibus afferre, is conſiderare debet hujus Inclytæ Urbis incomparabilem excellentiam, nulla enim eſt Urbs in toto Orbe Terrarum, quæ magis illuſtris, magiſque magnifica ſit, & in qua hæc ipſa ſtudia, quæ nos reducere intendimus diutius floruerint.* Nam & hoc etiam auget dignitatem Profeſſorum Urbis, quod ibi doceant, ubi Litteræ diu, & plurimum viguere. Præſertim vero Jurisprudentia, & Latinæ Litteræ ex Urbe ad Occidentem omnem commigrarunt. Græcæ vero in Urbe præcipuam ſedem collocarunt. Hinc undique & Philoſophi, & Adoleſcentes ad Urbem veluti Studiorum matrem confluxerunt. Ex quo potiſſimum momento Jacobus Middendorpius in libello Academiarum totius Orbis probat: *Perquam honeſtum ſemper fuiſſe Romæ vel docuiſſe, vel ſtuduiſſe. Sicut olim honeſtiſſimum erat Athenis operam litteris dediſſe, ita poſtquam ex Ægipto & Græcia Muſæ Romam immigrarant, inter celebria, maximeque honorata ponebatur, ſi quis Romæ bonas litteras docuiſſet, percepiſſetque.* Tertio ex antiquitate Romanæ Academiæ, ejus Profeſſorum excellentia comprobatur. Certum enim eſt, prima Romanæ Academiæ initia repetenda eſſe a Veſpaſiano, Adriano, Alexandro Severo, & Marco Aurelio Antonino Imperatoribus, qui ſtipendia, & Auditoria Profeſſoribus bonarum artium decreverunt. Adhæc Romana Academia ſingulari jure dicebatur Imperatoris, uti in adducta Lege Thedoſii Imperatoris, ubi dicitur. *Auditorium noſtrum.* Deinde vero Urbis imperio ad Romanos Pontifices translato, ſingulari quoque jure eſt Univerſitas Romani Pontificis, Sediſque Apoſtolicæ. Ac pluribus diximus Cap. V. hujus Libri, eam olim, diuque dictam fuiſſe *Univerſitatem Sacri Palatii*. Jam vero ſi nobiliſſimæ quædam Europæ

ropæ Univerſitates, Pariſienſis, Oxonienſis, Salamantina, Bononienſis, ut ſibi majorem dignitatem, auctoritatemque conciliarent, ſe ſe commiſerunt tutelæ Sedis Apoſtolicæ, atque hoc etiam nomine cæteris aliis præcelluerunt, quanta erit dignitas Romanæ Academiæ, quæ eſt ipſa Univerſitas Apoſtolicæ Sedis? Præterea Profeſſores Urbis majoribus cumulati fuere privilegiis, atque ab aliis diſtincti. Nam cum alii Profeſſores minime excuſarentur a muneribus, ſi alibi, quam in Patria docerent, Profeſſores tamen Urbis, etſi exteri, hac immunitate fruebantur Legibus Severi, & Antonini, uti teſtatur Modeſtinus Lib. XXVII. Digeſtorum, Titulo X. *De excuſationibus*, ac diximus Cap. II. hujus Libri. Tum etiam Profeſſores Regiarum Urbium donabantur Comitiva primi Ordinis, atque Vicariis adæquabantur. A Romanis vero Pontificibus collata ſunt Profeſſoribus Urbis, tum privilegia plurima, tum illa omnia, quæ aliarum Univerſitatum Profeſſoribus eſſent conceſſa. Neque omittendum eſt, olim auctoritate Imperatoris, Romanique Senatus, deinde vero, & noſtris quoque temporibus ſuffragio Romani Pontificis, Profeſſores Urbis in publicis Cathedris collocari. Denique ex hoc Ordine quamplures Cardinales, Epiſcopi, Scriptores, virique clariſſimi fuere. Quapropter jure, meritoque, uti ait Middendorpius, Cælius Rhodoginus Zachariam Rhodoginum felicem eſſe dicebat, quod ipſi in hac ſuprema, & omnium celeberrima Academia profiteri contigiſſet, atque ex hoc loco celeberrimo auctoritatem caperet.

XI. Nunc de ordine, quem inter ſe ſervant Profeſſores Gymnaſii Romani, aliqua ſubjiciamus. Perpetuo, & antiquiſſimo Gymnaſii uſu, ordo dignitatis Profeſſorum, neque a ſingulorum privatis titulis, ſeu gradibus, neque ab ætate, neque a diuturniori in Scholis publicis opera, neque a majori Lectionum numero, neque ex aliquo privilegio, ſed ex Diſciplinarum, quas ſinguli pro-

Digitized by Google

ſitebantur, genere, deſumi conſuevit. Itaque primum locum ſemper occuparunt Profeſſores ſacrarum rerum, ſecundum Profeſſores Juris Canonici, tertium Profeſſores Juris Civilis, quartum Profeſſores Medicinæ, quintum Profeſſores Philoſophiæ, ſextum Profeſſores Rhetoricæ, & Humanarum Litterarum, ſeptimum Profeſſores Linguarum. Hoc ordine deſcripti ſunt in omnibus antiquis Elenchis. Nam in hiſce Tabulis quidem eorum nomina deſcribuntur, eodem ordine, quem ſervant in publicis Functionibus. Et hinc ubi ſtatutum fuit a Collegio Advocatorum Conſiſtorialium, ut Profeſſores Ordinarii Medicinæ præcederent Profeſsores extra ordinem, additum fuit Decreto, *& ita in Rotulis faturis inſcribi*. Hunc vero Diſciplinarum, & Profeſſorum ordinem æque, ac convenienter inductum eſſe, probant ea, quæ tradit Caſſanæus Decima Parte Catalogi Gloriæ Mundi. Ibi enim Conſid. 10. pluribus probat inter omnes litteratos omnibus præferendos eſſe Theologos. Tum Conſid. 17. pluribus argumentis oſtendit, ſcientiam Juris Canonici cæteris poſt Theologiam digniorem eſſe, præſertim vero ſcientia Juris Civilis. Deinde Conſid. 19. ait, ſcientiam Juris Civilis excellere inter alias ſcientias, & diſciplinas. Et Conſid. 25. fuſe diſputat, probatque Juriſconſultos eſſe Medicis præferendos. In ſequentibus vero Conſiderationibus agit de nobilitate & præcellentia Medicinæ, Philoſophiæ, Rhetoricæ, Grammaticæ, & Matheſeos. Quoniam vero genus quodlibet Diſciplinarum plures complectitur ſpecies, pluresque Profeſſores, hinc eorum is ordo obtinuit in Gymnaſio Romano, ut ex Profeſſoribus ſacrarum rerum primus eſſet, qui Theologiam, ſecundus, qui Sacram Scripturam interpretabatur. Ex Profeſſoribus Jurium, ultimi fuere Profeſſores Inſtitutionum. Ita quoque in Medicina, & hi præferebantur iis, qui Anatomen, & Simplicia Medicamenta tractabant. In Philoſophicis rebus hoc ordine proceſſerunt: Pro-

Profeſſor Metaphyſicæ, Philoſophiæ naturalis, Philoſophiæ moralis, Matheſeos, & Logicæ. Hos ſequebantur Magiſter Eloquentiæ, & Profeſſor Humanarum Litterarum. Claudebant agmen Profeſſores Linguarum, inter quos Magiſter Hebræi ſermonis diu primum locum occupavit. Cæterum non raro excitatæ ſunt controverſiæ de loco dignitatis, quem quiſque obtineret, hæque judicio, & ſententia Rectoris, aut Collegii Advocatorum Conſiſtorialium definiebantur. Ita cum Profeſſores Ordinarii Medicinæ Profeſsoribus extra Ordinem præferri contenderunt. De qua re legitur in Libris Camerariatus Collegii fol. 746. die XII. Octobris anno MDCLXIV. Rectore Petro Franciſco de Rubeis, ut convenerint ſimul Advocati Conſiſtoriales *pro decidenda controverſia exorta occaſione præcedentiæ inter Trullium Chirurgiæ, & Anatomiæ, necnon Sinibaldum Simplicium Medicamentorum in Romana Univerſitate Profeſſores ex una, atque Caporipam, & Manfredum Medicinam extra ordinem ſupra numerum in eadem Univerſitate profitentes ex altera, re mature diſcuſſa decreverunt, attenta conſuetudine hujus Univerſitatis ſupra centum annos authenticis ipſius Archigymnaſii documentis comprobata, cui affinis eſt obſervantia Studii Patavini, præfatos Trullium, & Sinibaldum præcedere debere in omnibus actibus ad dictam Univerſitatem ſpectantibus dictos Caporipam, & Manfredum tamquam Profeſſores extraordinarios adſcitos ultra numerum, & ita in Rotulis futuris inſcribi, & in libro Actorum Collegii per modernum Camerarium adnotandum eſſe*. Et cum Alexander VII. novam ſtatuit Cathedram Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, eique Franciſcum Macedo præfecit, is libellum ſupplicem obtulit Collegio, ut novæ huic Cathedræ locum concederent, qui tantæ Diſciplinæ conveniret. Pariter hujus ſæculi initio Didacus Aghirre primarius Juris Civilis Profeſſor ſibi primum locum poſt primarium Juris Canonici Profeſſo-

Digitized by Google

feſſorem deberi contendit, reſque hæc definita eſt ſuffragiis Advocatorum Conſiſtorialium. Nuper vero, cum Juriſprudentiæ, & Medicinæ Anteceſsoribus ſtatuta fuerint eo majora ſtipendia, quo diutius in Gymnaſio docuiſſent, ſtatutum quoque eſt, ut in illorum Ordine antiquiores præcederent recentiores. Itaque is ordo eſt Profeſsorum Urbis, quo ſedent in publicis Functionibus. Profeſsor Theologiæ ad mentem S. Thomæ, Profeſsor Theologiæ Scoti, Profeſsor Sacræ Scripturæ, Profeſsor Controverſiarum, Thologus Moralis, & qui expendit Hiſtoriam Eccleſiæ. Sequuntur Juriſconſulti, ſervato inter ſe ordine antiquitatis in munere litterario. Poſt hos ſedent Medicarum rerum Magiſtri pariter ſervato ordine antiquitatis. Et huic Claſſi adjunguntur Profeſsores Chemiæ, & Botanicæ Practicæ. Tum locum occupant cæterarum artium Profeſsores, Metaphyſicæ, Phyſicæ, Ethicæ, Matheſeos, Rhetoricæ, & Linguarum (ſimul ac rerum Liturgicarum) Hebraicæ, Græcæ, Syriacæ, Arabicæ.

XII. Supereſt tandem ut totius rei litterariæ ordinem in Gymnaſio Romano deſcribamus. Habet Gymnaſium Profeſsores viginti ſeptem, qui actu, qui quotidie præſtant operam ſuam in tradendis liberalibus Diſciplinis. Sex Jura interpretantur, totidem vacant Medicis rebus, reliqui quindecim tractant cæteras artes liberales. Scholæ patent tribus horis matutinis, ac duabus veſpertinis; & in hiſce horis Profeſsores alii aliis ſuccedentes in publica pulpita aſcendunt. Itaque prima hora matutinu Profeſsoribus Inſtitutionum Juris Civilis, Inſtitutionum Medicinæ Theoricæ, Metaphyſicæ ſimul & Logicæ, Theologiæ, Græcique ſermonis, docendum eſt. Hos ſequuntur ſecunda hora matutina Profeſsores, qui de Pandectis, de elementis Botanicæ, de Phyſicis rebus, de aliquo Tractatu Juris Civilis, & Medicinæ Theoricæ, deque Sacra Scriptura agunt. Quibus ſuccedunt tertia hora

hora matutina Profeſsores tractantes Criminalia negotia, Inſtitutiones Anatomiæ, Elementa Mathematicæ, Rhetoricam, Ethicam, atque Hiſtoriam Eccleſiæ. Hoc ſane ordine iidem Auditores Juriſprudentiæ, auditis prima hora Inſtitutionibus, ad Pandectarum ſtudium ſecunda hora ſe conferunt, vel ad aliquem Juris Civilis Tractatum addiſcendum; deinde tertia hora poſſunt, ſi velint, Criminalibus rebus vacare. Pariter ei, qui prima hora Scholam adit Theologiæ, ſucceſſivis horis, patent Scholæ Sacræ Scripturæ, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Et qui Medicas Inſtitutiones primum audiuerunt, ab audiendis deinde Medicina Theorica, vel Botanica, & Anatomia minime prohibentur. Tandem liberum cuique adoleſcenti eſt, a Logicis & Metaphyſicis rebus ad Phyſicas, & Mathematicas commigrare. Is idem eſt ordo rei horis pomeridianis. Nam prima hora veſpertina docentur e Cathedra Inſtitutiones Juris Canonici, Inſtitutiones Medicinæ Practicæ, Grammatica Syrorum ſimul & Liturgia, & Arabum Grammatica. In ſecunda hora veſpertina ſtationem habent in Gymnaſio, qui Decretum Gratiani, Medicinam Practicam, Mathematicam, Chemiam, Moralem Theologiam, Hebræorum ſermonem tradunt. Quapropter, integrum eſt Auditoribus, ſimul Inſtitutionibus Juris Canonici, & Decreto Gratiani incumbere; vel Medicinæ practicæ, ejuſque Inſtitutionibus. Hi Profeſſores omnes, exceptis feſtis diebus, demto etiam Jovis die, diſſerunt e Cathedra. Præter hos ſunt alii duo, qui in Gymnaſio verba faciunt iis diebus, quibus cæteri feriantur, Profeſſor Theologiæ Scotiſticæ, & Profeſsor Controverſiarum. Iiſdem diebus, Profeſsor Botanicæ practicæ, ſtatis temporibus, indicat in Horto Medico charecteres herbarum, de quibus diſſerentem Profeſsorem in Gymnaſio adoleſcentes audiverunt. Pariter iis diebus, quibus cæteri Profeſsores a Scholis abſtinent, Profeſsor Anatomiæ in Theatro Ana-

Anatomico diſsectas humani corporis partes ante oculos ponit, ac examini ſubiicit. Præterea qualibet hebdomada diebus Mercurii, & Sabbathi ſecunda hora veſpertina in Theatro Chymico habentur Chymica experimenta. Tum etiam bis in menſe, die Sabbathi, ſecunda hora matutina, in Theatro Phyſico Profeſſor incumbit faciundis Phyſicis experimentis. Ad hæc litteraria miniſteria, habet Gymnaſium ſuppellectilem omnem, & inſtrumentum omne, quod neceſſe eſt, diligentiſſime elaboratum, Chymicis, Phyſicis, Mathematicis, Anatomicis operationibus aptiſſimum. Singulis annis, die decima octava Octobris, quæ S. Lucæ feſtiva eſt, ex antiquiſſimo more conveniunt in Gymnaſium Profeſsores Rector, Advocatique Conſiſtoriales, & Sacro celebrato, legitur e pulpito Catalogus Profeſſorum, & Edictum Rectoris pro recta Studiorum ordinatione. Hujus Edicti ſumma hæc eſt. I. Ut ſingulis diebus, cum Lectiones habentur, celebretur Sacrum in Eccleſia Gymnaſii, ut ei Profeſſores, Auditoreſque adeſſe poſſint. II. Monet, & hortatur Profeſsores, Auditoreſque, ut Euchariſticam menſam frequenter adeant, atque honeſte vivant. III. Jubet, in Scholis, totoque Gymnaſio univerſos modeſte, urbane, liberaliterque ſe gerere, præſertim vero a Diſcipulis ſuos coli Inſtitutores. IV. Arcet, prohibetque a toto Gymnaſio ludos omnes, clamores, ſcommata, & alia hujus generis, quæ non decent loci majeſtatem. V. Pariter vetat armis cujuſuis generis munitos Scholas adire; & mutuis conviciis, vel ictibus contendere, ſive decertare. VI. Ne perditi adoleſcentes violent Gymnaſii ſanctitatem, mandat, ut nullis liberum ſit ad Jurium, vel Medicinæ ſtudia ſe conferre, niſi a Rectore veniam impetraverint. VII. Ut inferiores Gymnaſii Miniſtri caveant, ſtudeantque, ne Profeſsores a Scholis habendis perturbentur, & ne quid ſit in Gymnaſio indignum, inhoneſtumque. VIII. Ut ne eorum ædes aliis locentur, vel

Digitized by Google

vel vacationum tempore, Scholæ aliis uſibus occupentur. IX. Ut qui violaverint hæc Statuta, pœnis ſint afficiendi. X. Ut Profeſſores, ſtatis diebus, & horis, non deſint officio ſuo, hortatur, atque mandat. XI. Qui vero defuerint, eos ſtatuit puniendos, detracta ſalarii parte. XII. Puniendos quoque decernit Profeſſores, qui nec ſeptem habeant Auditores. XIII. Quæ omnia, ut perſpecta ei ſint, jubet, Bidellum ſingulis horis circumire Scholas omnes, atque negligentes, inutileſque Profeſſores Rectori indicare. XIV. Edicit, ex ægra valetudine dumtaxat fas eſſe Profeſſoribus a Scholis abeſſe, non vero ex aliis officiis, negotiiſque, quibus non debuiſſent ſe ſe implicare. XV. Fas non eſſe Profeſſori impedito vices ſuas alteri demandare, cum id ſpectet ad Rectorem. XVI. Denique indictis pœnis, mandat, ne quis in Urbe, ſive privatim, ſive publice, ludum litterarium inſtituat: *Poſtremo idem Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Rector præcedentia Edicta confirmando, ac renovando, omnibus, & ſingulis cujuſcumque conditionis, ordinis, ac profeſſionis diſtricte præcipit ſub pœna ducentorum aureorum Locis Piis applicandorum, irrogatæ infamiæ, & perpetui ab Urbe exilii, ne quiſquam publice, aut privatim, etiam in aliquo Sacrario, vel alibi docere, Scholam aperire, aut Scholares apud ſe diſcendi cauſa in contubernio habere audeat, vel præſumat, niſi prius eidem D. Rectori ſe præſentaverit, ejuſque, vel alterius ab eo deputati examini ſe ſubjecerit, & coram præfato D. Rectore ſolitam Chriſtianæ Fidei profeſſionem emiſerit, ut expreſſis verbis diſponitur in Conſtitutione 88. ſan. mem. Pii IV., ac denique ab ipſo D. Rectore, ad quem privative pertinet, facultatem docendi per literas, quas vocant patentes, quotannis renovandas, obtinuerit: Unuſquiſque autem eorum indicem Tabellam præ foribus habeat, qua inſtitutum ſuum profiteatur, in primis vero meminerit, ut præter res literarias, ea,*

Pp *quæ*

quæ ad doctrinam Chriſtianam pertinent, Scholares diligenter edoceat juxta formam dictarum Patentium, aliaque adimpleat, ad quæ ex proprii muneris ratione, atque ex ejuſdem D. Rectoris Edictis tenetur.

Similiter nemo audeat ſine expreſſa ipſius Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Rectoris licentia, quolibet anno per eum renovanda, Jus Canonicum, aut Civile, vel quæ ſunt Artis Medicæ extra Romanum Archigymnaſium, Hortumque Medicum, privatim, vel publice, legere, docere, aut quocumque alio modo explicare, Diſputationes, aut Concluſiones inſtituere, vel ſubſtinere, ſub pœnis, quæ in antedictis præcedentibus Edictis continentur, & aliis arbitrio ejuſdem. Illudque unum præ cæteris inculcatur, ut nemo imprimere audeat, aut imprimi faciat, ſuſtineat, aut diſtribuat, ſive in Archigymnaſio, ſive alio quovis loco Concluſiones vel Diſputationes Juris, niſi prius ab Illuſtriſs. & Reverendiſſimo D. Rectore licentiam inſcriptis obtinuerit, prævio examine, & approbatione, ſub pœnis indictis, aliiſque etiam gravioribus arbitrio ejuſdem Domini Rectoris. Hoc Edictum, & Catalogus Profeſſorum promulgantur die 18. Octobris; ſingulique donantur Calendario, ubi deſcripti ſunt dies omnes docendi, & feriandi. Sed nonniſi die 25. Novembris, quæ Sanctæ Catharinæ Virgini Alexandrinæ eſt ſacra, in aula Gymnaſii habetur ſingulis annis Oratio pro Studiorum inchoatione. Attamen a die ſexta Novembris auſpicantur Lectiones, & ad diem uſque vigeſimam primam Julii, navant operam ſuam Profeſſores. Atque is eſt ordo rei litterariæ in Gymnaſio Romano, BENEDICTO XIV. Pontifice, Clemente Argenuillerio Rectore. Quod diu, quod plurimum Eccleſiæ, Urbi, ac bonis artibus ſit fauſtum, felix, fortunatumque.

DE.

Digitized by Google

DE PROFESSORIBUS
GYMNASII ROMANI
LIBER SECVNDVS
CAPUT I.
PROFESSORES RHETORICÆ, ET HUMANITATIS.

NICOLAUS PEROTTUS dicitur a Jovio, aliiſque Saxoferratenſis in Umbria. Quare a Toppio in Bibliotheca diſſentit in additionibus Nicodemus quod illum dixerit natum Cavelli prope Capuam. Vir fuit in Sacris Scripturis, Theologia, Græcis, Latiniſque litteris verſatiſſimus. Romæ uſus eſt patrocinio Cardinalis Beſſarionis, docuit in publicis Scholis Humaniores Litteras, uti narrat Alexander ab Alexandro L. IV. Cap. VI. Genialium dierum. Polybium, alioſque Græcos Latinitate donavit. Martialem Scholiis illuſtravit. Scripſit Commentarios Latinæ Linguæ, Rudimenta Grammaticæ, de Metris, de conſcribendis epiſtolis, & alia plura. Anno MCDLVIII. creatus eſt Archiepiſcopus Sipontinus. Umbriam, Tuſciamque adminiſtravit. Bononiæ inſignem Orationem habuit de laudibus Friderici III. Imperatoris, cui fuerat a Conſilio, & ab eo donatus corona laurea. Obiit ruri prope patriam anno Domini MCDLXXX. De eo Jovius in Elogiis, Volaterranus in Anthropol. Jaco bus Bergomenſis Lib. XV. Suppl. Chron. Ughellius in Italia Sacra, Morerius, Voſſius, aliique.

Do-

Domitius Calderinus e Calderia Oppido Veronenſis agri docuit in Scholis Urbis tanta gloria, ut, teſte Paulo Jovio, omnis obſcuritatis illuſtrator fuerit acclamatus. Verum editis interpretationum Commentariis peracerbas cum æmulis ſimultates exercuit, quod nimis aculeato dicendi genere uteretur. Perotto infenſus fuit. De qua re Alexander ab Alexandro Lib.4. Cap.21. *Nicolaus Perottus Sipontinus Præſul homo fuit accurato ingenio, & lectione multa exercitus: eum Domitius Calderinus, vir ut in ea tempeſtate, doctus, & æmulatione doctrinæ, & morum diſſimilitudine oſum habebat; jurgiiſque, & conviciis apud ſuos ſectatores plerumque inceſſebat, ſæpiuſque apud Studioſos in invidiam illum crimenque vocabat: & ut ſunt fere ingenia in explicandis auctoribus, ſi quid in controverſiam veniret, uterque potius, quo pacto diverſus ab altero diſſentiret, quam quid veræ lectionis eſſet, rimabatur. Cum autem in Scholis Romæ, eodem tempore, Martialis apophoreta publice lectitarent, cujus hoc diſticon fuit.*

In pretio ſcopas teſtatur palma fuiſſe
Ocia ſed ſcopis nunc analecta dabunt.

ita iſtos verſus uterque interpretatus eſt, ut poſt multa deblatterata verba vix aliquem ſenſum illorum ex dictis elicere queas. Tum dat ipſe interpretationem; Martialem nempe analectorum nomine indicaſſe purgamenta cœnarum in pavimento ex teſtulis confecto depicta, quæ cum ſolo hæreant, ocia dant ſcopis. Calderinum ætate, & laude florentem rapida febris eripuit. Funus Romana Academia celebravit, teſte Jovio in elogiis. Volaterranus Lib. 21. Anthropol. refert obiiſſe Calderinum natum annis triginta, ex peſtilentia, atque fuiſſe Apoſtolicum Secretarium.

Laurentius Valla Romanus, Canonicus Baſilicæ Lateranenſis, natus eſt anno MCDXV. Unde fallitur Trithemius in libro de Script. Eccleſ. aſserens *hunc Gram-*

Digitized by Google

Grammaticorum Principem, *Philoſophum*, *Rhetorem*, *& Theologum præſtantiſſimum*, *ingenio ſubtilem*, *acrem & vehementem*, *Latinam eloquentiam Græcæ præferentem claruiſſe in Concilio Conſtantienſi* anno MCDXIV. celebrato. Cum eſſet ingenio, & ſtilo acerrimus, plurimorum invidiam in ſe concitavit. Quare Urbe excedens, Neapolim confugit ad Alphonſum Regem doctorum virorum amantiſſimum, iſque quinquagenarius a Valla Latinam Linguam accepit. At rurſus Neapoli novas ſibi conflavit inimicitias; & ſunt qui ſcribunt reum illum heterodoxiæ accuſatum, evaſiſſe rogum patrocinio Regis, ſcopis tamen cæſum, & ad palinodiam coactum. At Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ ſuſpicatur Poggium, qui primus hæc narrat, hanc contumeliam Vallæ affinxiſſe, quod veriſimile non ſit tantum virum, in tanta Regis gratia, publico ſupplicio affectum. Deinde Summi Pontificis Nicolai V. gratiam ſibi conciliavit, a quo donatus eſt ſtipendio, & Cathedra, & officio Scriptoris Apoſtolici, in quo munere obiit quinquagenarius, anno MCDLXV. uti ex ejus epitaphio apud Fabricium, & Voſſium de Hiſtoricis Latinis. Videtur Vallæ ad Urbem reditus contigiſſe anno MCDLI. cum ei hoc anno Philelphus Mediolani agens ſcripſerit his verbis: *Audio te reliquiſſe Alphonſum Regem*, *& eſſe Romæ*. *Nec dubito*, *te nihil pro tua prudentia feciſſe temere*. *Miror autem cum ab Alphonſo honorifice*, *& ut accepi*, *commode tractareris*, *quid Romæ*, *quam Neapoli hoc tempore vitam agere malueris*, *præſertim cum non ſis neſcius*, *quos fluctus navigaturus ſis*. Scripſit Valla de elegantia Latinæ Linguæ, de Dialectica libros tres, de Voluptate & vero bono libros tres, & alia, quæ recenſet Oudinus. Plura de Valla habent Bayle in Dict. Hanckius de Rom. rer. Script. Brucherus in Hiſt. Philoſ. Voſſius aliique.

Enoch Asculanus inſignis Rhetoricæ, Græcæ, & Latinæ Linguæ Profeſſor, a Nicolao V. Pontifice Ro-

Domitius Calderinus e Calderia Oppido Veronenſis agri docuit in Scholis Urbis tanta gloria, ut, teſte Paulo Jovio, omnis obſcuritatis illuſtrator fuerit acclamatus. Verum editis interpretationum Commentariis peracerbas cum æmulis ſimultates exercuit, quod nimis aculeato dicendi genere uteretur. Perotto infenſus fuit. De qua re Alexander ab Alexandro Lib.4. Cap.21. *Nicolaus Perottus Sipontinus Præſul homo fuit accurato ingenio, & lectione multa exercitus: eum Domitius Calderinus, vir ut in ea tempeſtate, doctus, & æmulatione doctrinæ, & morum diſſimilitudine oſum habebat; jurgiiſque, & conviciis apud ſuos ſectatores plerumque inceſſebat, ſæpiuſque apud Studioſos in invidiam illum crimenque vocabat: & ut ſunt fere ingenia in explicandis auctoribus, ſi quid in controverſiam veniret, uterque potius, quo pacto diverſus ab altero diſſentiret, quam quid veræ lectionis eſſet, rimabatur. Cum autem in Scholis Romæ, eodem tempore, Martialis apophoreta publice lectitarent, cujus hoc diſticon fuit.*

In pretio ſcopas teſtatur palma fuiſſe
Ocia ſed ſcopis nunc analecta dabunt.

ita iſtos verſus uterque interpretatus eſt, ut poſt multa deblatterata verba vix aliquem ſenſum illorum ex dictis elicere queas. Tum dat ipſe interpretationem; Martialem nempe analectorum nomine indicaſſe purgamenta cœnarum in pavimento ex teſtulis confecto depicta, quæ cum ſolo hæreant, ocia dant ſcopis. Calderinum ætate, & laude florentem rapida febris eripuit. Funus Romana Academia celebravit, teſte Jovio in elogiis. Volaterranus Lib. 21. Anthropol. refert obiiſſe Calderinum natum annis triginta, ex peſtilentia, atque fuiſſe Apoſtolicum Secretarium.

Laurentius Valla Romanus, Canonicus Baſilicæ Lateranenſis, natus eſt anno MCDXV. Unde fallitur Trithemius in libro de Script. Eccleſ. aſſerens *hunc Gram-*

Digitized by Google

Grammaticorum Principem, *Philoſophum*, *Rhetorem*, *& Theologum præſtantiſſimum*, *ingenio ſubtilem*, *acrem & vehementem*, *Latinam eloquentiam Græcæ præferentem claruiſſe in Concilio Conſtantienſi* anno MCDXIV. celebrato. Cum eſſet ingenio, & ſtilo acerrimus, plurimorum invidiam in ſe concitavit. Quare Urbe excedens, Neapolim confugit ad Alphonſum Regem doctorum virorum amantiſſimum, iſque quinquagenarius a Valla Latinam Linguam accepit. At rurſus Neapoli novas ſibi conflavit inimicitias; & ſunt qui ſcribunt reum illum heterodoxiæ accuſatum, evaſiſſe rogum patrocinio Regis, ſcopis tamen cæſum, & ad palinodiam coactum. At Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ ſuſpicatur Poggium, qui primus hæc narrat, hanc contumeliam Vallæ affinxiſſe, quod veriſimile non ſit tantum virum, in tanta Regis gratia, publico ſupplicio affectum. Deinde Summi Pontificis Nicolai V. gratiam ſibi conciliavit, a quo donatus eſt ſtipendio, & Cathedra, & officio Scriptoris Apoſtolici, in quo munere obiit quinquagenarius, anno MCDLXV. uti ex ejus epitaphio apud Fabricium, & Voſſium de Hiſtoricis Latinis. Videtur Vallæ ad Urbem reditus contigiſſe anno MCDLI. cum ei hoc anno Philelphus Mediolani agens ſcripſerit his verbis: *Audio te reliquiſſe Alphonſum Regem*, *& eſſe Romæ*. *Nec dubito*, *te nihil pro tua prudentia feciſſe temere*. *Miror autem cum ab Alphonſo honorifice*, *& ut accepi*, *commode tractareris*, *quid Romæ*, *quam Neapoli hoc tempore vitam agere malueris*, *præſertim cum non ſis neſcius*, *quos fluctus navigaturus ſis*. Scripſit Valla de elegantia Latinæ Linguæ, de Dialectica libros tres, de Voluptate & vero bono libros tres, & alia, quæ recenſet Oudinus. Plura de Valla habent Bayle in Dict. Hanckius de Rom. rer. Script. Brucherus in Hiſt. Philoſ. Voſſius aliique.

ENOCH ASCULANUS inſignis Rhetoricæ, Græcæ, & Latinæ Linguæ Profeſſor, a Nicolao V. Pontifice Ro-

Digitized by Google

Romam advocatus eſt, ubi Poeticæ, & Rhetoricæ ſive Humanarum Literarum Cathedram accepit, multaſque Epiſtolas, & Orationes compoſuit, uti ſcribit Petrus Angelus Spera in libro de Nobilitate Profeſſorum Grammaticæ, & Humanitatis. Magnam navavit operam Nicolao Pontifici in libris conquirendis, colligendiſque. Morerius in Dict. Lentus de Clar. Aſcul.

Franciscus Philelphus Tolentinas; Græce, Latineque doctiſſimus, poſtquam Byzantii aliquamdiu eſſet diverſatus, ubi uxorem duxit filiam Emmanuelis Chryſoloræ, rediit in Italiam, Legatus Paleologi Imperatoris ad implorandam Chriſtianorum Principum opem. Docuit primum apud Venetos, Florentinos, Senenſes, Bononienſes, Mediolanenſes, publico ſtipendio, Latinas, Græcaſque Litteras. Et ex ejus epiſtolis colligitur præcipuas Italiæ Academias magnis ſtipendiis illius operam vel conduxiſſe, vel exoptaſſe. Uſus eſt gratia, & patrocinio Eugenii IV. Nicolai V. Alphonſi Neapolitanorum Regis, Franciſci Sfortiæ, & Philippi Mariæ Ducis Mediolanenſium. Denique ſenex docuit in publicis Scholis Urbis, magna cum Auditorum frequentia, uti teſtatur Alexander ab Alexandro Lib. 1. Cap. 23. Genialium Dierum: *Franciſcus Philelphus*, ait, *ætatis ſuæ homo doctus, & fortunatus inter ſui ævi Poetas famam carmine primum auſpicatus eſt; a Principibuſque, qui eo tempore floruerunt, magnis honoribus, & re familiari honeſtatus fuit. Cujus vitia ineuntis adoleſcentiæ poſtquam deferbuere cupiditates, cum jam ætate matura ſeneſceret, magnis poſtea virtutibus emendavit. Is cum ævo ingraveſcente celebris famæ haberetur, & Optimatum rogatu, accerſituque Romam adventaſſet, experiri credo, volens, quantum dicendo valeret, Tuſculanas Quæſtiones Ciceronis publice in Scholis legere aggreſſus eſt. Ad eum quotidie concurſus Studioſorum juvenum, & clari nominis Profeſſorum frequens fiebat. Ipſe-*

ſeque inter legendum firma etiam tunc voce, & latere, novis exquiſitiſque Eloquentiæ generibus, præceptiſque diſcipulos imbuebat, exploratoque judicio ſingula dicendi genera, & Philoſophorum ſcita multo cum nitore, & cultu penſitabat, & rimabatur. Eum ego adoleſcentulus ſenem inter cæteros coævos meos colui, & obſervavi. Id contigiſſe videtur vel annis extremis Pii II. vel ſub Paulo II. quo tempore Philelphus ſenium agebat. Et anno MCDLX. adhuc Mediolani docebat, uti ex ejus epiſtolis, quæ editæ ſunt Romæ ineunte hoc ſæculo decimo octavo. Vertit Philelphus e Græco in Latinum Dionis Pruſenſis librum unum, Hippocratis libros de flatibus, & paſſionibus corporis, Rhetoricam Ariſtotelis, & ex Plutarcho nonnullas illuſtrium virorum vitas. Scripſit verſibus Sfortiadorum libros novem, Satyrarum libros ſex, Lyricorum libros ſex, & Græca Carmina plurima. Edidit etiam Conviviorum libros duos, de Pietate librum, de morali diſciplina libros octo, deque vita Nicolai V. libros duos, Epiſtolas, & Orationes plures. Deceſſit nonagenarius Bononiæ, adeo diſſipatis rei domeſticæ copiis, ut, teſte Jovio, ad efferendum funus & cubiculi, & coquinæ inſtrumenta venierint. De eo Jovius in elogiis, Voſſius in libro de Hiſtoricis Latinis, Jacobus Philippus Bergomenſis in Suppl. Chron. lib. 15. Volaterranus Lib. 21. Anthrop. aliique.

POMPONIUM LÆTUM præclariſſimum Laurentii Vallæ diſcipulum Jovius Sanctoſeverinatem in Provincia Salernitana, Volaterranus, & Barrius Calabrum aſſerunt. Paulum II. infenſum habuit cum Platina, & Callimacho. At beneficio Sixti IV. & Innocentii VIII. ſtipendium, & Cathedram Humaniorum litterarum obtinuit. Teſtis eſt Jovius Romanam juventutem tanto ſtudio ad audiendum Lætum confluxiſſe, ut pluribus horis antea præoccuparet ſubſellia; ac in ſuggeſtu ſummam laudem promeruiſſe, quamvis in familiari ſermone bal-

balbutire eſſet ſolitus. Utebatur ſimplici, ac frugali genere vivendi. Domi ſuæ Academiam doctorum virorum inſtituit. De qua re Volaterranus Lib. 21. *Pomponius natione Calaber Græcorum ignarus, tantum antiquarium ſe ſe factitaverat, ac ſi qua nomina exoleta ac portentoſa invenerat, Scholis oſtentabat. Juventutem Romanam erudiit, labore alioquim aſſiduo, noctibus totis vigilabat, libros ipſemet ſcriptitando, ſimul & diſcebat, & proficiebat. Ex ſalario, & diſcipulorum mercedibus parvum agellum, & domunculam in Quirinali ſibi paraverat, ubi ſodalitatem litteratorum, ut ipſe appellabat, inſtituit: in qua Urbis natalem, & Romulum coluit.* Scripſit Compendium Grammaticæ, De Romanis Cæſaribus, De Antiquitatibus Urbis, Vitas Salluſtii, & Statii. Tum alia, quæ typis haud commiſſa fuere. Septuagenarius vivis exceſſit, cum gelidiſſimo vini potu ventriculi calorem oppreſſiſſet. Elatus eſt Auditorum humeris, honeſtante funus familia Alexandri VI. Pontificis, & laudante Marſo Oratore, uti a Jovio narratur. Inopem obiiſſe teſtatur Valerianus. Jacet in Eccleſia S. Salvatoris in Lauro, ejuſque tumulo hæc inſcripta ſunt Carmina.

Hic jacet exigua Lætus Pomponius urna
Cujus honos merito pulſat utrumque polum.
Lætus erat Romæ Vates ſublimis, & idem
Rhetor, nunc Campis Lætior Eliſiis.
Domitius Palladius Poſ.

Ejus vitam ſcripſit Sabellicus diſcipulus. Laudatur a Jovio, Voſſio in libro de Hiſtoricis Latinis, Hanchio, Toppio, & Nicodemo in additionibus ad Toppium.

Porcellius Poeta, teſte Volaterrano, eodem tempore in Urbe profitebatur. De quo ita ait Volaterranus: *Porcellius Poeta Neapolitanus, verum ipſe Romanus dici malebat, ubi vixit, & extinctus eſt admodum ſenex: vir abſque labore, ac doctrina, in Scholis eadem quo-*

quotannis fere & lectitabat, & vernacula lingua enarbat: tantum carmina, quibus omnia referſit natura faciebat, non tam bona, quam facilia, & pene extemporalia. Viro tamen hujuſmodi admirator non defuit Fredericus Urbini Dux, qui res ſuas ab eo conſcribi voluit. Toppius ſcribit, nonnulla Porcellii Carmina Pariſiis edita anno Domini MDLIX. inter Opuſcula Poetarum a Colineo collecta.

CHALCIDIUM quoque hoc tempore Profeſſorem in Urbe egiſſe Volaterranus teſtatur: *Eodem tempore*, ait, *in Urbe Pomponius Lætus, Porcellius, & Chalcidius profitebantur*. Tum de Chalcidio ſubdit: *Chalcidius Græcorum non erat ignarus, nec imperitus Grammaticus, attamen infans, & abſque genio. Dictionibus in primis invigilabat. Lexiconque condiderat, quod obitu ipſius ſuperveniente, Jovinianus ejus diſcipulus ſibi vindicavit.*

JOANNES SULPICIUS Verulanus Profeſſor Humanarum Litterarum ſub Innocentio VIII. primus hoc ſæculo Tragœdias, Comœdiaſque agendi modis Muſicis uſum reſtituit. Ita ipſe teſtatur in editione Vitruvii, *De Architectura*, in cujus epiſtola dedicatoria ad Cardinalem Riarium, laudans hujus Cardinalis magnificentiam in operibus publicis conſtruendis, ait: *Tu enim primus Tragœdiæ, quam nos juventutem excitandi gratia, & agere, & cantare primi hoc ævo docuimus (nam ejuſmodi actionem jam multis ſæculis Roma non viderat) in medio foro pulpitum ad quinque pedum altitudinem erectum pulcherrime exornaſti. Eamdemque poſtquam in Hadriani mole Divo Innocentio ſpectante eſt acta, rurſum intra tuos penates tamquam in media Circi cavea toto conſeſſu, umbraculis tecto admiſſo populo, & pluribus tui Ordinis ſpectatoribus honorifice excepiſti. Tu etiam primus picturatæ ſcenæ faciem, quum Pomponiani Comœdiam agerent noſtro ſæculo oſtendiſti: quare a*

Digitized by Google

te Theatrum novum tota Urbs magnis votis expectat. Pomponianorum nomine indicantur viri docti, qui ex Academia erant Pomponii Læti. Ex eadem epiſtola colligitur Innocentium VIII. cogitaſſe nobile ædificium publicis Scholis conſtruere: *Innocentius*, ait, *impoſito bellis fine, Prætorio ſuburbano paracto, agilitatis certaminibus, & equitum concurſionibus, dotalibuſque & ſumptuariis legibus revocatis ... Tum Floræ Campus, tum Circus Flaminius lateribus aptiſſime ſternitur .... De Gymnaſio noſtro evertendo, & magnifice conſtruendo (quod utinam præoccupaſſes: ibi enim cotidiana omnium diſciplinarum eduntur ſpectacula) prudentiſſimi Reformatores jam injere conſilium.* Primus omnium edidit Vitruvii libros de Architectura. Scripſit commentaria in Lucani Pharſaliam, libros duos *de Re Militari*, Librum *de Moribus*, *Præludia Grammatica*. Bayle in Diction. Morerius in Dictionar. Spera Lib. 4. de Nobil. Profeſſ. Gram. & Human.

Andreas Brenta eximius Philoſophiæ, & Humanitatis Profeſſor docuit in Scholis Urbis, Græce, Latineque Rhetoricam, ediditque præclara Opera, uti teſtatur Petrus Angelus Spera Lib. 3. de Nobilitate Profeſſorum Grammaticæ. Obiit anno MCDLXXXIV. florente ætate, cum eſſet a conſcribendis epiſtolis Oliverio Cardinali Carafæ. Vertit in Latinum Hippocratem de Inſomniis, & de natura hominum. Scripſit Orationes, & Carmina, & Syntagma Rhetoricum. Fuit Patavinus, docuitque ſub Sixto IV. De eo Pappadop. Tom. 2. Lib. 2. Capite 9. Gymnaſii Patav.

Bartolomæus Partenius Brixienſis doctiſſimus Græcæ, Latinæque litteraturæ profitebatur in Urbe circa annum MCCCCLXXXIX. uti refert Ghilinus in Theatro Litteratorum. Vertit in Latinum Thucididem. Edidit: *Traduzzione degl' amori di Leucippo, e di Cletofonte dall' idioma Greco in verſi Latini*. Morerius.

An-

A n t o n i u s F l a m i n i u s ex Oppido Bizini in Sicilia circa annos MCDLXXXIV. & MDII. docuit in Scholis Urbis politiores litteras, in quibus, uti etiam in Græcis diſciplinis erat verſatiſſimus. Hujus hominis ingenium ita deſcribit Joannes Pierius Valerianus Lib. I. de infelicitate Litteratorum: *Antonius Flaminius natione Siculus, cujus prælectionibus Roma longa annorum ſerie nihil habuit eruditius, vitam imprimis eo infelicitatis genere perduxit, quod nullius umquam neque docti, neque indocti hominis familiaritate, commerciove delectatus eſt; non famulum, non ſervum habuit, neminem umquam ad cœnam adhibuit, neque aliorum ipſe menſas affectavit, quod fauſtum aliquis dicat, niſi ſolitudine ipſa, & moleſtum, & periculoſum eſſet. Is autem inopinata præventus morte, a caupone viciniæ, qui quotidiana edulia homini venditabat, cunctationem admirante, quod jam triduum non apparuiſſet, & per hortuli feneſtrellam quamdam ingreſſo, inter libros, quos humi ſtratas, ſtratus & ipſe lectitare conſueverat, ſempiterno oppreſſus ſomno repertus eſt*. Lucius Marineus in ſuis epiſtolis ſæpe, & plurimum extollit Antonii Flaminii doctrinam, morumque probitatem. Edidit *de Accentricis, Epycidis, & obſidibus volumina duo*. Mongitorius in Bibliot. Sicula, Spera Lib. 4. de Nobil. Profeſſ. Gramm. Diverſus eſt ab Antonio Flaminio Imolenſi, de quo Ghilinus in Theatro Litteratorum.

J o a n n e s R e g i u s Venetus, Theodori Gazæ diſcipulus, doctrina, & ingenio ſummis hoc tempore viris conferri poterat, ut ait Volaterranus. Inter Profeſſores Gymnaſii Romani recenſetur a Joanne Pierio Variano. Illum Innocentius VIII. præfecit Vaticanæ Bibliothecæ. At ſub Alexandro VI. exagitatus Viterbium ſeceſſit, ibique veneno extinctus dicitur a Valeriano Lib. I. de infelicitate Litteratorum. Ejus bona, ſcriptaque in Plutarchum periere.

T HOMAS I NGERANNIS Volaterranus, alio nomine PHÆDRUS vocatus, dicitur a Valeriano *Romanæ Cathedræ decus, & ornamentum*, quo nullus ætate illa fuit eloquentior, ac vehementior in dicendo. Præfuit etiam Vaticanæ Bibliothecæ. Miſere periit, rem ita narrante Valeriano: *dum mula media in Urbe vehitur, junctis factus obviam bubalis, qui viſendæ magnitudinis carrucam trahebant: conſternata ſiquidem mula, bubaliſque identidem perterrefactis, ſimul ab ea calcitroſa excuſſus eſt tam magnæ corporaturæ vir, quantum hominem noſtis, ſimul a plauſtro ſuperatus, quamvis in rotarum medium intervallum incidens eliſionem evitarit, corrupto tamen præ timore, & gravi caſu intra viſcera ſanguine, multa inde longæ, & incommodæ valetudinis incommoda perpeſſus in ejuſmodi ærumna, vita functus eſt.*

PHILIPPUS BEROALDUS junior, ut a Philippo Beroaldo patre, viro doctiſſimo, & olim Profeſſore Pariſienſi diſtinguatur, Bononienſis, magnæ vir litteraturæ, poſtquam in patria docuiſſet, Romæ docuit publica mercede, magna cum eloquentia, & facundia. Joanni Cardinali Mediceo charus, & a ſecretis, eo ad Pontificatum evecto, ſub nomine Leonis X. conſtitutus eſt anno Domini MDXIV. primus Præpoſitus Romanæ Academiæ. Phædro e vivis ſublato, ei ſucceſſit anno MDXVI. in Vaticanæ Bibliothecæ præpoſituram. At majoribus beneficii deſtitutus ex mœrore obiit, teſte Joanne Pierio Valeriano. De eo Voſſius, Morerius, Bayle & alii.

C AMILLUS P ORTIUS Romanus *quantæ fuerit celebritatis*, ait Joannes Pierius Valerianus, *ignorat nemo, ſive ille Romanam Cathedram magno omnium ſtupore, & admiratione decoraret, ſive pro roſtris declamaret, ut nihil ejus dictione ſuavius, nihil jucundius, nihil expolitius haberetur. Is tamen ſimul ac a Leone X. Pontifice Maximo Aprutinæ eſt Eccleſiæ præfectus,*

ctus, acerbiſſima diuturni cujuſdam morbi nulli Medicorum cogniti correptus inclementia, poſtquam miſerabili cruciatu menſes plurimos decubuit afflictatus, morbi demum ejus truculentia, & totius corporis doloribus oppreſſus virente adhuc ætate animam egit increbili apud omnes ſui relicto deſiderio. Fuerat ante Epiſcopatum Canonicus Vaticanæ Baſilicæ, & Capellanus Romanæ Academiæ, uti colligitur ex Conſtitutione *Quam omnibus* anno MDXIV. a Leone X. promulgata. Donatus eſt Aprutino Sacerdotio anno MDXVII. obiit anno MDXXII. uti refert Ughellus.

DONATUS POLIUS Florentinus, Romanæ Cathedræ Profeſſor, Leoniſque X. familiaritate non ignobilis, in quo multæ erant, & reconditæ litteræ, eloquendi vis non erat, memoratur a Valeriano Lib. I. de infelicitate Litteratorum, & Spera Lib. 4. de Nobil. Profeſſorum Grammaticæ, & Humanitatis. Ejus necem ita refert Valerianus: *Is a quodam puero, qui homini ſerviebat, ſpe prædæ, noctu adacto in frontem malleo trucidatus eſt, cum alloquin pauperrimus vitam ſemper egiſſet duram, & inſigni mendicitate miſerabilem.*

JANUS PARRHASIUS ſive Joannes Pariſius Conſentinus natus eſt anno MCDLXX. duxitque uxorem Demetrii Chalcondylis filiam. Docuit Mediolani primum, tanta gloria, ut inter ejus auditores Trivultius ſummus armorum Dux ſexagenarius conſpiceretur. Mediolano excedere coactus conſpiratione Ludimagiſtrorum, a Leone X. accepit Cathedram Humanarum Litterarum in Gymnaſio Romano, hiſce litteris, quas e Bibliotheca S. Joannis ad Carbonariam Neapoli edidit Toppius: *Leo Papa X. Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes ut Romanum Gymnaſium optimis Doctoribus abundet, quo ii, qui ſe bonis artibus dediderunt ea ex re percipere fructus uberiores poſſint; de tua in ſtudiis mitioribus doctrina certiores facti, ad*

ea

Digitized by Google

ea docenda, profitendaque Romæ publice te eligimus, ſtatuimuſque, ut ſingulis annis ducentos aureos haberes. Quamobrem hortamur te, ut ad Urbem quamprimum te conferas: libenti enim, & paterno animo te videbimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die XXVIII. *Septembris* MDXIII. *Anno ſecundo.* Sed tanti ſuggeſtus honore, diu perfrui illum non potuiſſe ſcribit Jovius, coactum articulari morbo redire in patriam, ubi ſupremum obiit. Edidit Commentarios doctiſſimos in Claudianum, & in Artem Poeticam Q. Horatii Flacci, Annotationes in Ovidium, & Orationem Ciceronis pro Milone, & Epiſtolas ad Atticum, Librum de rebus per epiſtolam quæſitis, Compendium Rhetoricæ ex optimis utriuſque Linguæ Auctoribus excerptum. Alia Parrhaſii Opera in Livium, Florum, Tacitum, Cæſarem, Valerium Flaccum, Virgilium, Juvenalem, Tibullum, Perſium, Epiſtolas plures, & Carmina, quæ typis commiſſa non ſunt, aſſeruari Neapoli in Bibliotheca S. Joannis ad Carbonariam teſtantur Toppius in Bibliotheca, & Quatromanus in ſua Conſentiæ deſcriptione. De eo Jovius in elogiis, Barrius Lib. 1. Cap. 7. de antiqu. Calabriæ, Nicodemus in additionibus ad Toppii Bibliothecam, Barthius in Adverſ. Lib. 21. Cap. 10. Bayle in Dictionario.

Nicocus de Roggiano Oppido prope Conſentiam Orator, & Poeta dicitur Jano Parrhaſio ſucceſſiſſe in Romana Cathedra a Petro Angelo Spera Lib. 4. de Nobil. Profeſ. Gramm. & a Toppio in Bibliotheca Neapolitana. Edidit verſibus libros quatuor *Sylvarum de conqueſtu Italiæ, de rebus ſacris.*

Augustus Valdus ſeu Baldus, Patavinus, teſte Voſſio de Hiſtoricis Latinis, Pomponii Læti Cathedram obtinuit, ac annis quadraginta, Latinas, Græcaſque Litteras docuit juventutem, obiitque paulo poſt Urbis direptionem. De eo ita ſcribit Joannes Pierius Va-

Valerianus: *Auguſtus Valdus Patavinus civis, qui Romæ per tot annos bonas litteras tantis ab eo vigiliis, ſudoribus, & peregrinationibus acquiſitas profeſſus erat, qui non ſolum voce, verum etiam ſcriptis eruditionem omnifariam ab interitu vindicabat; quam autem miſerabili mortis genere vitam finiit. Incidit enim in Romanam cladem Hiſpanorum illam, & Germanorum prædonum ſæviciam acerbiſſimam, cujus ante oculos direpta domo, ipſe in vinculis habitus, precioſiſſimam librorum ſuppellectilem, laboreſque illos ſuos, quos præſertim in Plinium elucubrabat coram dilacerari, & in uſum culinæ incendi conſpexit, & in eo mærore omnibus aliis incommodis conflictatus propter arrogantem eorum crudelitatem, quibus nihil umquam fuit improbius, dum modicæ fortunæ vir inſatiabilem barbarorum ſitim tributis explere nequit, qui omne ſenectutis ſuæ viaticum jam excuſſerant e loculis, poſt cruciatus varios fame demum conſumptus perhibetur.*

Petrus Marsus e Marſorum regione, in Neapolitano Regno, vir doctiſſimus, Canonicus S. Laurentii in Damaſo, docuit aliquando in Romano Gymnaſio Humanas Litteras. Edidit Commentarios in Ciceronem *de Officiis*, *de Amicitia*, *de Senectute*, atque Cardinali Riario dicavit, teſtatus, ſe mox editurum alios Commentarios in *Tuſculanas Ciceronis Queſtiones*, in libros *de Finibus*, & in Horatium. Terentium quoque, Silium, & librum tertium Ciceronis *de natura Deoru[?]* notis illuſtravit. Præterea edidit *Orationem in die Aſcentionis de immortalitate animæ ad Rev. in Chriſto Patrem Dominum Raphaelem tit. S. Georgii Cardinalem*; *Panegyricum Innocentio VIII. dicatum in memoriam S. Joannis Baptiſtæ*; *Orationem dictam in die S. Stephani primi Martyris*; *Panegyricum in memoriam S. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris eximii*. Sabellicus in Dialogo de Latinæ Linguæ Reparatoribus poſtquam plura de Pauli Marſi lau-

Digitized by Google

laudibus dixerit, addit: *Præſtitit itaque is in communem uſum omnino aliquid, ſed multo plura ejus conterraneus Petrus Marſus Ceſenſis. Is non ad Poetas ſolum explicandos, ſed ad Oratores quoque, & Philoſophos ſtudium adjecit. Extant ejus in Silium Italicum Commentarii multa eruditione referti; ſed longe utiliora, quæ in Ciceronis Opera conſcripſit: eloquens ut Pomponii Auditorem agnoſcas, & quod plus eſt, propemodum Philoſophus: ſed quantuſcumque in Philoſophia eſt, eum Argyropoli contubernium effecit.* Unde patet Marſum fuiſſe diſcipulum Pomponii Læti, & Argyropoli, diverſumque a Paulo Marſo Piſcinenſi, viro etiam doctiſſimo. Jacet in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo cum hac inſcriptione relata a Schradero in Monum. Ital.

PETRO MARSO
ÆDIS HVIVS D. LAVRENTII CANONICO
VIRO DOCTISSIMO, ET INTEGERRIMO
BONORVM OMNIVM HONESTATO VOTISQVE EXPETITO
ASCANIVS MARSVS PATRVO BENEMERENTI P.
VIX. ANN. LXX. MEN. II.

De Marſo videndi Nicolaus Toppius in Bibl. Neap. & in additionibus Leonardus Nicodemus, & Bayle in Dictionario.

ANTONIUS AMITERNUS ita dictus ab ejus patria prope Aquilam, Clementem VII. Summum Pontificem Humanis Litteris inſtituit, quas etiam e Cathedra docuit. Quam miſere perierit deſcribitur his verbis a Joanne Pierio Valeriano: *Antonius Amiterninus Cathedra Romana celebris, Julii Medici Cardinalis, qui nunc Summus Pontifex eſt in Grammaticis, & Oratoria præceptor, anno antea, quam is ad Pontificatum aſcenderet, peſte Hadrianea Romæ ſæviente profugerat. Inde librorum, ſcriptorumque ſuorum deſiderio incenſus, ut hujuſmodi ſuppellectilem, vel ut nonnulli volunt, reconditam pecuniam auferret, reverſus Romam, & domum*

mum

Digitized by Google

mum ſuam ingreſſus, ubi familiares ſui, eo morbo contaminati interierant, ipſe quoque contactus e veſtigio, dum abitionem parat, Aquilam profecturus ſenex, æger, & corpore, & animo confectus, quadrageſimo ab Urbe lapide intra hoſpitium, vel a nemine in diverſorium receptus, vel ipſe nulli ſatis fidens, ut procelloſam tamen cœli tempeſtatem, quæ large cadente pluvia oborta erat per noctem evitaret, in proximi Templi cujuſdam vetuſtate prærupti pronum ſe conjecerat, noctem ibi pro foribus quieturus, mane autem a viatoribus ibidem repertus eſt exanimatus. Hunc edidiſſe nonnulla Carmina, & ſucceſſiſſe Petro Marſo in Romana Cathedra affirmat Petrus Angelus Spera.

ANTONIUS TILESIUS Conſentinus excelluit gloria Oratoriæ artis, atque Poeticæ, in Romano Gymnaſio. Edidit doctiſſimum Commentarium *De Coronarum generibus*, librumque *De Coloribus*, notaſque in Horatium, librum Elegiarum, Tragœdiam, cui titulus *Imber aureus*, & alia quædam. Docuit etiam Mediolani, uti teſtatur Geſnerus in Bibliotheca, qui Teleſium magnis laudibus extollit. Videndi de Antonio Tileſio Toppius in Bibliotheca Neapolitana, Nicodemus in Additionibus, Jovius in elogiis, Barrius de antiqu. Calab. Lib. 2. Capite 7. Quattromanus in deſcriptione Conſentiæ, aliique.

LAZARUS BONAMICUS Baſſianenſis Linguarum, & Antiquitatis peritiſſimus, a Reginaldo Polo Romam ductus eſt anno MDXXV. ubi Eloquentiam, Humanaſque Litteras e Cathedra tradidit. Direpta deinde Urbe, cum libros, ſcriptaque ſua amiſiſſet, Patavium ſe contulit, ibique profeſſus eſt, aucta conſueta aureorum ducentorum mercede; neque Clemente VII. invitante, adduci potuit, ut ad Urbem rediret, neque a Bononienſibus magna promittentibus ſtipendia, Patavino Gymnaſio potuit amoveri. Obiit Patavii anno MDLII. major ſe-

 ptua-

ptuagenario. Ejus nonniſi quædam Epiſtolæ, ac Orationes ſuperſunt. Laudatur a Thuano Hiſt. Lib. 11. Spera Lib. 3. de Nobil. Profeſ. Gram. Ghilino in Theatro Litterat. Morerio in Dictionario.

Leonardus Marsus Profeſſor Rhetoricæ hora matutina ſub Paulo III. annis MDXXXIX. & MDXLII. ſtipendio florenorum CDXXV.

Nicolaus Scevola iiſdem annis, Rhetoricam profitebatur, ſtipendio eodem.

Joannes Baptista Pius ſub Paulo III. Rhetoricam hora veſpertina tradebat, ſtipendio florenorum DCCCVIII. De eo Jovius in elogiis: *Non erit ullo ſeculo agreſtibus præſertim Grammaticis ingratum Pii nomen, urbanis autem, & elegantibus viris numquam injucundum. Robuſto enim ingenio, tenacique memoria prævalidus, doctiſſimi famam meruit, quum obſcuros auctores interpretandos ſuſcepiſſet, inepta quidem Beroaldi præceptoris æmulatione, cujus in Aſinum Apuleii Commentationes exierant; in iis fuere Fulgentius, Sidonius, & e Poetis Plautus, Lucretius, & Valerius Flaccus. Exoleta enim rancidæ vetuſtatis vocabula delectu inſano ſectabatur, admirante quidem diſcipulorum inſcia turba, quum plane a non inſulſiſſimis rideretur. Siquidem ejus ſermo, ſtyluſque, Oſcorum, & Aborigenum linguam pingui atque aſpera novitate referebant, quam nonnulli laſcive ludentes diſcere percuperent, niſi contagioſi vitii periculo terrerentur. Factum autem brevi eſt, ut ea obſoletæ, & ridendæ paſſim elocutionis verba, tamquam portenta in ſcenam tranſierint, confecta ſcilicet a lepidis ingeniis mirabili fabula. Cæterum Pius quadrato ingenio eos naſutorum rumores contemſit, ſua conſcientia profecto felix, quod neminem ſe videre diceret, eruditi nomine dignum, qui de vi, & tota facultate vel abſtruſæ lectionis interrogatus, præclare, & conſtanter prolato præſentis doctrinæ theſauro minime reſponderet.*

ret. Id enim ipſe vegeta rerum omnium, & in ſene quidem admirabili recordatione, tam probe, quam ſuperbe præſtare erat ſolitus. Sed vel ſero ita exploſi ſtyli vitium agnovit, ut ſe totum ad Ciceronem reciperet, & multa in eo elucidando commentaretur. Eum poſtremo quum Bononiæ, Mediolani, & Lucæ per quinquaginta annos docuiſſet, Paulus Pontifex tamquam veterem ſuum familiarem in Urbem accivit, publicoque in munere defunctus eſt octogenarius. Jacet in Eccleſia S. Euſtachii.

Cæsareus Cosentinus Profeſſor Rhetoricæ ab anno MDXLVIII. ſub Paulo III. uſque ad annum MDLXVII. ſub Pio V. ſtipendio ducentorum aureorum.

Romulus Amaseus Utinenſis, ſtipendio florenorum MCDXIII. Rhetoricam docuit in Scholis Urbis ſub Paulo III. hora veſpertina. Docuerat circa annum MDXX. Græcas litteras iu Gymnaſio Patavino. Xenophontis libros de Cyri minoris expeditione in Latinum vertit, itemque Pauſaniæ. Edidit libros duos de dignitate Linquæ Latinæ adverſus Etruſcos, & de ratione inſtituendi. De eo Bayle in Dictionario, & Morerius, & Pappadopoli.

Sylvius Antonianus ex Oppido Caſtelli Diœceſis Pennenſis natus anno MDXL. obſcuro genere, favore Othonis Truchſeſii Cardinalis Auguſtani præclarorum ingeniorum fautoris munificentiſſimi ſtipendia accepit, quorum ſubſidio Latinam Græcamque linguam, omneſque artes liberales didicit. Puer undecim annorum in prandio quodam a Cardinali Franciſco Piſano inſtructo pluribus ſui Ordinis viris, extemporarium Carmen ad Lyræ ſonum edidit, tum in laudem Cardinalis Medicei qui poſtea Pius IV. fuit, tum in alia argumenta. Eumdem cum audiviſſet Hercules Dux Ferrariæ, qui Romam venerat gratulatum Marcello II. Pontifici, Ferrariam duxit, ac ibidem in publico Gymnaſio Eloquentiam, & Humaniores Litteras decimum ſextum annum agentem

ſeſtis diebus extra ordinem docere præcepit, quod magna Auditorum frequentia preſtitit. Ibidem Philoſophiam, & Juriſprudentiam didicit, donatuſque eſt laurea in Ferrarienſium Juriſconſultorum Collegio. Hercule Eſtenſi mortuo, & ad Pontificatum evecto Pio IV. cui puer ſupremum Eccleſiæ regimen verſibus prænuntiaverat, Romam venit, ædem & victum in Palatio accepit, atque Cardinali Boromæo fuit ab epiſtolis, quocum Mediolanum ſe contulit, & Mediolanenſis Concilii Acta conſcripſit. Pio IV. jubente, Cathedram Humaniorum Litterarum in Romano Gymnaſio moderatus eſt anno MDLXIII. hora veſpertina ſtipendio ducentorum aureorum, & viros doctiſſimos habuit auditores; eoque die quo primum cœpit explicare Ciceronis Orationem pro Marcello, tanta fuit frequentia, ut viginti quinque adfuerint Cardinales. Tum anno ſequenti datus eſt Coadiutor cum futura ſucceſſione, eodemque ſtipendio, Camillo Peruſco Rectori Romanæ Academiæ. Sub Pio V. Pontifice, cum Borromæus Cardinalis Mediolanum reverſus eſſet, Sylvius Romæ manſit, ac initiatus Sacerdotio, totum ſe Theologicis ſtudiis, atque Philippo Nerio inſtituendum tradidit. Deinde fuit a ſecretis Collegio Cardinalium, & Congregationi moderanti res Epiſcoporum ſub Sixto V. tum ſupplicum libellorum Magiſter ſub Gregorio XIII. & Cubiculi Pontificii Præfectus, Secretarius Brevium, Canonicus Baſilicæ Vaticanæ ſub Clemente VIII. a quo tandem in Cardinalium Ordinem adſcriptus eſt, anno MDXCVIII. Claruit non minus litteris, quam pietate. Obiit anno MDCIII. ætatis ſuæ LXIII. Scripſit præter plura Carmina, & Orationes, *Librum de Chriſtiana puerorum educatione*, *Diſſertationem de obſcuratione Solis in morte Chriſti*, *De ſucceſſione Apoſtolica*, *De ſtylo Eccleſiaſtico*, *De primatu S. Petri*, *Lucubrationes in Rhetoricam Ariſtotelis*, *& in Orationes Ciceronis*. Ejus vitam edidit Joſeph Caſtalio. Laudatur a Card.

a Card. Valerio in ſuis epiſtolis, Jano Niclo in Pinacotheca, Ghilino in Theatro Litteratorum, Ciacconio in vitis Cardinalium, Toppio in Bibliotheca Neapolitana, Nicodemo in additionibus, Bayle in Dictionario.

Joannes Baptista Camotius anno MDLXXVI. ſub Gregorio XIII. Pontifice, Rhetoricam mane profitebatur ſtipendio centum aureorum. Is nobili genere Aſyli in agro Tarviſino natus, Medicinæ, Philoſophiæ, & Linguarum Orientalium fuit peritiſſimus, præſertim Græcæ linguæ peritia nulli ſecundus. Philoſophiam docuit Bononiæ ſub Julio III. & in Maceratenſi Gymnaſio ſub Paulo IV. indeque a Pio IV. Romam accitus docuit in Scholis Urbis Rhetoricam, ſimulque vertendis Sanctorum Patrum Operibus incubuit. Obiit ſexagenarius anno MDLXXXI. Emendavit Opera Theophraſti, & Ariſtotelis, ediditque Commentarios in eorum Metaphyſica. Vertit latine Phyſica Pſelli, & Comm. Olympiodori in Meteora. Extant etiam ejus Orationes aliquot, & Græca Poemata. A Simlero in Bibliot. dicitur in Græcis litteris incomparabilis. De eo Tuanus in Elogiis, Pappadopoli de Gymn. Patav. Tom. 2. Lib. 5. Cap. 30.

Thomas Correa eodem tempore, eodemque ſtipendio eidem muneri incumbebat, uſque ad annum MDLXXXII. quo ei ſolvebantur aurei ducenti. Is natioue fuit Luſitanus, Conimbricenſis, Græce, Latineque doctiſſimus, primum Panormi docuit, tum Romæ; ſimulque feriatis diebus in Dominicanorum Gymnaſio de rebus curioſiſſimis, ſumma verborum, ac ſententiarum elegantia diſſerebat, uti teſtatur Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana, addens: *Jeſuitarum ſodalitio, cui adſcriptus vixerat, olim relicto, averſum ab iis animum, qui in Collegio Romano humaniora Studia profitebantur, viris eruditiſſimis ſemper oſtendit*. Deinde magnis ſtipendiis a Bononienſibus conductus, ibi extitit dicendi recteque ſcribendi Magiſter. Obiit anno MDXCV.

æta-

Digitized by Google

ætatis ſuæ LVIII. tumulatus in Bononienſi Eccleſia Carmelitarum. Edidit *Explanationes in librum de Arte Poetica Horatii*: *Libros quinque de Eloquentia*: *De toto eo Poematis genere, quod Epigramma vulgo dicitur, & de iis, quæ ad illud pertinent Libellum*: *De Elegia libellum*: *Logicam*: *Orationem in Romano Gymnaſio de antiquitate dignitateque Poeſis, & Poetarum differentia*, *Orationes varias*. Laudatur a Nicolao Antonio in Bibl. Hiſp. Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca, Hieronymo Ghilino in Theatro Litteratorum.

MARCUS ANTONIUS MURETUS Lemovicenſis, inſignis Juriſconſultus, Philoſophus, Orator, Poeta, primum docuit in patria, Venetiiſque, mox a Card. Hippolito Eſtenſi Romam vocatus, docuit in Scholis Urbis Philoſophiam Moralem, tum Pandectas, denique anno MDLXXVI. ſub Gregorio XIII. Rhetoricam, hora veſpertina, ſtipendio aureorum quingentorum, ſimul cum Camotio, & Correa Profeſſoribus matutinis; & anno Domini MDLXXXII. ſtipendio aureorum ſeptingentorum. A Stephano Battorio Polonorum Rege magnis præmiis ad docendum apud Polonos invitatus, noluit Romana Cathedra diſcedere. Novem ante mortem annis, totum ſe pieti, ſacriſque ſtudiis dedit, ac inter Preſbyteros cooptatus magna religione quotidie Sacrum fecit. Deceſſit anno MDLXXXV. anno ætatis ſuæ ſexageſimo, jacetque in Eccleſia Deo Trino, & Uno in Colle Hortorum dicata. Edidit *Orationum volumina duo*: *Varias Lectiones*: *Poemata*: *Hymnos ſacros*: *Diſputationes in librum primum Pandectarum*: *De Legibus & Senatuſconſultis*: *De Conſtitutionibus Principum*: *De officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio*: *Tractatum de Juriſdictione & imperio*: *Commentarios in Titulos ad materiam juriſdictionis pertinentes*: *Commentarios in Æthica, Oeconomica, Rhetorica Ariſtotelis*: *Topicorum Interpretationes*: *In libros duos Platonis de Republica*: *Notas in*

Xeno-

Xenophontem : *Commentarios in Tacitum* : *Notas in Salluſtium* , *& in Ciceronem de Officiis* , *& de Finibus* : *Commentarios & Notas in Orationes Ciceronis* , *Terentium Horatium* , *Catullum* , *Tibullum* , *Propertium* : Laudatur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca , Ghilino in Theatro Litteratorum .

Paulus Vialardus Gregorio XIII. Pontifice , Rectore Cæſare de Graſſis , anno MDLXXXVII. Rhetoricam profitebatur hora matutina , honorario aureorum CL.

Pompeus Ugonius Romanus , Clericus Beneficiatus Vaticanæ Baſilicæ , cujus eloquentia ſummis laudibus commendatur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca , auſpicatus eſt munus litterarium in Romano Gymnaſio , anno MDLXXXVII. Sixto V. Pontifice , & Horatio Burgheſio Rectore , eoque functus eſt annis viginti ſeptem ; quo tempore pervenerat ejus ſtipendium ad aureos fere quadringentos . Scripſit Orationes plures , Hiſtoriamque illarum Eccleſiarum , quæ per dies ſingulos Quadrageſimæ viſitantur . Obiit anno MDCIV. Mentionem ejus faciunt Janus Nicius loco citato , Mandoſius in Bibliotheca Romana , Maraccius in Bibliotheca Mariana .

Mauritius Breſſius Gratianopolitanus eodem anno MDLXXXVII. hora matutina ſedebat in Rhetoricæ Cathedra , eique ſolvebantur aurei ducenti . Extant quædam ejus Orationes .

Aldus Manutius Venetus , Pauli filius , Profeſſor Humanarum Litterarum magni nominis , dictus *junior* , ut ab Aldo avo diſtinguatur , poſtquam in Gymnaſiis Bononienſi , & Piſano e Cathedra diſſeruiſſet , Romam venit , Sixto V. Pontifice , ac hoſpitium , & cibum in Vaticanis ædibus accepit , quod magna rei domeſticæ inopia premeretur , ut illi neceſſe fuerit pecuniam fœnori accipere , ad adſportandam in Urbem Bibliothecam ſuam . Uxore dimiſſa , tamquam contra leges ducta , profiteri cæpit in Gymnaſio anno MDLXXXVIII. Hu-

Humaniores Litteras, ſtipendio aureorum ducentorum, eique muneri novem annis incubuit. At teſtatur Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca ad audiendum tantum virum e Cathedra docentem vel paucos, vel nullos ſe contuliſſe. Ciceronis Opera illuſtravit. Scripſit de quæſitis per epiſtolas libros tres, Orthographiam, notas ad Cenſorinum de die Natali, multaque præterea Etruſco ſermone. Obiit in Urbe, anno MDXCVII. Clemente VIII. Pontifice. Paulus Manutius ejus pater ſub Pio IV. & Pio V. præerat in Urbe ſacris libris emendandis, accurateque edendis, quo officio functus jam fuerat apud Bononienſes, atque hoc nomine occurrit in Catalogis Profeſſorum, ſtipendio aureorum quingentorum. Is ſcholiis, notiſque Ciceronis Epiſtolas, & Orationes, Virgiliique Georgica, atque Bucolica illuſtravit; ſcripſitque Antiquitatum Romanarum libros quatuor, Apophtegmatum ex optimis utriuſque linguæ Scriptoribus libros octo, Epiſtolas, Orationeſque.

Jacobus Marchesettus Piſaurenſis primum Mathematicam, tum anno MDXCIX. Rhetoricam docuit in Scholis Urbis, hora veſpertina uſque ad annum MDCV. ſimul cum Pompeo Ugonio Profeſſore matutino, ejuſque ſtipendium excedebat aureos tercentos.

Bernardus Gulielmus Sanſovinus ſucceſſit Ugonio anno MDCXIV. ſtipendio centum aureorum, ſoluſque in Gymnaſio Rhetoricis rebus incubuit uſque ad annum Domini MDCXX.

Henricus Chiffelius Antuerpienſis in illius locum ſubrogatus eſt, tenui ſtipendio, ac annis triginta quatuor ſuam operam præſtitit, denique ejus ſtipendium excedebat aureos ducentos. Solus hoc munere functus eſt uſque ad annum MDCXXVIII. quum Urbanus VIII. in hujus muneris partem Auguſtinum Maſcardum accerſivit. Scripſit Chiffelius *De bello Granatenſi per Ferdinandum Regem Catholicum geſto*. *Lucii Annæi Senecæ The-*

Thebaldem, Chori totius, & quinti actus adjectu ſuppletam: De laudibus Pauli V. & Ludovici Cardinalis Ludoviſii: Ejus mentionem facit Allatius in Apibus Urbanis.

Augustinus Mascardus Sarzanenſis filius Alderani Maſcardi eximii Juriſconſulti, fraterque Joannis Maſcardi Epiſcopi Nebienſis, Urbano VIII. Pontifici a Cubiculo, excelluit in litteris humanioribus ac eloquentia, quam ab anno MDCXXVIII. profeſſus eſt annis tredecim, hora veſpertina, ſtipendio aureorum quingentorum. Scripſit doctiſſimos in Tabulam Cebetis Commentarios, orationes, ſermoneſque, quæ omnia unico volumine comprehenſa continentur. Compoſuit librum de arte Hiſtorica, ea eruditione, ut omnes ſuperiores, qui in hoc genere elaborarunt, ſuperaſſe cenſeatur: Diſſertationes de affectibus, ſive perturbationibus animi: Proluſiones Ethicas. Obiit in patria tabe confectus anno MDCXL. ætatis ſuæ quadrageſimo nono. Erithræus in Pinacotheca, Ghilinus in Theatro, Imperialis in Muſæo, Craſſus in elogiis, Morerius in Dictionario, Sopranus, & Juſtinianus de Script. Ligur.

Jacobus Albanus Ghibbesius Londinenſis aggreſſus eſt munus hoc litterarium anno MDCLV. & annis viginti novem exercuit. Scripſit *Carmina Lyrica ad exemplum Q. Horatii Flacci concinnata*: *Tyberis & Mantus amores redivivi in nuptiis Caroli Benedicti Juſtiniani & Catarinæ Gonzagæ Epitalamium*: *Cæſarum optimus, & peſſimus, Orationes duas*: *Orationem de Nobilitate*: *Orationem pro nova Bibliotheca Romanæ Sapientiæ*: *Triſmegiſtum Mediceum, ſeu Orationes in funere Leonis X. Glykypicron fel & mel Hiſpanorum*: *Propempticon Flavio Card. Chiſio in Galliam Legato*.

Michael Bruguerès Romanus ſtipendio aureorum centum aſcendit Rhetoricæ, atque Humaniorum Litterarum Cathedram anno MDCLXXXIV. cui anno MDCCI. da-

Digitized by Google

tus eſt Coadiutor cum futura ſucceſſione Benedictus Menzinus Florentinus ob ipſius ægritudinem. Ejus hæc opera: *Le pompe della Pittura e della Scoltura Ode. Il regno di Criſto poſto nella Croce, e nelle ſpine, Diſcorſo. Dal tradimento le nozze, Opera ſcenica. Il vero amor non vuol Politica, Tragicomedia. Rime tra li Poeti Arcadi, e nella Storia del Creſcimbeni.*

Benedictus Menzinus Florentinus, natus eſt anno MDCXLVI. uſuſque patrocinio Vincentii Salviati, Poeticam, & Oratoriam ſtudioſiſſime coluit, & aliquamdiu in patria docuit, ubi Carmina Lyrica edidit Etruſco ſermone, & Opuſcula quædam Latina, quæ magnam illi gloriam conciliarunt. Romam veniens anno MDCLXXXI. beneficio Cardinalis Decii Azzolini, a Chriſtina Suecorum Regina in Aula ſua exceptus, ſtipendioque donatus, amænioribus ſtudiis magis incubuit, & Carmina plurima nobiliſſima ſcripſit. Tum, defuncta Suecorum Regina, Cardinali Ragioſcho Primati Poloniæ, qui Romam venerat ad Innocentium XII. Pontificem eligendum, fuit ab epiſtolis conſcribendis, cumque is in patriam rediret, Menzinus a Pontifice inter Canonicos S. Angeli in Foro Piſcium cooptatus eſt. Mox a Clemente XI. anno MDCCI. Michaeli Brugueres publico Eloquentiæ Profeſſori, qui adverſa valetudine detinebatur Coadiutor datus cum futura ſucceſſione, functus eſt publico munere uſque ad annum MDCCIV. cum vivis exceſſit, tumulatus in ſua Eccleſia. Plurima edidit, ſoluta oratione, & verſibus, quæ tum ipſe recenſet in ſuo Elegiarum libro, tum Creſcimbenius in *Arcadia*. Legitur Menzini vita a Joſepho Paulutio ſcripta Tom. I. vitarum illuſtrium Arcadum.

Justus Fontaninus Forojulienſis ab anno MDCCIV. ad annum MDCCVIII. Rhetoricis, Humaniſque Litteris publice tradendis in Romano Gymnaſio operam dedit. Quanta ejus fuerit eruditio teſtantur libri plures ab eo edi-

editi : *Oratio de uſu & præſtantia bonarum litterarum* : *De Corona ferrea Longobardorum* : *De antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruſcorum* : *Vindiciæ antiquorum diplomatum contra Bartholomæum Germonium* : *Diſſertatiuncula de Codice Veneto Evangelii S. Marci* : *Dell' Eloquenza Italiana* : *Ragionamento delle maſnade, e d' altri ſervi ſecondo l' uſo de Longobardi* : *L' Aminta di Torquato Taſſo difeſo, & illuſtrato* : *Dell' Iſtoria del dominio temporale della Sede Apoſtolica nel Ducato di Parma, e Piacenza* : *Giunte dell' oſſervazioni intorno all' Iſtorici Italiani regiſtrati da Gerardo Voſſio* : Diu præfuit nobiliſſimæ Bibliothecæ Renati Cardinalis Imperialis, decoratuſque Archiepiſcopatu Ancyrano obiit anno MDCCXXXVI.

Alexander Burgos Meſſanenſis, Ordinis Minorum Conventualium, natus anno MDCLXVI. excelluit in Humanioribus Litteris, Poeſi, & Eloquentia. Primum apud ſuos Philoſophiam, Theologiamque docuit, tum in Bononienſi Gymnaſio Rhetoricæ præcepta tradidit, deinde Peruſiæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam publice profeſſus eſt. Romæ magnam omnium Ordinum æſtimationem ſibi conciliavit, adſcriptus inter Conſultores S. Cong. Indicis, interque Academicos Arcades, & Infecundos, donatuſque publica Cathedra Rhetoricæ, & Humaniorum Litterarum anno MDCCVIII. cui muneri incubuit uſque ad annum MDCCXIII. cum ad Cathedram Metaphyſicæ in Gymnaſio Patavino accerſitus eſt. Tum anno Chriſti MDCCXXVI. a Carolo VI. nominatus eſt Epiſcopus Catanenſis, ubi obiit, cum ante paucos dies eo perveniſſet. Extant ejus Carmina quædam Italica, quæ recenſet Mongitorius in Bibliotheca Sicula. Tum etiam Diſſertationes nonnullæ: *De neceſſitate, & uſu Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in rebus Theologicis* : *De uſu & neceſſitate Eloquentiæ in rebus ſacris tractandis, habita in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ* : *In funere Leonis X.*

Orationes duæ: *Oratio pro ſtudiis primæ Philoſophiæ habita in Gymnaſio Patavino*. Laudatur ab eruditis Lipſienſibus.

Paulinus a S. Josepho Lucenſis Clericus Regularis Scholarum Piarum ab anno MDCCXIII. Cathedram Rhetoricæ, & Humaniorum Litterarum in Gymnaſio Romano obtinet. Per annos viginti inſtituit Geometria, cæteriſque Mathematicis Diſciplinis nobiles adoleſcentes, qui in Collegio Nazareno aluntur, ubi præfuit aliquamdiu. Anno MDCCXLII. in Comitiis generalibus ſui Ordinis adlectus eſt inter illos quatuor, qui una cum ſupremo Moderatore, univerſum Ordinem adminiſtrant, quos Aſſiſtentes Generales nuncupant; eodemque munere fungi illum aliis ſex annis Comitia anni MDCCXLVIII. decreverunt. Plures in Gymnaſio Orationes habuit, quarum undecim unico volumine collectas publici juris fecit anno MDCCXXVII. eodemque anno Lipſienſes viri docti in ſuis *Eruditorum Actis* hocce judicium de his Orationibus tulerunt: *dignas eaſdem utique fuiſſe, quæ publicæ luci commiſſæ, cum pluribus communicari, pluribuſque legi poſſent illi fatebuntur, quibus intelligere datum eſt, quantum veræ laudis habeat oratio, naturali ſua florens pulchritudine, caſta, gravis, concinna, & æquabiliter decurrens, & quæ a fucis, atque frigore longiſſime abſit. Ipſe etiam argumentorum delectus, atque dignitas pretium illis haud leve addit, atque ornamentum. Prima ſcilicet de litterarum humaniorum neglectu, atque corruptela agit: Secunda vulgare præjudicium confutat noſtræ ætatis hominum, qui Mæcenatum penuriæ minus recte tribuunt, quod pauci admodum hodie ultra mediocritatem in litterarum ſtudiis aſſurgant: quarta quanta ſit illiteratorum infelicitas commonſtrat: quinta de forenſi Latinitate expurganda graviſſima conſilia ſubminiſtrat: ſexta de uſu & neceſſitate Eloquentiæ in foro, & hodiernis judiciis differit:*
ſepti-

Digitized by Google

ſeptima in optimis ſtudiis lente feſtinandum eſſe ſaluberrimis monitis inculcat: octava, quæ maxime ſit expedita diſcendi ratio edocet: decima ingeniorum delectum ad ſtudia litterarum habendum eſſe demonſtrat, quo neglecto, quod plerumque fieri videas nihil eximii enaſci poſſe: tertia denique, nona, atque undecima in laudibus Leonis X. P. M. decantandis occupantur, & in anniverſariis parentalibus memoriæ hujus Pontificis Archigymnaſii reſtauratoris dicatis habitæ ſunt. Hæque Orationes ſequenti anno typis rurſus editæ ſunt Lipſiæ, cura Joannis Erhardi Kappii in Lipſienſi Gymnaſio Eloquentiæ Profeſſoris, uti teſtatur Joannes Georgius Walchius in Hiſtoria Critica Latinæ Linguæ, Cap. XII. ubi agens de lectione Scriptorum Recentiorum, ait: *Paullinus a S. Joſepho Profeſſor Eloquentiæ publicus in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ edidit nonnullas Orationes latinas ſeparatim, quas deinde in ſummam redegit ac conjunctim juris publici fecit: novis iiſque elegantibus typis iſtas repetendas curavit* MDCCXXVIII. *eruditiſſimus Jo: Echard Kappius atque doctiſſimum programma adjecit de cauſis corruptæ hoc ævo Eloquentiæ Romanæ, eo conſilio, ut cultoribus caſtæ, ac nitidæ Latinitatis ac Romanæ eloquentiæ pulcrum exemplum, quod ante oculos haberent, ac ſedulo imitarentur, commendaret, cujus conſilii, & rectam iniit rationem: adparet enim in hiſce Orationibus magna Eloquentiæ vis, elegans, & caſta dictio, ſententiarum ſplendor, & gravitas; hiſque virtutibus ad laudem Oratorum veterum accedunt, ſuoque Auctori merito inſignem inter illos, qui noſtro ævo facundia ſua eloquentiæ litteras ornant, locum vindicant.* Sed & Budeus in ſupplemento ad Iſagogen Theologicam Tom. 2. pag. 21. harum Paulini Orationum multa cum laude meminit. Anno MDCCXLVIII. illarum prodiit volumen ſecundum BENEDICTO XIV. Pontifici Optimo Maximo conſecratum, cujus benevolen-

lentia, & patrocinio jam pridem Auctor uſus eſt. Harum duæ Leonem X. celebrant, duæ Sciolos oppugnant, cæterarum argumenta ſunt: De litteris, & eloquentia cum cæteris diſciplinis conjungendis: De M. Tullio Cicerone imitando: De ſtudio Poetarum ad litteras, & eloquentiam neceſſario: De præmatura ingenii ſui opinione: De optimis artibus nobili juventuti neceſſariis: De probitate viro litterato neceſſaria: De vi, & poteſtate litterarum: De felicitate viri litterati. Eodem Auctore anno Domini MDCCXXXVI. editæ ſunt: *Inſtitutiones Analyticæ earumque uſus in Geometria cum Appendice de conſtructione Problematum ſolidorum*: & anno MDCCXLIII. *Inſtitutiones Arithmeticæ cum Appendice Praxeon Chronologicarum*: quarum tanta fuit fortuna, ut neceſſe fuerit paulo poſt, eas ſemel, iterumque prælo dare. Extant & ejus Carmina quædam, nomine *Trinuri Naviani* Paſtoris Arcadis, nempe Ecloga Cardinali Alexandro Albano poſt gravem, diuturnamque oculorum ægritudinem in Caſtro Gandulphi prope Albam confirmandæ valetudinis cauſa commoranti; & altera in nuptiis Caroli Albani, & Tereſiæ Borromeæ.

CA-

CAPUT II.

PROFESSORES PHILOSOPHIÆ.

GEorgius Trapezuntius patria Cretenſis ſub Eugenio IV. Pontifice, tempore Concilii Florentini in Italiam venit, & Venetiis primo, deinde Romæ pedem figens, Rhetoricam, ac Philoſophiam docuit, præfuitque Gymnaſio, circa annum MCDXL. Poſtea a Nicolao V. ſibi ab epiſtolis eſſe juſſus eſt. Anno MCDLXV. Coſtantinopolim venit, moxque rediit in Italiam. At ob ſummum Ariſtotelis ſtudium, contemtumque Platonis, odium Cardinalis Beſſarionis, aliorumque in ſe concitavit, ut illi neceſſe fuerit Urbe excedere, & ad Alphonſum Regem Neapolitanorum confugere, cujus ſtipendiis diu vixit, tandemque ſenex, amiſſa memoria, obiit Romæ anno MCDLXXXIV. Virum fuiſſe doctiſſimum, veteriſque litteraturæ Græcæ peritiſſimum, & Ariſtotelicis partibus addictiſſimum conveniunt Eruditi, quorum judicia de Trapezuntio collegit Allatius in libro de claris Georgiis. Audiendus de eo Volaterranus Lib. 21. Anthrop. *Georgius Trapezuntius patria, venit Ponto Romam, Eugenio ſedente: Peripateticus & ipſe vir, labore aſſiduo circa diſciplinas omnes, utriuſque linguæ interpres eruditiſſimus. Scripſit de Rhetorica, vertit magnum Ptolomæi opus, quod Almageſtum vocant: quare a Nicolao V. Apoſtolicus Scriba factus fuerat ob litteras, publicoque ſalario profitebatur, quem ego ſenem puer docentem audivi. In extrema ſenectute oblitus erat omnino litterarum, ſoluſque urbem baculo nixus incedere malebat.* Vertit etiam Platonis libros de legibus,& Euſebium,Cyrilli libros de Trinitate, Chryſoſtomi homilias multas,

Ba-

Digitized by Google

Baſilium in Eunomium, & alios Græcos. Scripſit Dialecticam, Commentarium in Ptolomæi centum ſententias, Tractatum de Antiſciis, Tractatum de Aſtrologorum judiciis, & alia plurima. Ejus vitam edidit Fernandus Alphonſus Herrera; atque de eo agunt Jovius in elogiis, Allatius de claris Georgiis, Pappadopoli de Gymnaſio Patavino, Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ, Veidlerus in Hiſtoria Aſtronomiæ, aliique.

Theodorus Gaza Theſſalonicenſis doctiſſimus Philoſophicis, Medicis, Theologicis rebus, atque elegantioribus litteris, Romam venit Eugenio Pontifice, a Beſſarione Cardinale humaniſſime exceptus & Presbyter ordinatus eſt, deinde donatus Cathedra in Gymnaſio, & ſacerdotio in magna Græcia. At negligens rei familiaris in paupertatem, atque inopiam redactus eſt, ut ad Brutios ſe receperit, ibique obierit anno MCDLXXVIII. Volaterrano dicitur *utroque eloquio clariſſimus, & in Eloquentiæ, Philoſophiæque ac Medicinæ ſtudiis hujus ſæculi facile princeps habebatur, æmulus omnino Trapezuntii*. Convertit in Latinum ſermonem Theophraſtum de Plantis, Ariſtotelis libros de animalibus, & libros problematum; præterea libros Ciceronis de ſenectute, & amicitia in Græcam elegantiſſime linguam. Scripſit de Grammatica libros quatuor, & de menſibus Atticis librum unum. Excelluit præſertim peritia Ariſtotelicæ Philoſophiæ. Summis laudibus extollitur a Jovio in elogiis, Fabricio in Bibliotheca, Bruchero in Hiſtoria Philoſophiæ.

Andronicus Callisti Theſſalonicenſis, Græcia a Turcis ſubacta, Urbem petiit, atque Cardinalis Beſſarionis patrocinio ſe commiſit. Vir fuit in Græcis antiquitatibus verſatiſſimus, & in Ariſtotelica Philoſophia nulli ſecundus, quam & publice docuit in Gymnaſio. De eo ita ſcribit Volaterranus: *Andronicus item Theſſalonicenſis præceptor in Græca diſciplina ſecundum Theodorum*

Digitized by Google

dorum habebatur forte & lingua patria ſuperior. Nam unus omnes ejus ſermonis auctores evoluerat: ac ſcientiam quam cyclicam vocant, præterea Ariſtotelicam omnem diſciplinam probe tenebat. Romæ apud Nicænum vivebat, profitebaturque non pari quidem virtuti emolumento. Quapropter ſicut plerique alii ejus generis coactus eſt egeſtate Urbem deſerere, Florentiamque ſe conferre, ubi magno diſcipulorum concurſu, inter quos Politianus fuit, aliquot annos profeſſus, demum in Galliam comatam penetravit, dum ibi majora ſperat emolumenta: ubi parvo poſt tempore, cum eſſet jam magnopere ſenex, morbo extinctus eſt. Fuit alioquin pronunciatione ineptus, & qui preter ſtudium Litterarum nihil omnino rerum ageret. Jam Cap. 7. Lib. 1. narravimus quas Trapezuntius & Andronicus inierint cum Platonicis Philoſophis concertationes. Andronici ſcripta, atque epiſtolas recenſet Fabricius in Bibliotheca Græca Vol. 2. De eo Bayle in Dictionario, & Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ.

Joannes Argyropulus Conſtantinopolitanus, patria a Turcis capta, Florentiam ſe contulit, a Coſmo Mediceo benigne exceptus, & ob egregiam litterarum Græcarum, ac Philoſophiæ Ariſtotelis ſcientiam, iſtitutioni litterariæ Petri filii, atque Laurentii nepotis lauto ſtipendio præfectus eſt. Ibi & diſcipulum habuit in Philoſophia Angelum Politianum. Graſſante in Etruria peſte, anno MCDLXXX. Romam venit, docuitque in Gymnaſio Ariſtotelis Philoſophiam. Vertit in Latinum ſermonem Phyſicos & Ethicos hujus Philoſophi libros. Addidit Commentarium in Ethicam Ariſtotelis, & Solutiones quæſtionum, quas propoſuerunt Philoſophi, & Medici quidam ex Cypro inſula. Recenſent ejus ſcripta Voſſius agens de Hiſtoricis Græcis, Fabricius in Bibliotheca, Oudinus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. De eo hæc habet Volaterranus: *Argyropolus patria Coſtantinopolitanus*

Digitized by Google

Florentiæ diu profeſſus plurimos docuit: inter quos Donatum Acciajolum. Deinde Romæ publico ſalario, ubi paulo poſt obiit, relicto filio Iſacio nobili muſico. Aliquot Ariſtotelis libros convertit magis eleganter, quam fideliter, cum in hoc Philoſopho haud aliter, quam in ſacris libris verbum verbo reddere oporteat. Jovius in elogiis auctor eſt obiiſſe ſeptuagenarium ex immodico melopeponum eſu, cum cibi, & vini æque avidus, & capax, & multo abdomine ventricoſus eſſet. Extinctus eſt anno MCDLXXXVI.

Andream de Perusio Procuratorem Generalem Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & publicum in Gymnaſio Philoſophiæ Profeſſorem memorat Gianus in Annalibus Servorum ad annum MCDXCIV.

Franciscum de Verona ex eodem Ordine, pariterque Procuratorem Generalem, & Philoſophiæ publicum Profeſſorem ibidem Gianus commemorat, ad eumdem annum.

Augustinus Niphius Sveſſanus, celeberrimi nominis Philoſophus Peripateticus hauſerat Philoſophiam Patavii a Nicoleto Vernia, ſummo ſtudio placitis Averrois addicto. Eam Neapoli primum multis annis docuit; tum, Jovio teſte, in omnibus fere Italiæ Academiis, Piſis, Bononiæ, Salerni, ac Romæ ſub Leone X. Et ipſe in libro de Divitiis fatetur oblatum ſibi a Venetis, & Bononienſibus ſtipendium millenorum aureorum ſingulis annis, ut in eorum Gymnaſiis Philoſophiam doceret, ſeque hanc mercedem a Florentinis accepiſſe, cum Piſis profitebatur. Pluribus beneficiis a Leone X. affectus eſt, uti colligitur ex Diplomate hujus Pontificis relato a Sandero in *Flandria illuſtrata*, uſus quoque eſt gratia Caroli V. Imperatoris. Plurima ſcripſit Opera, quorum longum catalogum exhibent Gabriel Naudæus, & Toppius, ac Nicodemus in Bibliotheca Neapolitana. Nam univerſos fere Ariſtotelis libros Analyticorum, To-

Topicorum, de Rhetorica, de anima, de phyſico auditu, de Cœlo & Mundo, de Generatione & Corruptione, de Phyſiognomia, de Animalibus, Meteorologicos, ac Metaphyſicos Commentariis illuſtravit; uti etiam plurima Averrois Opera. Atque hi Commentarii maxime inter ejus labores commendantur. Tum libros plures ſcripſit de Intellectu, de Immortalitate animæ, de Dæmonibus, de Artificioſa interpretatione ſomniorum, de Diebus criticis, de Calamitatum noſtrarum cauſis, de Figuris ſtellarum, de Veriſſimis temporum ſignis, de Ratione medendi, de Auguriis, de Regnandi peritia, de Re Aulica, de Pulchro & amore, & Opuſcula. Scripta ejus moralia collegit, ediditque Gabriel Naudæus, qui in eorum præfatione fuſe, & accurate Niphi vitam deſcribit. Obiiſſe dicitur a Jovio anno MDXXXVII. Sed obſervat Naudæus anno MDXLV. Niphum in vivis fuiſſe, cum eo anno inſcripſerit Paulo III. librum de Animalibus. Mortem ei acceleraſſe Jovius ait, quod cum iter nocturno tempore in patriam faceret, obortis tonſillis, quæ fauces obſederant, refrigeratus perierit. Videndi de Nipho Naudæus, Sanderus, Bayle, Brucherus.

Marcus Antonius Zimara Sanctipetrinas Philoſophus non ignobilis poſtquam in Patavino Gymnaſio Logicam docuiſſet Romam venit ad obeundum munus publici Profeſſoris. Sed anno MDXXV. Patavium rediit, ut primam in hoc Gymnaſio occuparet Cathedram Philoſophiæ. Hujus ſunt hæc Opera: *Theoremata*, quæ vocat, *memorabilium propoſitionum limitationes. Tabula dilucidationum in dicta Ariſtotelis & Averrois, ordine alphabetico propoſita. Indicatio locorum, in quibus hi Philoſophi copioſius de rebus quæſitis diſputant. Solutiones contradictionum Ariſtotelis, & Averrois in unum collectæ, & in ordinem redactæ ex contextu librorum utriuſque Magiſtri*. Obiit anno MDLII. Hunc laudat Nicolaus Pappadopoli in Hiſtoria Gymnaſii Patavini.

Digitized by Google

Franciscus Palmerius Romanus, Profeſſor Philoſophiæ, memoratur a Joanne Pierio Valeriano in libro de infelicitate Litteratorum, his verbis: *Franciſcus Palmerius Romanus civis, vir optime litteratus: & Philoſophiæ ſtudiis clarus, qui Piſis, & Romæ, ea publice profeſſus eſt, ambiguum faciebat, utrum magis eruditione, an eloquentia præſtaret. Apud Cardinalem Rodulphum in honore fuit.* Addit triduo ante direptionem Urbis Palmerium exceſſiſſe, atque magnam illam calamitatem evaſiſſe. Sed anno ſequente miſſum a Pontifice ad Urbem veterem ad Joannem Sabellum, ut diſcordias inter eum Romanum & Cæſarinos componeret, re geſta, redeuntem ad Urbem, medio in itinere ita evanuiſſe, ut neque ejus, neque comitum fama ulla apparuerit.

Ludovicus Buccaferreus Bononienſis Philoſophus, ac Medicus Leoni X. & Clementi VII. & Cardinali Gonzagæ charus, docuit primum in Patria Logicam & Philoſophiam annis octo; tum anno MDXXII. Romam ductus a Cardinale Pyrrho Gonzaga, ibi magno honorario Peripateticam Philoſophiam quinquennio profeſſus eſt. Et narrat ipſe Lectione 30. in Ariſtotelem de Senſu, & Senſibili, ut in Coronatione Clementis VII. interpellata fuerit ejus ſententia, an aqua Sacri Calicis in vinum tranſmutaretur. Anno MDXXVIII. Romanam Cathedram cum Bononienſi commutavit, in qua diſſeruit annis ſexdecim, habuitque inſignes diſcipulos Julium Scaligerum, Franciſcum Piccolomineum, Federicum Pendaſium, Antonium Bernardum, Mainettum de Mainettis, Hieronymum Oſorium. Sacris initiatus, inter Protonotarios Apoſtolicos adlectus fuit, tum etiam donatus Equeſtri honore, & dignitate Comitis Palatini. Scripſit Commentarios in librum primum Phyſicorum, primum, & ſecundum de Ortu, & Interitu, quatuor libros Meteorologicorum, tres libros de Anima, ac Parva Natu-

ralia

Digitized by Google

ralia Ariſtotelis. Vivis exceſſit anno MDXLV. tribus annis major ſexagenario. Laudatur a Ghilino in Theatro Litteratorum, & Thomaſſino in elogiis doctorum virorum.

Hieronymus Artius Hiſpanus Profeſſor Mataphyſicæ ſub Paulo III. anno MDXXXIX. legitur in antiquis Catalogis Profeſſorum.

Jacobus Jacomellus eodem tempore Philoſophiam & Logicam profitebatur. Is e Collegio Medicorum Urbis fuit, patremque habuit Coſmum Jacomellum Protomedicum generalem medio fere hoc ſæculo decimo ſexto. Jacobus anno Domini MDXLIX. adhuc profitebatur Theologiam ſimul ac Philoſophiam magnis ſtipendiis.

Sebastianus Antonius de Setia extra ordinem anno MDXXXIX. de Philoſophicis rebus agebat.

Franciscus Sansonius Logicam pertractabat, tum Philoſophiam uſque ad annum MDLII. Julio III. Pontifice. E Collegio erat Medicorum Urbis, atque Protomedicum generalem egit anno MDLIV. & rurſus poſt annos undecim.

Joannes Baptista Calderinus Veronenſis, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Metaphyſicam ſimul & Theologiam tradidit in Gymnaſio ſub Paulo III. ab anno MDXLII. deinde vero ſub Pio IV. & Pio V. ſolis Theologicis rebus incubuit. Variis apud ſuos claruit muneribus Prioris S. Mariæ in Via, Commiſſarii, Vicariique generalis, tum & Pœnitentiarium egit Baſilicæ Vaticanæ, atque Cardinalium Collegio non ſemel fuit a Sacris Confeſſionibus. De eo hæc narrat Gianus in Annalibus Servorum: *Joannes Baptiſta Divinis humaniſque litteris verſatus diu Romæ fuit, & Metaphyſicalem Cathedram ea in Sapientia plures annos exercuit. Decertabant in eo ſcientia ſimul & religio, quæ tantum valuit, ut non modo Pœnitentiarii officio in Vaticano tamdiu fungeretur, quod aliorum Decanus evaſiſſet; verum etiam*

etiam & Familiæ Farneſiæ perpetuus criminum expiator ante Pontificatum Pauli III. uſque ad hæc tempora eſſet, non ſine maxima Farneſiorum benevolentia, & reverentia erga ipſum. Quanti vero apud Curiam haberetur Pater iſte, tria ſucceſſive Conclavia Cardinalium apertiſſime declarant, quibus ipſe eorumdem Purpuratorum Confeſſarius publicus deputatus fuit. Quali autem in tam magnis opportunitatibus moderatione animi ſit commendandus Calderinus, unum illud ſatis demonſtrat, quod a Duce Farneſio, a Duciſſa, a tota familia a pleriſque Prælatis, & Cardinalibus ipſis frequenter monitus, ut aliquid pro ſe eflagitaret, numquam adduci potuit, ut vel tantillum quid pro ſe a quovis expoſceret; cum enim in adoratione Marcelli Pontificis, qui fuerat Protector noſter, & valde familiaris ejuſdem, Calderinus poſt Cardinales antequam Conclave diſſolveretur ad ipſius pedes accederet, monitus a Pontifice, ut aliquid per ſe peteret, plenariam tantummodo in articulo mortis Indulgentiam pro ſe humiliter petiit. Obiit anno Domini MDLXXIV.

Hieronymus Pontanus ab anno MDXLVIII. per annos triginta quatuor Philoſophiam profeſſus eſt. Is patria fuit Imolenſis profeſſione Medicus, atque Protomedicus generalis annis 1575. 1581. & 1589.

Joannes Paulus Cardellius Novarienſis, Ordinis Servorum B. M. Virginis, ſub Paulo III. de Logicis rebus agebat. Hunc ita deſcribit Gianus in Annalibus: *Vir facili, tenaci, & perpetua memoria, doctrina, & eloquentia tam diſſerendo in Cathedra, quam in ſuggeſtu declamando ſingularis. Id noverunt Mediolanum, Venetiæ, Ancona, Roma & aliæ percelebres Italiæ Cathedrales. Id experta fuit publica Sapientia Romæ, ubi diu Cathedram primariam exercuit, & ejus tandem eloquentiam teſtantur, quæ typis mandatæ fuerunt anno* MDLXXV. *conciones in libro qui inſcribitur: Prediche di di-*

diverſi illuſtri Teologi. Fuit ſui Ordinis Vicarius generalis anno MDLXIV.

Michael Angelus Naldinius Florentinus Ordinis Servorum B. M. Virginis, aliquot annis, Pontifice Paulo III. Philoſophiam e Cathedra docuit. Hunc Philoſophum, Theologumque præſtantiſſimum aſſerit Pocciantrius in elogiis illuſtrium Florentinorum, qui in Cathedrali Florentina ſumma cum laude libros Job fuerat interpretatus, & Antonio Altoviti Archiepiſcopo erat a rebus Theologicis, ac conciones habuerat in præcipuis Italiæ Civitatibus. Edidit *Speculum patientiæ Job*, ſeu homilias triginta duas in Job, Etruſco ſermone. Obiit ſexagenarius anno MDLXX. uti in Annalibus Ordinis Gianus teſtatur.

Agamennon de Castello, & Cæsar Jacomellus operam ſuam tractandæ Logicæ impendebant ſub Paulo III. anno MDXLIX. una cum Joanne Paulo Cardellio, & Alexandro Butrio, horis matutinis, veſpertiniſque; ſimulque Philoſophiam extra ordinem profitebantur.

Alexander Butrius Romanus Medicus Collegii, primo Logicam docuit ſub Paulo III. tum Philoſophiam annis quadraginta ſtipendio aureorum quadringentorum.

Joannes Jacobus Pavesius Catacenſis Philoſophus & Medicus prærat Cathedræ Philoſophiæ anno MDLXI. quo eodem munere functus eſt in Gymnaſio Patavino. Laudatur a Barrio Lib. 4. Cap. 1. de antiqu. Calabriæ, & a Toppio in Bibliotheca Neapolitana, hæcque illius Opera recenſentur: *Commentarii in prologum Averrois ſuper Analytica Poſteriora Ariſtotelis: Peripateticæ Diſputationes in prima Ariſtotelis Philoſophia*. Hunc Savonenſem facit Juſtinianus de Scriptor. Ligur. At antiqui Profeſſorum Catalogi Calabrum aſſerunt.

Ptolomæus Corphinius e Populo in Neapolitano Regno, ab anno MDLXI. ſedit per annos ultra viginti in Cathedra Metaphyſicæ, tum a Sixto V. præfectus eſt Eccleſiæ

cleſiæ Bovenſi, obiitque in Urbe, uti colligitur ex monumento ei in patria excitato, quod in Bibliotheca Neapolitana retulit Toppius: *D. O. M. Ptolomæo Corphinio Doct. Theol. a Populo dum Romæ publicus interpres Philoſophiæ ſumma cum laude florebat a Sixto V. Pontifice Max. meritorum memore Epiſcopus Bovenſis creatus eſt, qui poſt triennium Eccleſiæ regiminis migravit ad cœlum, ſepultuſque in Eccleſia S. Valentini in Urbe a par. Virg. MDXC. ne tanti viri memoria pereat Angelus Felix Archipreſbyter Buxi & Sac. Theol. Mag. grati animi monumentum poſuit.*

Marcus Antonius Muretus, de quo diximus Capite antecedenti, Moralem Philoſophiam docuit ſub Pio IV. anno MDLXIII. ſtipendio aureorum centum.

Aristophilus de Florenzolis ſimul cum Alexandro Butrio res Philoſophicas pertractabat anno MDLXVII. Pio V. Pontifice eique ſub Gregorio XIII. ſucceſſit Bernardus Crippa, cujus extat liber a Lindenio relatus: *Peripateticæ vitæ conſervatio*.

Julius Castellanus Philoſophiam profitebatur ſub Gregorio XIII. hora matutina, ſtipendio aureorum centum & quinquaginta. Hunc memorat, laudatqre Ughellus in Epiſcopis Faventinis, agens de Joanne Antonio de Graſſis Epiſcopo Faventino. Ibi teſtatur Julium Caſtellanum fuiſſe Nobilem Faventinum, & Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, tum Profeſſorem Gymnaſii Romani, atque a Sixto V. deſignatum Epiſcopum Cariatenſem, virum doctrina, & libris clarum, quippe qui Quæſtiones Academicas in Ciceronem eruditiſſimas, & de Humano Intellectu ad Platonis mentem evulgavit, inſcripſitque Coſmo Mediceo Magno Duci Etruriæ, cujus filios erudierat; Queſtiones vero Academicas dedicavit Cardinali Hieronymo Dandino Epiſcopo Imolenſi; & alia reliquit ſui ingenii monumenta, quæ extare apud Petrum Damianum Caſtellanum illius conſanguineum, Abbatem Ci-

Ciſtercienſem, refert Ughellus. Obiit Julius Romæ, anno MDLXXXVI. Editi ab eo libri ita inſcribuntur: *Commentarii in libros Ariſtotelis de humano Intellectu ex doctrina Philoſophorum Chriſtianorum deſcripti*: *Notæ in Cyropediam Xenophontis*: *Adverſus Ciceronis Quæſtiones Academicas Diſputatio*. De eo Morerius in Dictionario, Thuanus in Hiſtoria, Teiſſierius in elogiis.

ANTONIUS BUCIUS Burgi S. Sepulchri, & Theodoſius Cerbellius Sabinus Logicam profitebantur ſub Pio Papa IV. tum ſub Pio V. Philomenus Boccuccius ſimul cum Cerbellio huic muneri vacabat, & ſub Pontifice Gregorio XIII. anno MDLXXVI. Gaſpar Pirotus, & Jacobus Trullus, & poſt annos ſex Aloyſius Peregrinus, & Emanuel Conſtantinus de Logicis rebus diſſerebant. Ex his Theodoſius Cerbellius e Colle veteri, & Gaſpar Pirotus Romanus, fuerunt Medici Collegii Urbis.

ALOYSIUS PEREGRINUS Neapolitanus Profeſſor Logicæ ab anno MDLXXXI. per annos fere decem; eique ſucceſſit in eadem Cathedra Tibųrtius Galeranus Camerinenſis uſque ad annum MDXCV.

JOSEPH DE SANCTIS ÆQUICOLA Reatinus Medicus ab anno MDLXXXI. Logicam profiteri cœpit, tum poſt annos duodecim Cathedram Philoſophiæ, tandem Medicinæ obtinuit, vixitque ad annum uſque MDCLIII. ut Profeſſor jam eſſet annorum ſeptuaginta. Bis egit Protomedicum generalem.

JULIUS CÆSAR LAGALLA Padulanus in Neapolitano Regno, ſucceſſit Æquicolæ anno MDXCIII. atque hora veſpertina Logicam profeſſus eſt annis ſeptem, tum initio ſæculi decimi ſeptimi ad Philoſophiæ Cathedram aſcendit, docuitque in ea ſtatione annis viginti quatuor. Magnis laudibus extollitur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca, a quo Lagalla dicitur docuiſſe Philoſophiam, ac Medicinam magna cum auditorum frequentia, quam illi conciliabat ſingularis doctrina, cum eloquentia, & La-

 tini

Digitized by Google

tini ſermonis elegantia. Cum Pompejo Caimo inimicitias geſſit. Scripſit librum de immortalitate animorum, diſputationem de cælo animato, & philoſophica alia multa, quorum magna pars ab eodemmet ipſo commiſſa eſt Leonis Allatii fidei, ac diligentiæ. Obiit in Urbe, jacetque in Eccleſia Carthuſianorum. Ejus vitam ſcripſit Leo Allatius.

Lælius Peregrinus de Sonnino ab anno MDLXXXVI. Moralem Philoſophiam annis quindecim profeſſus eſt. A Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca dicitur Orator non ſolum diſertus, verum etiam eloquens, qui Orationes plures habuit magna cum laude, & Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis inprimis excultus. Extant nonnullæ ejus Orationes, quarum una eſt ad Clementem VIII. dux de Chriſti ad Cælos aſcenſu, una feria quarta Cinerum. Orationem quoque habuit in Baſilica Liberiana in funere Sixti V. quam in hujus Pontificis vita edidit Ciacconius.

Evangelista Patavinus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Profeſſor Philoſophiæ ab anno MDLXXXII. per annos undecim hora veſpertina; cum Alexander Batrius hora matutina Philoſophiam profitebatur.

Marius Acetura Tricaricenſis Ordinis Minorum Conventualium aliquot annis ſub Sixto V. Pontifice, & Rectore Horatio Burgheſio Metaphyſicam docuit.

Alphius Mattiholus Alcamenſis Carmelita poſtquam Drepani, Panormi, Neapoli, & Patavii apud ſuos Philoſophiam, Theologiamque docuiſſet, Methaphyſicæ Cathedram obtinuit in Romano Gymnaſio, anno MDXC. Suæ religionis munia præſtantiſſima geſſit, illumque Dux Feriæ moderator Siciliæ inter illos recenſuit, quorum unum Philippus III. Rex Hiſpaniæ nominaret Epiſcopum Agrigentinum. Scripſit Lectiones Theologicas, ac Philoſophicas, lucubrationeſque in Metaphyſicam.

Digitized by Google

ſicam. Laudatur a Lucio Belga in Biblioth. Carmel. Mongitorio in Bibl. Sicula, Pirro in notitia Eccleſiæ Mazarienſis.

Henricus Silvius Aſtenſis Carmelita in ejus locum ſucceſſit poſt annos duos uſque ad annum mdxcix.

Joannes Antonius Bovius Carmelita Novarienſis ei ſubrogatus eſt, & annis octo diſſeruit de Metaphyſicis rebus. Edidit: *Riſpoſta alle conſiderationi di Fra Paolo da Venetia ſopra le Cenſure di Paolo V. Lettera a Paolo Rocca ſopra due lettere del Doge e Senato di Venezia al Clero e popoli del ſuo ſtato*. Anno mdcvi. creatus eſt Epiſcopus Melphitenſis, vixitque in Epiſcopatu annis ſexdecim.

Franciscus Patricius celeberrimus Philoſophus Platonicus natus eſt anno mdxxix. Cliſſæ in Illyrico, unde Venetus dicitur, atque in prima adoleſcentia continuis peregrinationibus terra marique per Græciam, Aſiam, Europam occupatus, tandem poſt Cypricum bellum, oppreſſus adverſa fortuna Patavium venit, ſeque totum Philoſophiæ dedit, tum Mutinæ, ubi familiaritatem iniit cum Tarquinia Molzia rerum Philoſophicarum peritiſſima. Ab Antonio Montecatino clari nominis Philoſopho commendatus Alphonſo II. Duci Ateſtino, juſſus eſt Platonicam Philoſophiam in Gymnaſio Ferrarienſi publice profiteri, quo in munere, ſumma cum gloria, verſatus eſt annis ſeptendecim. Quapropter Clemens VIII. inſignem virum Romam vocavit, atque Platonicam Philoſophiam juſſit in Gymnaſio docere, ſtipendio ſexcentorum aureorum. Eo munere Patricius functus eſt ab anno mdxci. uſque ad annum mdcvii. quo ſupremum obiit. Omnium doctorum virorum conſenſu (quorum teſtimonia collegerunt Fabricius in Bibliotheca, Craſſus in elogiis, Gimma in Hiſtoria Litteraria) Patricius inter ſummos Italiæ viros doctrina illuſtres numeratur ob ingenii vim, ornatum dicendi, & abſolutiſſi-

mam antiquorum notitiam. Præſertim Erithræus in Pinecotheca eruditionem, ingeniumque Patricii ſummis laudibus commendavit. In eo tamen Mazonii, & plurimorum invidiam in ſe concitavit, quod nedum Platonicam Philoſophiam nimium extolleret, ſed Ariſtotelem peſsime ageret, ac contumeliis afficeret. De qua re diximus Cap. VIII. Lib. I. atque videndus Jacobus Bruckerus in Hiſtor. Philoſ. Period. III. Part. I. Libr. II. Cap. IV. Plurima edidit Latine & Italice, eaque ſunt: *Diſcuſſiones Peripateticæ*: *Ariſtoteles exotericus*: *Nova de univerſis Philoſophia libris quinquaginta comprehenſa*: *Paralleli militari*: *La milizia Romana di Polibio, T. Livio, e Dionigi Alicarnaſſeo dichiarata*: *Della Poetica*: *Della Rettorica*: *Della Storia*: *Riſpoſta a due oppoſizioni fattegli da Jacopo Mazzoni*: *Difeſa delle cento accuſe dategli dal medeſimo*: & alia quædam. Tum etiam tenebris eruit Commentarium Græcum Philoponi in Metaphyſicam Ariſtotelis, atque Latinitate donavit, & Oracula Triſmegiſti, Orphei, Zoroaſtris collecta ſimul edidit. Fuſe de Patricio Bayle in Dictionario.

JACOBUS MAZONIUS Cæſenatenſis, fœcundi ingenii, & vaſtiſſimæ memoriæ Philoſophus Ariſtotelicarum partium, tantum valuit in Philoſophicis rebus, quibus in Patavino Gymnaſio operam dederat, ut juvenis fere viginti annorum, edito libro *de triplici hominum vita, activa nempe, contemplativa, & religioſa* quæſtiones centum & nonaginta ſeptem ſupra quinque millia publice diſputandas per quatriduum Bononiæ ſuceperit anno Domini MDLXXVII. magna cum omnium admiratione, uti narrat Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca. Creſcente tanti viri fama, nedum ſummi viri Mazonium in familiaritatem ſuam vocarunt, ſed etiam plures Academiæ illius operam conduxerunt. Narrat quidem Imperialis in Muſæo Mazonium Romæ primum, tum Maceratæ, & deinde per decennium Piſis docuiſſe, tandemque Gy-

Gymnaſio Ferrarienſi præfuiſſe. Aliter tamen narrat Erithræus, Petrum ſcilicet Cardinalem Aldobrandinum, qui ſub Clemente VIII. ſumma rerum potiebatur, tandem a Ferdinando Etruriæ Duce impetraviſſe, ut Romam mitteretur, ibique Cardinali cariſſimum, & officiis, beneficiiſque omnibus ornatum, mille aureorum ſtipendio conductum fuiſſe, ut Ariſtotelis Stagiritæ de Philoſophia libros in Gymnaſio Romano extra ordinem interpretaretur; ab eo autem Principe juſſum ſe Ferrariam ſequi, illuc cum eo abiiſſe. Quæ melius cohærent, quam Imperialis narratio, cum Mazonius a Romano Gymnaſio ad Ferrarienſis præpoſituram tranſierit, ibique in eo munere obierit. Igitur Mazonius e Piſana Cathedra ad Romanam translatus eſt, in qua tamen paucis annis ſedit. Nam cum anno MDXCVIII. Cardinalis Petrus Aldobrandinus ad Ferrariam recipiendam proficiſceretur cum exercitu, Mazonius illum ſecutus eſt, tum ob res bene geſtas aureo torque donatus, & Ferrarienſi Academiæ Moderator datus, quo in munere, vix quinquagenarius exceſſit anno MDCIII. Edidit præter memoratum librum de triplici vita, in quo Platonem & Ariſtotelem nititur conciliare, *Præludia in Ariſtotelem & Platonis univerſam Philoſophiam*, tum libros duos Italico ſermone in Dantis Poetæ patrocinium. Laudatur ab Imperiali in Muſæo, Jano Nicio in Pinacotheca, Bruchero in Hiſtoria Philoſophiæ.

Paulus Benius Eugubinus Philoſophiam profiteri cœpit anno MDXCIV. & annis quinque in hoc munere verſatus eſt. Ejus ſunt: *Diſputatio in Platonis Timæum, ſive in naturalem, atque divinam Platonis & Ariſtotelis Philoſophiam decades tres: Diſputatio, in qua oſtenditur, præſtare Comœdiam, atque Tragœdiam metrorum vinculis ſolvere: Diſcorſi ſopra l' inondazione del Tevere: Comparazione di Torquato Taſſo con Omero e Virgilio inſieme con la difeſa dell' Arioſto, paragonato* *ad*

Digitized by Google

ad Omero: Il Cavalcanti overo la difeſa dell' Anticruſca: Commentarii in Poeticam Ariſtotelis: Riſpoſta alle Conſiderazioni e dubii del Dottor Malacreta ſopra il Paſtor fido: Il Goffredo overe Gieruſalemme liberata del Taſſo col commento.

Marcus Antonius Lucianus Belfortenſis Logicam docebat anno MDCI. tum ad Cathedram aſcendit Medicinæ, ac ſtipendium meruit annis triginta. Protomedicus erat generalis anno MDCXXV.

Joseph Venturinus Piſanus Profeſſor Philoſophiæ ab anno MDXCVI. annis undecim ſimul cum Julio Cæſare Lagalla.

Philander Colutius Veliternus ab anno MDCIII. egit de Logica & de morbis mulierum. Obiit Protomedicus anno Domini MDCXXVII. edito libro, qui inſcriptus eſt: *De uteri querimoniis*. Sed aliquandiu Franciſcus Colutius illius vices ſupplevit, iſque ſcripſit: *De querelis Nephriticis*, libros tres. Linden de ſcript. Med.

Joannes Baptista Pisellus de Monte Bodio Ordines Minorum Conventualium Profeſſor Logicæ ab anno MDXCIX. annis octo; eique ſucceſſit Aurelius Rafaelius Peruſinus Ordinis Servorum B.M. Virginis; cujus ſedem poſt annos decem obtinuit Franciſcus Colutius Veliternus uſque ad annum MDCXXVII.

Pompejus Caimus Utinenſis, Medicus, & Mathematicus, Græcis, Latiniſque litteris edoctus, diſcipulus Hieronymi Mercurialis, primo in patria Medicinam exercuit, tum anno MDCVI. Philoſophiam docere cæpit in Romano Gymnaſio hora veſpertina ſimul cum Julio Cæſare Lagalla Profeſſore Philoſophiæ hora matutina, quocum ex ingenii æmulatione decertavit. Annis decem & octo e Cathedra Romana diſſeruit, uſuſque eſt patrocinio Cardinalis Montalti, in cujus ædibus diverſabatur; atque narrat in elogiis doctorum virorum Thomaſſinus Caimum invitatum a Piſanis, ut in eorum Gymnaſio profite-

Digitized by Google

ſiteretur ſtipendio aureorum mille & ducentorum noluiſſe Romanam Cathedram deſerere. Nec pingue illi erat in Urbe ſtipendium, cum anno MDCXXIII. vix ejus ſtipendium excederet aureos tercentos. Sed tanta ejus fama erat, ut non ſemel Neapolim, Florentiamque accitus fuerit ad valetudinem curandam Proregis, Magnique Ducis Etruriæ. Gregorio XV. lethalem morbum prædixit. Cardinale Montalto e vivis ſublato conducta eſt a Venetis ejus opera ut in Gymnaſio Patavino Medicæ Facultatis præcepta in locum Sanctorii traderet. Quo munere fungi cœpit anno MDCXXIV. ſed antequam Urbe excederet Urbanus VIII. illum cooptavit inter Equites Auratos, Comiteſque Palatinos. Patavii ſimultates ſuſcepit, exercuitque cum Cæſare Cremonino Philoſopho clariſſimo. Obiit anno MDCXXXI. ſexagenarius in pago quodam prope Patavium, quo ſe receperat, ſæviente peſte, his ingenii ſui monumentis relictis: *De calido innato libri tres*: *De febrium putridarum indicationibus juxta Galeni methodum libri duo*: *De nobilitate*: *Dell' ingegno umano*: *Parallello Politico delle Republiche antiche, e moderne*: *Dialogo delle trè vite migliori*: Et plurima manu exarata. Caimum laudant Thomaſſinus in Elogiis, Janus Nicius in Pinacotheca, Pappadopoli Lib. 3. Sect. 2. Cap. 28. Gymn. Patav. Mercklinius in additionibus ad Vander Linden de Scriptis Medicis.

STEPHANUS DE BARBERIIS Carmelita, Pedemontanus, Profeſſor Methaphyſicæ ab anno MDCVII. annis viginti.

HIPPOLITUS STRADA Romanus anno Chriſti MDCXVII. ſucceſſit Lucæ Valerio in Cathedra Philoſophiæ Moralis, atque annis ſex profeſſus eſt.

DOMINICUS BANDIERA Mutinenſis, Protonarius Apoſtolicus, in Hippoliti Stradæ Cathedram ſubrogatus eſt, annoſque novem in ea egit. Scripſit *De hominis activa vita*; ſeu *Compendium Moralis Diſciplinæ*:

Super

Super Adagio veteri, *Veritas odium parit*: *Problema Ethicum ad lib*. 4. *Moral. Ariſtotelis*, *Utrum nobis optandum ſit*, *ut amici noſtri ad ſupremos opum & dignitatum gradus evehantur*. Memoratur a Leone Allatio in Apibus Urbanis.

Pompejus. Garig li anus Capuanus, hujuſque Eccleſiæ Canonicus, qui ſub Paulo V. Romam venerat, in ſamiliam receptus Cardinalis Peretti, Cathedram obtinuit Philoſophiæ, quam Julius Cæſar Lagalla tamdiu occupaverat, anno MDCXXIV. Urbano VIII. Pontifice, Rectore Joanne Baptiſta Millino. Præclarum habet de eo elogium in ſua Pinacotheca Janus Nicius Erithræus his verbis: *de quacumque re propoſita dicebat ex tempore*, *ita docte*, *ita erudite*, *ita ſubtiliter*, *ut omnes*, *vehementer delectati admirarentur*: *verum fere ſemper omnia vernaculo ſermone effundebat*: *etenim pure*, *dilucide*, *eleganter dicendi laude caruit*: *memoria erat tanta*, *quantam in nemine*, *quem quidem noverim*, *me vidiſſe memini*. *Totum Platonem*, *Ariſtotelem*, *Hippocratem*, *Galenum*, *Themiſtium*, *D. Thomam*, *alioſque penitus noverat*, *ut eorum etiam verba referret*. Addit innumera eſſe, quæ ille ſcripſit, quæque typis mandare decreverat; ſed unum edidiſſe *de Nobilitate* Libellum, lingua vernacula, & alterum Latina, quo aliquot Platonis Dialogos interpretatione ſua conatur illuſtrare. Extant etiam ejus *Lectiones Academicæ*, quas memorat Toppius in Bibliotheca Neapolitana. Et Nicodemus in additionibus teſtatur editum a Garigliano Romæ Libellum hunc: *Lezioni di Pompeo Garigliano lette nell' Academia degl' Umoriſti di Roma ſopra alcuni Sonetti di Monſignor della Caſa*. Commentarios edidit in Platonis Dialogum, qui Phædo, ſeu de animarum immortalitate inſcribitur, & in Platonis Epinomicem; alios quoque Commentarios in alia Platonis Opera paraverat, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Cardinalem Bonifacium Caetanum.

Digitized by Google

num. Erithræus tamen etſi Gariglianum ſummis laudibus exornet, illumque dicat Mazonii gloriam æquaſſe, Commentarios hoſce accuſat obſcuritatis. Nondum tres annos in Cathedra exegerat, cum illum in lecto decumbentem mors inopina oppreſſit.

Pyrrhus Phunticula Aquilanus ſucceſſit Caimo anno MDCXXIV. in Cathedra Veſpertina Philoſophiæ, in qua tamen uno anno docuit, ejuſque locum obtinuit.

Angelus Cardius Senenſis Profeſſor Philoſophiæ, hora veſpertina, annis quatuor. Fuit e Collegio Medicorum Urbis.

Dominicus Campanella de Putignano Ordinis Carmelitarum, Metaphyſicam poſt Barberium profiteri cœpit anno MDCXXVII. atque annis quatuor docuit. Hunc Procuratoris Generalis munere functum Innocentius X. præfecit Eccleſiæ S. Agathæ Gothorum. Scripſit contra Janſenii librum, obiitque anno MDCLXVIII. Toppius in Bibl. Neapol.

Thomas Boscus de Medicina, Carmelita ei ſucceſſit, uſque ad annum MDCCXLI.

Zacarias Zacari a Sublacenſis Logicæ Profeſſor ab anno MDCXXXI. per annos octo.

Jacobus Philippus Camola Romanus præfuit Cathedræ Moralis Philoſophiæ ab anno MDCXXXV. uſque ad annum MDCLXVI. Editæ ſunt quædam Orationes ab eo dictæ in Academia Intrecciatorum.

Antonius Marinarius Gryptalienſis Ordinis Carmelitarum Profeſſor Logicæ ab anno MDCXL. per annos viginti; tum ad Cathedram Methaphyſicæ aſcendit, in qua docuit uſque ad MDCLXV. Edidit *Verum Auguſtinum adverſus Opus, cui titulus eſt, Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, triplici tomo diviſum.* Scripſit etiam *de Opinione probabili.* Toppius in Bibliot. Neapol. refert Marinarium fuiſſe a rebus Theologicis

Card. Franciſco Barberino, & Epiſcopum Tagaſtenſem.

JOANNES BAPTISTA DE LEZANA Matritenſis Carmelita de Methaphyſicis rebus agere cœpit anno MDCXLI. per annos octodecim, quum ei in hac Cathedra Marinarius ſucceſſit. Variis functus eſt muneribus, præſertim Procuratoris Generalis Ordinis, Conſultoris Congregationum Sacrorum Rituum, & Indicis. Scripſit *Annales Carmelitarum quatuor Tomis: De Regularium reformatione ex variis Patrum ſententiis: Summam quæſtionum Regularium ſeu de Caſibus Conſcientiæ ad perſonas Regulares utriuſque ſexus valde ſpectantibus: Conſulta varia Theologica & Juridica: Summam Theologiæ Sacræ tribus Tomis: Librum apologeticum pro Immaculata Deiparæ Virginis Mariæ Conceptione*, & alia quædam Opuſcula. Obiit Romæ anno MDCLXV. ætatis ſuæ ſeptuageſimo tertio. Pluribus laudatur a Nicolao Antonio in Bibliotheca Hiſpana, ubi plurium Scriptorum teſtimonia proferuntur, qui Lezanam doctiſſimum nominarunt.

GUILELMUS ARETIUS Lancaſtrenſis Profeſſor Philoſophiæ ab anno MDCXLVI. per annos ſexdecim.

THOMAS DE THOMASIIS Piſaurenſis, Ordinis Clericorum Miniſtrantium infirmis Profeſſor Logicæ hora veſpertina ab anno MDCXLIII. per annos undecim. Laudatur a Carthario in Syllabo Advocatorum Conſiſtorialium pag. 28. Edidit: *Privilegia Collegii Secretariorum Apoſtolicorum, cum ſerie Secretariorum, Statutis Collegii, & Compendio rerum memorabilium*.

FRANCISCUS ANGELUCIUS ex Podio S. Crucis Spoletanæ Diœceſis, Philoſophiam profiteri cœpit no MDCXLV. hora matutina, ſed poſt tres annos ad Cathedram aſcendit Juris Civilis, deinde ad Epiſcopatum Verulanum, de quo alibi.

DEMETRIUS FALEREUS Conſtantinopolitanus

nus docuerat annis quatuor Græcas Litteras in Romano Gymnaſio, cum anno MDCXLVIII. ſimul aggreſſus eſt munus profitendi Philoſophiam, atque ad annum uſque MDCLXII. in utroque munere verſatus eſt. Scripſit librum *de Elocutione*, quem Petrus Victorius Commentariis illuſtravit, & Petrus Segnius in vernaculam linguam vertit.

JOSEPH POLITIANUS Romanus Medicus Michaelis I. Poloniæ Regis, & e Collegio Medicorum Urbis, Logicam tractare cœpit anno MDCLX. cum Marinarius ad Cathedram Metaphyſicæ translatus eſſet, ſed poſt annos tres ei ſucceſſit.

AUGUSTINUS DE ANGELIS Neapolitanus, Clericus Regularis Congregationis Sommaſchæ, tribus annis hoc munere functus eſt. Editæ ab eo ſunt: *Lectiones Theologicæ de Deo clare viſo, omnia ſciente, nos prædeſtinante, ac omnia creante in ſummam contractæ: De Deo, ut Trino, & ut Incarnato: Homologia ſeu Conſenſus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cum Sacris Canonibus, Conciliis, Decretalibus, Bullis, ſeu Conſtitutionibus Summorum Pontificum in duas partes diſtributa: De recto uſu opinionis probabilis Quæſtio unica in quinque Lectiones diſtributa*. Obiit Epiſcopus Umbriaticenſis. De eo Toppius in Bibliotheca Neapolitana.

PETRUS MICHAEL SCALIOLUS Faventinus ab anno MDCLVIII. uſque ad annum MDCXCV. Philoſophiam profeſſus eſt, hora matutina.

CÆSAR MACCHIATUS Firmanus, Medicus Chriſtinæ Alexandræ Svecorum Reginæ, & Protomedicus generalis anno MDCLXXIV. auſpicatus eſt munus Profeſſoris Philoſophiæ, hora veſpertina, anno MDCLXIV. & annis ſex id egit.

JACOBUS PEDICINUS Beneventanus e Clericis Regularibus Minoribus ſucceſſit Camolæ in Cathedra Moralis Philoſophiæ, anno MDCLXVI. atque annis tribus

 in

Digitized by Google

in ea ſedit. Inter ſuos plurimis muneribus functus, tum etiam inter Conſultores Congregationis Indicis cooptatus, deinde anno MDCLXIX. creatus eſt Archiepiſcopus Epidaurenſis, & Epiſcopus Guardienſis, quam Eccleſiam annis novemdecim adminiſtravit. Coletus in additionibus ad Ughellium.

PETRUS ISIMBARDUS Mediolanenſis, Carmelita ſucceſſit Marinario in Cathedra Metaphyſicæ, docuitque annis ſex.

VINCENTIUS FANUS, Ordinis Prædicatorum Viterbienſis ſucceſſit Auguſtino de Angelis ad Epiſcopatum Umbriatici evecto in Cathedra Logicæ, quam annis ſex occupavit. Fuit Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, ac de eo videndus Clar. Catalanus in Libro De Secr. Sacr. Congreg. Indicis.

FRANCISCUS NAZARIUS Bergomenſis Profeſſor Philoſophiæ, hora veſpertina, in locum Cæſaris Macchiati, anno MDCLXX. per annos triginta. Is Auctor fuit edendi in Urbe Diaria Litteratorum, quæ ab anno MDCLXVIII. per annos plures compoſuit, uti legitur to. I. Diariorum.

LUCAS TISBIA Neapolitanus e Clericis Regularibus Minoribus, Profeſſor Moralis Philoſophiæ, ſubrogatus Pedicino Epiſcopo, annis duobus.

FERDINANDUS TARTAGLIA de Medicina, Ordinis Carmelitarum, Cathedram Metaphyſicæ obtinuit ab anno MDCLXX. per annos decem & octo.

THOMAS CAMOTTUS Cherienſis, Ordinis Prædicatorum, Profeſſor Logicæ anno MDCLXXII. per annos quatuor. Sacræ Congregationi Indicis fuit a Secretis, uti conſtat ex Clar. Catalano in citato libro.

RAPHAEL BILLECIUS Panormitanus, Ordinis Clericorum Regularium Minorum, Moralem Philoſophiam pertractavit ab anno MDCLXX. per annos tres ſupra viginti.

PAULINUS BENARDINUS Lucenſis, Ordinis Prædicato-

Digitized by Google

catorum, docebat in Cathedra Logicæ anno MDCLXXVI. per annos viginti quatuor. Eum Cardinales in Conclavi congregati, & qui electus eſt Pontifex Innocentius XII. a ſacris Confeſſionibus habuere. Anno MDCXCV. Magiſterio Sacri Palatii præficitur; quo tamen munere, poſt annos ſexdecim ſe abdicavit, ſenexque obiit MDCCXIII. Catalanus de Mag. Sacr. Palat.

CAROLUS PHILIBERTUS BARBERIUS a Raconiſio Carmelita, Profeſſor Metaphyſicæ, anno MDCLXXXVIII. ſuique Ordinis ſupremus Moderator.

CAROLUS CORNACCIOLI Carmelita, Profeſſor Metaphyſicæ, Generalis Carmelitarum, & anno MDCCXXVI. Epiſcopus Bobienſis.

PHILIPPUS YTURBIDE ex eodem Ordine ſucceſſit; ſed eodem anno electus eſt Epiſcopus Venuſinus.

HIACYNTHUS A S. BERNARDINO Romanus Auguſtinianus Diſcalceatus Profeſſor Philoſophiæ anno MDCXCV.

ANTONIUS BALSARINUS Chius, anno MDCC. ab Innocentio XII. Pontifice electus eſt Profeſſor Logicæ; tum a Collegio Advocatorum Conſiſtorialium Cuſtos Bibliothecæ Alexandrinæ. Hunc optime meritum de Græcis ſuis Turcarum imperio oppreſſis, deque Miſſionariis in Oriente degentibus, de Infidelibus quoque, Hæreticis, Schiſmaticiſque ad Eccleſiam Catholicam adducendis, præſertim Dionyſio Cicala Protoſyncello Alexandrino, Clemens XI. non ſemel præfeciſſet variis in Oriente Eccleſiis, niſi ipſe tantum munus detrectaſſet. Hunc etiam Sacra Congregatio de Propaganda Fide juſſit ſcripto confutare Conſtantinopolitani Pſeudo-Concilii anno Chriſti MDCCXXII. a quatuor Patriarchis, aliiſque Græcis Epiſcopis celebrati acta, & definitiones. Cumque juſſu Pontificis plurimi docti viri conſtituti fuiſſent emendandis, componendiſque Liturgicis Libris Eccleſiæ Græcæ, Balſarinus inter eos locum habuit. Academiæ Theologicæ egit Cenſorem, Secretariumque. Demum Carthag.

Ar-

Digitized by Google

Archiepiſcopus, & Vicarius Eccl. Conſtantin. Obiit in Urbe anno MDCCXXXI.

Augustinus Pipia Sardus Ord. Prædic. anno Chriſti MDCCXI. Secret. Sacr. Congregat. Indicis, Profeſſor Philoſophiæ, tum Magiſter Generalis, denique Cardinalis, de quo Catalanus cit. Lib.

Petrus Perez Hiſpanus Ordinis Prædicatorum Profeſſor Philoſophiæ, & Secretarius Congr. Indicis, anno MDCCXXI. obiit poſt tres annos.

Philippus Gruter Neapolitanus Cler. Reg. Min. ſucceſſit Billecio, cum apud ſuos annis viginti docuiſſet, & maxima Religionis ſuæ munera geſſiſſet, adſcriptus etiam inter Conſultores Indicis, & Examinatores Cleri Romani. Edidit: *De arte bene deſiderandi*, *ſeu de voto non ambiendi*. Obiit anno MDCCXIII. Coadjutorem habuerat Antonium Franciſcum Saluthium Florentinum, tum anno MDCCVIII. Cajetanum Corazza Romanum, veteranum inter ſuos Profeſſorem, primiſque functum muneribus, Lectorem in Collegio de Propaganda Fide, Examinatorem Cleri, atque Auctorem librorum: *De arte bene amandi*, *ſeu diligendi Deum*.

Clemens Pisellus Præneſtinus ex eodem Ordine, fuit Procurator generalis, Cathedram Moralis Philoſophiæ tenuit uſque ad annum MDCCXV. quo e vivis exceſſit. Scripſit *Summam Theologiæ*, vitam Franciſci Caraccioli, monumentaque Hiſtorica ſuæ Religionis, Conciones, Orationeſque Panegyricas, tum Carmina quædam Latino, & Italico ſermone. Ejus mentio fit in faſtis Arcadum vita functorum, auctore Creſcimbenio.

Marius a Turre Romanus e Clericis Regularibus Minoribus Piſelli locum occupavit, ſed mox Coadiutorum habuit in hoc munere Hieronymum Curlum Januenſem.

Hieronymus Curlo Januenſis, e Clericis Regularibus Minoribus, profeſſus eſt Moralem Philoſophiam ab anno

anno MDCCXXVI. uſque ad annum MDCCXLI. cum a Sanctiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. auctus eſt Epiſcopatu Alerienſi in Corſica, obiitque anno MDCCL.

Nicolaus Ridolphius Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ſucceſſit Petro Perez in Cathedra Philoſophiæ, anno MDCCXXIII. qui Florentiæ, & Romæ Philoſophiam, ac Theologiam diu docuerat. A Benedicto Papa XIII. recuſato Epiſcopatu Recinetenſi, ac Lauretano, conſtitutus eſt a Secretis Sacræ Congregationis Indicis; mox a Clemente XII. in locum Joannis Benedicti Zuanelli defuncti anno MDCCXXXIII. Magiſter Sacri Palatii renunciatus. Vixit in hoc munere annis undecim. Videndus de Ridolphio Doctiſſimus Catalanus in laudato libro de Mag. Sac. Palat.

Polycarpus de Burgos Granatenſis Carmelita profitetur Metaphyſicam anno MDCCXXVI. deinde Coadjutorem habuit cum futura ſucceſſione Bartholomæum a Valle, & Savedra Cordubenſem, ejuſdem Ordinis, qui nunc temporis Moralem tractat Theologiam, cum munus Metaphyſicam docendi fuerit Profeſſori Logicæ demandatum.

Pantaleon Balsarinus Chius, Doctor Jurium, ac Theologiæ, Antonio patruo Coadjutor, ſucceſſorque datus eſt, anno MDCCXXVI. in Cathedra Logicæ, tum etiam in officio Cuſtodis Alexandrinæ Bibliothecæ. In Academia Theologica diu diſputando inter Academicos cum meruiſſet, ad officium, gradumque Cenſoris, & Secretarii evectus eſt. Beneficio Clementis XII. Pontificis eſt Abbas Eccleſiæ S. Petri in Colle in Veneta Ditione. Anno MDCCXLVII. rude donatus eſt.

Joseph Augustinus Orsi Florentinus, Ordinis Prædicatorum, diu apud ſuos Theologiam docuerat, adſcituſque erat inter Theologos Caſanatenſes, cum anno MDCCXXXIII. datus eſt ſucceſſor Ridolfio, tum in munere Secretarii Sacræ Congregationis Indicis, tum in Romani Gymnaſii Cathedra Philoſophiæ. Nunc præeſt Ma-

Digitized by Google

Magiſterio Sacri Palatii. Edidit Vir doctiſſimus libros plures de auctoritate ſumma Romani Pontificis, ejuſque certo judicio, Diſſertationeſque plures, & Hiſtoriam Eccleſiæ Italico ſermone, ad omnium eruditionem, ac utilitatem. Ejus Opera recenſet Clar. Catalanus in lib. De Mag. Sacri Palatii.

Leo Bartolottus Januenſis Cler. Reg. Minor. veteranus inter ſuos Profeſſor, ac primis functus muneribus, Conſultor Congr. Rituum, & Indicis, quique in Concilio Romano ut Theologus ſederat, ſucceſſit Curlo, anno MDCCXLI. ſed poſt annos octo obtinuit vacationem muneris.

Julius Cæsar Lomellinus Januenſis Cler. Reg. Minor, apud ſuos docuit annis viginti, & Provincialem egit, Bartolotto Coadjutor datus eſt anno MDCCXLIV. cui tribus abhinc annis ſucceſſit in Cathedra Moral. Philoſ.

Franciscus Jacquier e Vitriaco in Gallia, Ordinis Minimorum, Lector Sacræ Scripturæ in Collegio de Propaganda Fide, ab anno MDCCXLVI. rebus Phyſicis edocendis, ac experimentis faciundis incumbit. Iſaaci Neutoni Philoſophiam eximiis *Commentariis* illuſtravit.

Laurentius Savorinus Venetus, Ordinis Minorum Conventualium, anno MDCCXLVII. ex certamine obtinuit Cathedram Logicæ, ſimulque agit de Metaphyſicis rebus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

PROFESSORES MEDICINÆ.

BARTHOLOMÆUS DE PISIS diſcipulus Petri Leonii, Medicus Leonis X. magnæ doctrinæ, cum in Romano Gymnaſio Medicinam doceret, controverſiam habuit, cum Hieronymo de Eugubio Medico in eodem Gymnaſio Profeſſore; unde Apologiam edidit, cui titulus: *Bartholomæi Phyſici, Servi Papæ Apologia, vel quorumdam a ſe dictorum, & a Hieronymo de Eugubio concurrente ſuo impugnatorum Defenſio, ſive Purgatio, & dictorum ejus in eumdem retorſio, vel improbatio cum apta expoſitione, vel clara declaratione illorum Avicennæ verborum, quorum fuit contentio*. Edidit quoque: *Epitomem Medicinæ Theoricæ, & Practicæ*. Mandoſius de Medicis Pontificiis.

CHRISTOPHORUS ARETINUS, ſub Leone X. Medicinam in Gymnaſio Romano ſumma cum laude profitebatur, uti refert Jovius in vita Leonis Papæ X.

HIERONIMUS ACCORAMBONUS Eugubinus, inſignis Medicus docuit Romæ, tum Patavii anno MDXXXVII. ubi poſt annos octo obiit. Edidit: *Tractatus ad Praxin Medicam: De Catarrho: De Viſu: De lacte: De putredine: De morbis Epidemicis: Comm. in Galen. & Hippocr.* De eo Pappadop. de Gymn. Patav.

HORATIUS AUGENIUS a Monte ſancto Filius Ludovici Medici Clementis VII. primum Maceratæ docuit Logicam, tum Romæ Medicinam annis quinque, deinde Ticini, demum Patavii, ubi obiit anno MDCIII. relictis ingenii, & doctrinæ ſuæ pluribus monumentis, quæ quidem ſunt: *Epiſtolarum, & Conſultationum*

Digitized by Google

Medicinalium libri viginti quatuor : *Epiſtolarum Medicinalium libri duodecim* : *De hominis partu libri duo* : *Quod homini certum non ſit naſcendi tempus libri duo* ; *De curandi ratione per ſanguinis miſsionem libri XVII. De febribus, febrium ſignis, ſynptomatibus, & prognoſtico libri VII. De curatione ſynptomatum febrium peſtilentialium* : *De febribus peſtilentialibus* : *De curatione Variolarum, ac Morbillorum* : *De modo preſervandi a peſte libri quatuor* : *De medendis calculoſis, & exulceratis renibus* : *Conſilia Medica*. De eo Thomaſſinus in elogiis, Mercklinus de Scriptis Medicis, Pappadopoli de Gymnaſio Patavino Lib. 3. Sect. 2. Cap. 21. qui tamen dicit Augenium poſtquam docuiſſet in Gymnaſiis Romano, Ticinenſi, & Taurinenſi, veniſſe Patavium anno MDXCI. & obiiſſe anno ſequente.

Alphonsus Ferreus Neapolitanus, Medicus Pauli III. Summi Pontificis, Profeſſor Anatomiæ, & Chirurgiæ in Romano Gymnaſio, anno MDXXXIX. uſque ad annum MDLXI. tum publicus in Neapolitano Gymnaſio Profeſſor Chirurgiæ, uti teſtatur Toppius in Bibliotheca Neapolitana. Editi ab eo ſunt: *De Sclopetorum, ſeu Archibuſiorum vulneribus libri tres* : *Corollarium de Sclopeti, ac ſimilium tormentorum pulvere* : *De Caruncula, ſive Callo, quæ cervici veſicæ innaſcuntur* : *De morbo Gallico* : *De Ligni ſancti natura, uſuque multiplici libri quatuor*. Vander Linden de Scriptis Medicis.

Justinianus Finettus de Monte Lupone Profeſſor Medicinæ Theoricæ, hora matutina, ſub Paulo III. Julio III. Pio IV. atque Protomedicus generalis anno MDLV.

Jacobus Hebræus et Franciscus Leopardus Profeſſores Medicinæ Practicæ ſub Paulo III. Pontifice.

Joseph Cincius feriatis diebus explicabat Simplicia Medicamenta, tum etiam diebus non feriatis diſſerebat de Medicina Practica, Pontifice Paulo III.

Hip-

Hippolitus Salvianus de Caſtello Practicam Medicinam profeſſus eſt ab anno mdli. ſub Julio III. uſque ad annum mdlxvii. ſub Pio V. ſtipendio aureorum 300. E Collegio fuit Medicorum Urbis, & Archiater Julii III. Pontificis. Natus erat Romæ anno mdxiv. hinc a nonnullis Romanus, cum tamen in Catalogis Profeſſorum dicatur de Caſtello, & in ejus libris Tiphernas. Mercklinus in additionibus ad Lindenium de Scriptis Medicis ſcribit Hippolitum per annos plures Medicinam feliciter feciſſe, & magno Auditorum concurſu publice docuiſſe, ereptumque vivis anno mdlxxii. relictis hiſce ſui ingenii monumentis: *De Piſcibus* Tomi duo: *De Aquatilium animalium curandorum formis*: *De Criſibus*. De eo Mandoſ. loco cit.

Bartholomæus Eustachius ex Oppido Sancti Severini in Piceno, celeberrimi nominis Anatomicus, præerat Cathedræ Practicæ Medicinæ, hora veſpertina, anno mdlxi. ſtipendio aureorum 220. ſimul cum Hippolito Salviano, tum poſt tres annos ſtipendium in eadem profeſſione, aureorem 330. percipiebat, uti legitur in antiquis Profeſſorum Catalogis. Is primo in patria Medicinam fecerat, tum Protomedicum egerat apud Urbini Ducem. Sed anno mdxlix. Romam ductus eſt a Card. Julio Roboreo Ducis Urbini fratre, ubi in maximo fuit pretio, receptus in Archiatrorum Coetum, Medicus S. Caroli Borromæi, S. Philippum Nerium ægrotantem in Oratorio adiit, ut ex Baccio conſtat. Primus dicitur in Urbe morem induxiſſe diſſecandi in Noſocomiis cadavera mortuorum, ut morborum characteres explorarentur. Qua in arte fuit omnium peritiſſimus, & diligentiſſimus, ut primus quamplures Anatomicas obſervationes fecerit, quæ in ejus Tabulis, librisque occurrunt, & immortalem famam in Anatomicis rebus ſibi compararerit. Exagitatus aliquando ab aliis Medicis Urbis, quod in Gymnaſio diſſerens e Cathedra, nonnulla a Ga-

leni principiis diſſona, novaque protulerit, ut ipſemet narrat in libro *De Motu Capitis*; patrocinium expertus eſt Franciſci Alciati Datarii, ut ipſe indicat in epiſtola, qua Alciato nuncupat librum *De Auditus Organis*. Anno MDLXXIV. dum ex Urbe peteret Forumſempronii, cauſa curandæ valetudinis Julii Roborei Cardinalis, cujus Medicum gerebat, obiit in itinere. Euſtachius Erotianum Scriptorem Græcum vertit in Latinum, & annotationibus illuſtravit, tum libros plures edidit: *De Dentibus*: *De Renum ſtructura, officio, & adminiſtratione*: *De Auditus Organis*: *Examen oſſium*: *De motu Capitis*: *De vena Azygos, ac de humoraria venæ propagine, quæ in flexu brachii venam communem profundam producit*: *De multitudine*: ejuſque libri pluries commiſſi ſunt prælo, præſertim anno MDCCVII. opera Hermanni Boerhavii. Celebres ſunt Euſtachii Tabulæ Anatomicæ, quas primus omnium edidit anno MDCCXIV. Clar. Joannes Baptiſta Lanciſius, hoc titulo: *Tabulæ Anatomicæ Clariſſimi Viri Bartholomæi Euſtachii, quas e tenebris tandem vindicatas, & SS. D. Clementis XI. Pontif. Maxim. munificentia dono acceptas, præfatione, notiſque illuſtravit, ac ipſo ſuæ Bibliothecæ dedicationis die, publici juris fecit Joannes Maria Lanciſius intimus Cubicularius, & Archiater Pontificius*. Has eaſdem Tabulas egregiis notis illuſtravit nuper Clar. Cajetanus Petriolus, ſimulque edidit Euſtachii vitam a Bernardino Gentili Presbytero Oratorii S. Hieronymi Charitatis conſcriptam. Denique celebratur Euſtachius a Mangeto in Biblioth. Anatom. a Lindenio de Scriptis Medicis, & a Riolano in Antropol. Lib. I. Cap. 5. ubi: *Bartholomæus Euſtachius Anatomicus Romanus præſtantiſſimus Opuſcula quædam anatomica accurate, & erudite elaborata publicavit, ut nobis dulce deſiderium totius Anatomes ſic explicatæ reliquerit, quam ſi perfeciſſet labores Veſalii, & Falopii longe ſuperaſſet, & aliis*

Digitized by Google

aliis occaſionem aliquid ſimile parturiendi præripuiſſet. Toppius in Bibliotheca Neapolitana putat Euſtachium ex Oppido Sancti Severini in Provincia Salernitana.

Jacobus Bonus Ferrarienſis Simplicia Medicamenta feriatis diebus docebat e Cathedra, Pio IV. Pontifice.

Virgilius de S. Severino diſcipulus Bartholomæi Euſtachii, primo Medicinam extra ordinem profeſſus eſt in Romano Gymnaſio, deinde Bartholomæi locum per aliquot annos obtinuit.

Gaspar Cardanus Medicinam Practicam profitebatur hora veſpertina ſimul cum Bartholomæo Euſtachio, anno MDLXII. ſtipendio aureorum centum.

Benalba Brancalupus Profeſſor Chirurgiæ ab anno MDLXIII. ſub Pio IV. uſque ad annum MDLXXXII. Gregorio XIII. Pontifice.

Franciscus Gimnasius Faventinus, Medicus Pii IV. teſte Mandoſio, & Protomedicus anno MDLXXIII. docebat hora matutina Medicinam Theoricam ſub Pio V. & Gregorio XIII. ſtipendio 200. aureorum. Obiit MDLXXXII.

Petrus Grispus Sabinus, Protomedicus generalis, annis MDLXXVII. & MDLXXXII. Profeſſor Theoricæ Medicinæ, ſimul cum Franciſco Ginnaſio, ſub Pio V. & Gregorio XIiI. Edidit: *In Aphoriſmorum Hippocratis librum primum Commentaria*. Linden de Script. Medic.

Gulielmus Giscaferrius Gallus, Medicus Collegii Urbis, Profeſſor Medicinæ Practicæ, hora veſpertina, ſimul cum Hippolito Salviano primum, tum cum Joachimo Tomaſio, ſub iiſdem Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. Edidit: *De Febrium natura, & curatione libros duos*. Linden.

Constantius Varolus Bononienſis, Medicinæ, & Anatomiæ peritiſsimus, Chirurgiam annis ſeptem docuit in Bononienſi Gymnaſio, tum a Gregorio XIII. Me-

Digitized by Google

Medicus Pontificius , & publicus Profeſſor Anatomiæ conſtitutus eſt . Summa fuit ejus peritia in calculis extrahendis . Primus reperit originem nervorum opticorum . Scripſit *De origine nervorum opticorum* : *Epiſtolas Medicinales* : *Anatomiæ libros quatuor* : Vixit annis triginta duobus , obiitque MDLXXV. ſepultus in Eccleſia S. Marcelli . Celebratur a Ghillino in Theatro Litteratorum , & Mandoſio de Med. Pontif.

Andreas Baccius Elpidianus , de ſimplicibus Medicamentis egit ab anno MDLXVII. uſque ad annum MDC. ſtipendio aureorum centum . Summis laudibus extollitur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca , a quo dicitur ſcripſiſſe magna eruditione de calidis fontibus , qui toto Terrarum Orbe feruntur celeberrimi ; deque venenis , & antidotis , ac de Tiberi , tum etiam de duodecim preciosis lapillis , qui in Summi Sacerdotis veſte ſacra nitebant . Quæ ejus opera , cum ad tranſalpinas regiones commeaſſent , immortalem Italici nominis gloriam ſecum una attulerunt . Addit Janus Nicius Baccium in curandis ægrotis infelicem fuiſſe . Ejus Libri ſunt : *De naturali vinorum hiſtoria* , *de vinis Italiæ* , *& de conviviis antiquorum* : *Le dodici pietre prezioſe* , *che adornano li veſtimenti del Sommo Sacerdote* : *Diſcorſo dell' Alicorno* : *Del Tevere*, *della natura* , *e bontà dell'acque*, *e dell' inondazioni* . Lindenius de Script. Med.

Joachimus Thomasius Ravennas , Protomedicus generalis anno MDLXXXVIII. Profeſſor Practicæ Medicinæ in Cathedra veſpertina ab anno MDLXXV. per annos duodecim , ejuſque ſtipendium pervenerat ad aureos quinquaginta ſupra quadrigentos .

Ferrantes Eustachius Bartholomæi Filius , & ipſe Medicus Collegii , alter Medicinæ Practicæ Profeſſor ab anno MDLXXXI. per annos novem . Docuerat in Maceratenſi Gymnaſio Medicinam . Edidit *Diſputationem de vitæ humanæ a Facultate Medica propagatione* , quam

quam Sixto Quinto Pontifici Maximo nuncupavit.

Sallustius Salvianus inſignis Medicus Romanus Hippoliti Filius, & e Collegio Archiatrorum, ab anno MDLXXVI. per annos undecim egit de Medicina Theorica, & primo quidem aliquot annis extra ordinem. Simultates geſſit cum Alexandro Petronio Medico peritiſſimo ob ſententiarum diverſitatem circa quædam præcipua Medicæ Facultatis capita; ac cogitaverat, niſi mors intercesſiſſet, confutare ea omnia, quæ Petronius in libris de victu Romanorum ad tuendam ſanitatem tradiderat. Edidit libros duos *de Urinarum differentiis, cauſis, ac judiciis*. Quibus in libris cum convelleret receptas aliorum ſententias, incidit in plurium Medicorum invidiam, quam auxit, privatis, publiciſque diſputationibus ſententias illorum refellendo. Edidit etiam egregium librum: *De variis inſaniæ generibus, eorumque curationibus*: *Variarum lectionum de re Medica libros*: *De calore naturali, acquiſito, & febrili*: *De Concoctione*: *De Criſibus*. Laudatur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca, Lindenio de Scriptis Medicis, Gallo in Bibliotheca Medic.

Archangelus Piccolomineus Ferrarienſis ſub Gregorio XIII. Medicinam Practicam expendebat hora matutina, ejuſque ſtipendium conſtabat aureis tercentis. Tum etiam Anatomen faciebat, ſtipendio centum aureorum, ſed Leonardo Blandino Inciſori aurei quadraginta ſolvebantur. Eodem tempore Benalba Brancalupus Chirurgiæ tradendæ vacabat. Fuit Piccolomineus Protomedicus generalis anno MDLXXXII. Edidit: *Anatomicas Prælectiones, explicantes mirificam corporis humani fabricam: Et quæ animæ vires, quibus corporis partibus, tamquam inſtrumentis ad ſuas obeundas actiones utantur, ſicuti tota anima toto corpore*. Linden. de Scriptis Medicis.

Gaspar Pirotus Romanus, Medicus Collegii, Pro-

Profeſſor Medicinæ Theoricæ ſub Gregorio XIII. anno MDLXXXII.

Castor Durantes de Gualdo, Medicus Sixti V. Profeſſor Simplicium ſcripſit *Theſaurum ſanitatis, & de natura ciborum*: *Theatrum plantarum animalium, piſcium, & petrarum*. Obiit anno MDXC. Mandoſius de Med. Pontif.

Angelus Antoninus de S. Elpidio, Picenus, Chirurgiam ſimul, & Anatomiam profeſſus eſt ab anno Chriſti MDLXXXV. per annos triginta quinque.

Alphonsus Cataneus Ferrarienſis, ex Archiatrorum Urbis Cœtu, Profeſſor Theoricæ Medicinæ, hora matutina, Pontifice Sixto V. Rectore Horatio Burgheſio, ſtipendio aureorum quadringentorum.

Aloysius Peregrinus Neapolitanus, poſtquam diu meruiſſet in Cathedra Logicæ, deinde ſub Clemente Papa VIII. anno MDXCII. aliquot annis Theoricam Medicinam ſimul cum Marſilio Cagnato profeſſus eſt, hora matutina, ſtipendio aureorum centum, & quinquaginta.

Joannes Zecchius Bononienſis, Archiater Clementis VIII. & Protomedicus generalis anno MDXCVIII. confirmatus anno ſequenti, Practicam Medicinam e Cathedra docuit ab anno MDLXXXVI. per annos ſex, ſtipendio quingentorum aureorum. Edidit: *De ratione curandi præſertim febres ex putri ortas humore a Medicis hactenus in Urbe ſervata*: *Conſultationes Medicinales*: *De urinis*: *De aquarum Porrectanarum uſu, atque præſtantia*: *In primam Hipp. Aphor. Sect. Lectiones, quibus accedunt Tractatus de Purgatione, de ſanguinis miſſione de diebus criticis, de morbo Gallico*. Obiit anno MDCI. Mandoſ.

Jacobus Lampugnanus Mediolanenſis, ſtipendio aureorum quingentorum, diſſeruit de Medicina Practica, ſimul cum Joanne Zecchio primum, tum cum aliis plu-

Digitized by Google

pluribus, ab anno MDXC. uſque ad annum MDCXXXV. cum ejus ſtipendium aureos ſexcentos excedebat. Egit Protomedicum generalem annis MDCIII. & MDCXXII. Scripſit *de Chalcantho*, *de Febribus*, *de Humoribus*, *de Criſibus*, *de Purgatione*. Memoratur ab Allatio in Libro de Viris illuſtribus.

MARSILIUS CAGNATUS Veronenſis, Cathedram obtinuit Theoricæ Medicinæ, hora matutina, ſtipendio ducentorum aureorum, anno MDLXXXVIII. atque in ea docuit annis tredecim, tum ad Cathedram tranſiit Practicæ Medicinæ, in qua ſedit, uſque ad annum MDCXII. cum ejus ſtipendium tercentos aureos ſuperabat. Alexandrum Petronium inſignem illius ævi Medicum habuit Præceptorem, Græce, Latineque doctus, in omnium Philoſophorum placitis, & in omnium temporum Hiſtoria verſatus. Scripſit de ſalubritate aeris Romani, de inundatione Tyberis, de humano partu, de ratione curandi flores in Urbe, & alia Opuſcula, quæ unico volumine continentur. Edidit libros de continentia in victu, & de exercitio ſeorſim a cæteris Opuſculis impreſſos. Fuit Protomedicus annis MDXCV. MDCII. & MDCX. cum obiit annis natus LXIX. De eo Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca, Ghilinus in Theatro Litteratorum, Pappadopoli in Gymn. Patav. Tom. 2. Lib. 2. Cap. 39.

ANDREAS CÆSALPINUS Aretinus, celeberrimi nominis Philoſophus, ac Medicus, Scholas Urbis adiit anno MDXCI. Clemente VIII. Pontifice, anniſque duodecim Practicam Medicinam docuit, ſtipendio aureorum ſexcentorum. Natus eſt anno MDXIX. & poſt humaniorum Litterarum ſtudia, totum ſe tradidit arti Medicæ, & Philoſophiæ Peripateticæ, in qua valuit quammaxime, ut inter prima ſui ſæculi ingenia, omnium conſenſu numeretur. A Piſano Gymnaſio, ubi Philoſophiam, artemque medendi docuerat diu, a Clemente VIII. ad Gymnaſium Romanum traductus, atque inter Archiatros

Urbis, publicoſque Profeſſores adſcriptus, eo in munere obiit, anno MDCIII. plurimis libris Philoſophicis, Medicisque relictis. Is circulationem ſanguinis ante Harvæum dicitur indicaſſe in ſuis Quæſtionibus Peripateticis, uti diximus Cap. VIII. §. VI. At quod in ſuis hiſce Quæſtionibus Peripateticis nimium adhæſerit Ariſtotelis de Deo, deque humano intellectu ſententiæ, cauſa fuit, ut a plurimis doctis viris Atheiſmi accuſaretur, quibus omnibus præivit Taurellus, qui atroci accuſatione, editis *Alpibus Cæſis*, illius opiniones ut impias demonſtrare conatus eſt. Fuſe de hac Cæſalpini infamia agunt Jacobus Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ, Samuel Parckerus in Diſputationibus de Deo, Reimannus in Hiſtoria Atheiſmi, Bayle in Dictionario, & Buddeus de Atheiſmo. Fatetur tamen Taurellus in præfatione ad Alpes Cæſas dogmata Cæſalpini majore apud Germanos fuiſſe in pretio, quam olim apud Græcos Apollinis Oracula. Editi ab eo libri recenſentur a Lindenio, & Merclinio de Scriptis Medicis, nempe, *Speculum Artis Medicæ Hippocraticum*: *De Plantis*: *De Metallicis*: *Quæſtiones Medicæ*: *De Medicamentorum facultatibus*: *Quæſtiones Peripateticæ*.

JULIUS ANGELIUS de Barga, Medicus Clementis Papæ VIII. Magnus Præceptor S. Spiritus, & Protomedicus generalis anno MDCI. tradendæ in Gymnaſio Practicæ Medicinæ operam dare cœpit anno MDXCIII. ſtipendio aureorum quingentorum, perſtititque in eo munere annis ſeptem, tuncque ejus ſtipendium ſeptingentos aureos conficiebat. Profitebatur Practicam Medicinam ſimul cum Lampugnano, & Cæſalpino. Docuerat in Piſano Gymnaſio, uti teſtatur Cartharius in Syllabo Advocat. Conſiſtor. agens de Nicolao Angelio.

JOSEPH DE SANCTIS ÆQUICOLA Reatinus, poſtquam diu in Gymnaſio Philoſophiam docuiſſet, ad Cathedram Theoricæ medicinæ tranſiit, anno ultimo ſæculi decimi ſe-

ſexti, longoque tempore cum Marſilio Cagnato in hac ſtatione fuit. De eo diximus in Profeſſoribus Philoſophiæ.

Joannes Faber Bambergenſis, ſucceſſit Andreæ Baccio in Cathedra Simplicium Medicamentorum, feriatis diebus, anno MDC. ſuamque operam impendit in hac re, annis triginta, ſtipendio aureorum centum, & ſexaginta. Hunc Neapolim miſſum a Paulo V. Pontifice, ut nobiliſſimas ſtirpes conquireret, colligeretque, in Hortis Vaticanis plantandas teſtantur Allatius in Apibus Urbanis, & Capaccius in elogiis doctorum virorum. Scripſit: *De Nardo, & Epithymo adverſus Scaligerum*: *De animalibus Indicis apud Mexicum*: *Commentarium in in imagines illuſtrium ex Fulvii Urſini Bibl. Antuerpiæ a Theodoro Calleo expreſſas*: *In Nardi Antonii Recchi Rerum Medicarum novæ Hiſpaniæ volumen Annotationes*. Linden.

Marcus Antonius Lucianus Belfortenſis, e Profeſſore Logicæ anno MDCIII. Profeſſor Theoricæ Medicinæ ſimul cum Joſepho de Sanctis Æquicola, uſque ad annum MDCXXXV. ſtipendio aureorum centum, & ſeptuaginta. Protomedicus generalis anno MDCXXV.

Vincentius Alsarius Cruceus Januenſis, Archiater Gregorii XV. ſucceſſit Marſilio Cagnato in Cathedra Practicæ Medicinæ anno MDCXII. quam ſimul cum Jacobo Lampugnano profeſſus eſt uſque ad annum MDCXXII. tuncque ejus ſtipendium pervenerat ad aureos fere ſexcentos. Docuerat antea in Bononienſi Gymnaſio. Editi ab eo ſunt libri plures: *De Invidia, & Faſcino Veterum*: *Ephemeridum ſeu diuturnarum obſervationum libri duo*: *De Epilepſia libri tres*: *Conſilium de aſthmate pro Bonifacio Card. Cajetano*: *Conſilium de Catarrho*: *Diſputatio de verme e naribus egreſſo*: *Diſſertatio de Salis, & Salitorum uſu in febribus*: *De morbis pectoris frequentioribus*: *De Veſuvio*: *Conſultationes variæ*: *Liber Apologeticus*: *De morbis Capitis*: *Ad Lucretii libros*

Digitized by Google

de natura Commentarius : *In Hippocraticam faciem Jatro-phyſio-gnomonicus Commentarius* : De eo Allatius in libro de viris illuſtribus, & Oldoinus in Athenæo Liguſtico, & Mandoſius de Med. Pontif.

ANTONIUS NANNIUS Urbinas, anno MDCXIX. per annos tres egit de Simplicibus Medicamentis in locum Johannis Fabri Bambergenſis, qui deinde rediit ad ſuum munus.

JOANNES MARIA CASTELLANUS Albenſis ſubrogatus eſt Angelo Antonino Elpidiano in Anatomicarum, atque Chirurgicarum rerum tractatione, anno MDCXX. ſtipendio aurcorum centum, profeſſuſque eſt annis triginta ſeptem. Ab Allatio in libro de viris illuſtribus dicitur perfeciſſe Anatomen magnam in folio cum multis æneis figuris; atque edidiſſe *Phylacterium* ſeu *de ſanguinis miſſione*. Linden de Script. Med.

ALEXANDER MENGHINUS de Monte Ilcinio ſimul cum Caſtellano Anatomiam, & Chirurgiam tradidit ſtipendio aureorum quinquaginta uſque ad annum MDCXXIX. cum diſſerere cœpit de morbis Mulierum, uſque ad annum MDCLII. tuncque aureos triginta ſupra centum percipiebat. Fuit Protomedicus generalis anno MDCXXIX.

POMPEUS CAIMUS Utinenſis Cathedram Philoſophiæ, quam diu occupaverat, commutavit cum Cathedra Pracæ Medicinæ, anno MDCXXIII. Gregorio XV. Pontifice, Rectore Diomede Vareſio, in locum Vincentii Alſarii; ſed anno ſequenti, Alſarius reſtitutus eſt Cathedræ, Caimus vero ad Patavinum Gymnaſium ſe contulit, uti diximus, cum de Profeſſoribus Philoſophiæ.

PETRUS CASTELLUS Romanus, annis duobus Logicam in Gymnaſio docuerat, cum anno MDCXXX. locum occupavit Joannis Fabri Bambergenſis Profeſſoris Simplicium Medicamentorum, tenui quidem ſtipendio per annos quinque. Fuit Baccii, Cæſalpini, atque Cagnati auditor, ſummamque ejus in re Medica peritiam editi plu-

plures ab eo libri teſtantur, atque hi ſunt: *Chalcanthinum Dodecaporion, ſive duodecim dubitationes de uſu olei vitrioli contra Raymundum Mindererum: Defenſio antiquorum atentium arſenico, & ſandaraca: Epiſtola de Elleboro contra Joannem Manelphum: Pharmaconomaſticum: Del modo di ſeccare li Semplici: Epiſtolarum Medicinalium: In Ariſtotelis Problemata lectiones: De Civetta ſive Hyena odorata Zibethum gignente: De abuſu Phlebotomiæ: De Veſuvio: De Criſibus: De vero uſu Phlebotomiæ: Introductio Medicinæ: De ſignis locorum patientium: De morbis pucrorum: De urinis: De vomitu, & Medicamentis vomitoriis: Della Peſte: In Hippocratis librum Commentarius: De ſtrumis: Anatomicæ obſervationes, quas in centum cadaveribus Romæ ſectis notare licuit: De faſciis: In Dioſcoridem lectiones: De mineralibus: De Chalcantho: De lapide Lazuli: De animalibus inſectis: De odoribus, & ſuffumigiis: Chymicæ Prælectiones: Conſilia Medica. Dell' acque Romane: De Optimo Medico: De abuſu circa dierum criticorum enumerationem: Diſcorſo della durazione de medicamenti tanto ſemplici, che compoſti*. Linden de Scriptis Medicis.

Joannes Manelphius de Monte Rotundo in Sabinis, diu profeſſus erat Philoſophiam, cum anno mdcxxxiv. aggreſſus eſt Medicinæ Practicæ tractationem, in quo munere verſatus eſt uſque ad annum mdclii. tuncque aurei quadrigenti ei ſolvebantur. De quo egimus inter Profeſſores Philoſophiæ.

Baldus Baldus Florentinus, primo Logicam docere cœpit anno mdcxxx. tum poſt aliquot annos Practicam Medicinam, ſimul cum Manelphio, uſque ad annum mdcxlv. ejuſque ſtipendium excedebat aureos tercentos. Is Medicum egit Innocentii X. & Protomedicum anno mdcxliii. & Canonicum Baſilicæ Liberianæ. Edidit: *Lectiones Academicas de venenis: Prælectionem de Contagio-*

Digitized by Google

tagione peſtifera : *Hiſtoriam morbi* , *& Anatomicas obſervationes circa corpus Card. Bevilacqua* . Laudatur a Gabriele Naudæo in epiſtola ad ipſum data , quam exhibet Allatius in libro De viris illuſtribus . De eo Morerius in Dictionario , & Mandoſius in Theatro Archiatrorum Pontificiorum .

Petrus Servius Spoletanus , alter Medicinæ Theoricæ Profeſſor anno MDCXXXVI. cum Joſepho de Sanctis Æquicola , ſtipendio ducentorum aureorum in locum Marci Antonii Luciani , per annos undecim .

Joannes Benedictus Sinibaldus Leoniſſanus , ſtipendio aureorum centum , ſucceſſit Petro Caſtello in Cathedra Simplicium Medicamentorum, feriatis diebus, anno MDCXXXVI. anniſque decem in ea docuit , tum anno MDCXLVII. Medicinam Practicam tradidit annis undecim . Egit Protomedicum generalem anno Jubilæi MDCL. rurſumque anno MDCLVIII. cum vivis exceſſit .

Taddæus Collicola Spoletanus , Canonicus Baſilicæ Vaticanæ , ex Brevi Urbani VIII. Summi Pontificis , cujus agebat Medicum , Cathedram Practicæ Medicinæ ſimul cum Manelphio , & Baldo obtinuit , anno MDCXXXVII. ſtipendiumque aureorum quinquaginta ſupra quadrigentos , & aliquot annis hoc munere functus eſt . De eo Mandoſius .

Joannes Trullus Verulanus , Chirurgiam extra ordinem expendebat ab anno MDCXXXVII. per annos quatuor , eique aurei tercenti perſolvebantur .

Benedictus Rita Leoniſſanus , Medicus Clementis IX. Summi Pontificis , de rebus Phyſicis agere cœpit extra ordinem anno MDCXXVIII. tum poſt annos decem, & ſeptem traductus eſt ad Cathedram Theoricæ Medicinæ , cui incubuit uſque ad annum MDCLXVIII. cum rude donatus eſt , tuncque ejus ſtipendium excedebat aureos quingentos. Obiit Protomedicus generalis anno MDCLXX. quo munere etiam functus fuerat , annis MDCLI. MDCLVI.

con

Digitized by Google

confirmatus MDCLVII. & MDCLXIX. De eo Mandoſius in Theatro Archiatr. Pontif.

Dominicus Panarola Romanus, Medicus Collegii, ſucceſſit Sinibaldo ad Cathedram Practicæ Medicinæ translato, in Cathedra Simplicium Medicamentorum tenui ſtipendio, anno MDCXLVI. per annos decem; deinde Anatomiæ, & Chirurgiæ incubuit anno uno in locum Joannis Caſtellani. Edidit: *Jatrologiſmorum ſeu Medicinalium obſervationum Pentecoſtæ quinque, utilibus præceptis, ſingularibus medelis, reconditis ſpeculationibus, portentoſis caſibus refertæ: quibus diverſa, eaque curioſa in calce adduntur Opuſcula, nempe de Simplicium cognitione Medico neceſſaria: Plantarum Amphitheatralium Catalogus: Chamæleo examinatus: Arcanorum faſciculus primus, & ſecundus. Polycarponia ſeu variorum fructuum labores*. Linden de Scriptis Medicis.

Gabriel Fonseca Luſitanus, Archiater Innocentii X. Summi Pontificis, ab anno MDCXLV. Practicam Medicinam docuit per annos viginti octo, ejuſque ſtipendium excedebat aureos quingentos. De eo Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana: *Gabriel de Fonſeca, Luſitanus, Lamecenſis, Doctor Medicus, Piſis olim Philoſophiæ Profeſſor, dein Romæ medicinam uſque ad obitum fecit: nemini ſecundus, ne ulterius aliquid aliorum ad invidiam dixerim. Quare ei curam ſalutis ſuæ commiſit Innocentius X. Papa. Romæ in Sapientiæ ædibus docuit etiam Medicæ artis Praxim: meditabaturque paucis abhinc annis experimenta quædam ſuæ artis publicare, ad exemplum Roderici Fonſecæ viri doctiſſimi, quem patruum habuit, & ſtudiorum auſpicem*. Obiit anno MDCLXVIII. Edidit *Medici Oeconomiam*.

Julius Cæsar de Benedictis Aquilanus, Archiater Urbis, Profeſſor Medicinæ Theoricæ una cum Manelchio, & Rita ab anno MDCXLVIII. per annos octo, cum vi-

vivis diſceſsit, ſæviente peſte, Protomedicus generalis deſignatus. Ad Innocentii X. & Alexandri VII. valetudinem curandam aliquando adhibitus eſt. Edidit rerum Medicarum volumina quatuor, nempe: *Epiſtolas*, *Conſilia*, *de Pephaſmo*, *de Pleuritide*, *Lectioneſque Academicas*. Laudatur a Toppio in Bibliotheca Neapolitana, & Merchlino de Script. Med.

Hyacinthus Altomarius Conſentinus, in locum Alexandri Menghini, agere cœpit de morbis Mulierum anno MDCLII. ſtipendio aureorum centum, tum Theoricam, tandemque Practicam Medicinam docuit, aucto ſtipendio ad aureos fere tercentos, ad annum uſque MDCLXXVI.

Octavianus Castellus Spoletinus in Philoſophia, Medicina, Geometria non leviter verſatus, docuit extra ordinem in Romano Gymnaſio, uti Janus Nicius teſtatur. Deinde ſe ad Poeſin, ac Muſicam convertit, ac ſingulis annis, ſingulas & interdum binas populo fabulas dedit. Obiit anno MDCXLII. Janus in Pinac.

Matthias Naldus Senenſis, Archiater Alexandri Papæ VII. ſtipendio aureorum ſexcentorum Practicam Medicinam tractandam ſuſcepit anno MDCLIV. una cum Fonſeca, & Sinibaldo, deinde cum aliis uſque ad annum MDCLXXVI. quo tempore ejus ſtipendium ad ſeptingentos aureos pervenerat. Egit Protomedicum generalem annis MDCLX. MDCLXII. MDCLXVI. & MDCLVII. Scripſit *De Mundi univerſi amicitia, qua diſſidentes Philoſophorum opiniones conciliantur, & parantur ex re medica amicitiæ: In Aphoriſmos Hippocratis*. Merchlinus in additionibus ad Lindenium de Script. Med.

Joannes Franciscus Sinibaldus Leoniſſanus, Filius Joannis Benedicti, Medicuſque Collegii, ſucceſſit Panarolæ, anno MDCLVI. agens de Simplicibus Medicamentis, feriatis diebus, ſtipendio aureorum centum, uſque ad annum MDCLXVII. In Catalogis Profeſſorum, & in

in Bibliotheca Mandoſii dicitur Romanus, fortaſſe, quod Romæ natus ſit. Pariter in Statutis Collegii Medicorum Urbis, Joannes Franciſcus vocatur Romanus, ſimulque dicitur Filius Joannis Benedicti. Plures edidit libros, quos recenſent Mandoſius, & Merclinus, nempe: *Geneantrophiæ, ſive de hominis generatione Decateuchon, ubi ex ordine quæcumque ad humanæ generationis liturgiam, ejuſdemque principia, organa, tempus, uſum, modum, occaſionem, voluptatem, aliaſque omnes affectiones, quæ in Aphrodiſiis accidere quoquo modo ſolent, atque poſſunt, dedita opera, plene, methodice, & jucunde pertractantur: Hippocratis Antiphon libri quinque: De morbis Puerorum*. Hæc Merclinus tribuit Joanni Benedicto.

Carolus Valesius Dubourgdiu Burdegalenſis, Profeſſor Medicinæ Theoricæ ab anno mdclvi. extra ordinem, ſtipendio centum & viginti aureorum, per annos quatuordecim, tum Ordinarius Profeſſor Medicinæ uſque ad annum mdclxxxix. quo tempore percipiebat aureos fere tercentos. Egit Protomedicum generalem anno mdclxiii. Editi: *Commentarii de peſte, & de Exanthematibus: Aphoriſmi Prognoſtici Hippocratis in febribus acutis Commentariis illuſtrati*.

Joannes Trullus Romanus, Medicus Collegii anno mdclvii. Anatomicis, & Chirurgicis rebus operam dare cœpit, tum anno mdclxx. docuit Theoricam Medicinam cum Valeſio, deinde Practicam uſque ad annum mdcc. & ejus ſtipendium excedebat aureos tercentos.

Joannes Baptista Bencius ab Aquapendente, Profeſſor Practicæ Medicinæ ab anno mdclvii. extra ordinem, ſtipendio aureorum centum viginti, per annos quatuordecim. Fuit Protomedicus generalis anno Chriſti mdclviii.

Michael Angelus Caporipa Romanus, ab anno mdclviii. Medicinam extra ordinem profeſſus eſt per in-

Digitized by Google

integros annos ſex, hora matutina, ſtipendio aureorum viginti quinque.

Paulus Manfredus Lucenſis, eodem ſtipendio, Profeſſor Medicinæ extra ordinem ab anno MDCLXII. per annos octo, deinde, aucto ſtipendio, ſucceſſit Joanni Trullo in Chirurgicis, & Anatomicis rebus pertractandis, tandem ſimul cum Joanne Trullo docuit Theoricam Medicinam, uſque ad annum MDCC. quo tempore ejus ſtipendium aureis quinquaginta ſupra ducentos pendebat. E Collegio erat Medicorum Urbis. Edidit: *De nova & inaudita Medico - Chirurgica Obſervatione, ſanguinem transfundente de individuo in individuum, prius in brutis, deinde in homine experta: Novæ circa aurem Obſervationes*. Linden de Script. Med.

Ludovicus Bellinsanus Lucenſis, anno MDCLXVI. Profeſſorem Medicinæ extra ordinem, ſtipendio aureorum ſexaginta agere cœpit, atque in ea ſtatione annos decem impendit. Egit Protomedicum generalem anno MDCLXV.

Jacobus Sinibaldus Romanus, anno MDCLXVII. Cathedram obtinuit Simplicium Medicamentorum, feriatis diebus, quo in munere, cum annos quatuordecim explevisset, traductus eſt ad Cathedram Theoricæ Medicinæ, quam hoc ineunte ſæculo adhuc profitebatur, ſtipendio ducentorum aureorum. Laudatur a Mandoſio in Bibliotheca Romana, utpote cujus extant hæc Opera *Embrio Philoſophicus, ſive novum veteris Philoſophiæ Rudimentum quatuordecim Propoſitionibus delineatum: Plantarum Metamorphoſis: Lectio cum oſtenſione habita in Horto Medico Romanæ Sapientiæ: De Simplicium ſignaturis extrinſecis Lectio alia: Dell'abuſo de Veſſicatorii Diſcorſo*.

Cæsar Macchiatus Firmanus, Medicus Chriſtinæ Alexandræ Svecorum Reginæ, & Protomedicus deſignatus anno MDCLXXIV. poſtquam in Gymnaſio aliquot an-

annis Philoſophiam docuiſſet, Medicinæ Practicæ tradendæ operam dedit anno MDCLXX. ſtipendio aureorum ducentorum extra ordinem, per annos quatuor.

FLORIDUS SALVATORIUS Tiphernas, Canonicus Sancti Laurentii in Damaſo, Medicus Clementis X. ex Pontificis Chirographo Cathedram Practicæ Medicinæ obtinuit anno MDCLXX. percepitque ſtipendium ſeptingentorum fere aureorum, per annos fere triginta. Egit Protomedicum generalem annis MDCLXXIV. & MDCLXXV. Præclare meruit de Collegio Archiatrorum Urbis; hinc ei nuncupata ſunt hujus Collegii Statuta typis commiſſa anno MDCLXXV. Ibi in epiſtola nuncupatoria laudatur Salvatorius, quod Hortum Medicum reſtituerit: *Te ſollicitius urgente Romanus Janiculus novo jam titulo floreſcit in montem aureum, ex quo patefacta eſt illic explorandarum ſimplicium herbarum ſchola ſpatioſa, & ſulcatim undique florida*. De eo Mandoſius.

THOMAS PETRUCCIUS Romanus, Medicinam Theoricam hauſit a Joanne Franciſco Sinibaldo, Practicam a Gabriele Fonſeca, quam per aliquot annos publice docuit. Anno MDCLXXX. in publico certamine in Eccleſia S. Euſtachii novem defendit propoſitiones juxta ſententiam Empedoclis, ſumma cum laude. Edidit: *Spicilegium Anatomicum de ſtructura, & uſu capſularum renalium*: *Tractatum de Tarantulis Apuliæ*: *Tractatum de hominis generatione*, ubi novam tuetur de ſemine ſententiam. De eo Mandoſius in Bibl. Rom.

LUCAS ANTONIUS PORTIUS, Philoſophus, Mathematicus, Medicus præclariſſimus, in lucem venit anno MDCXXXVII. in Oppido Paſitani prope Amalphim. Primum Neapoli claruit, tum in Urbe anno MDCLXX. per aliquot annos Medicinam e Cathedra docuit extra ordinem ſtipendio aureorum centum, & viginti. Mox peragrata Italia, Germaniaque, ubique doctorum virorum familiaritate, & æſtimatione uſus, rediit Neapolim, pri-

mumque in Seminario Clericorum res Philoſophicas tradidit, tum Anatomen in publico Gymnaſio. Edidit Libellos, Diſſertationes, Epiſtolaſque doctiſſimas, nempe: *Del ſorgimento de licori nelle fiſtole aperte d'ambedue gl'eſtremi, & intorno a molti corpi, che tocchino la loro ſuperficie: De motu corporum: Eraſiſtratus ſive de ſanguinis miſſione: De veteri Medicina: De generatione metallorum: De fontibus naturalibus: Fons Jovis, fons Solis, Padi fons, aliique ſimiles, quorum meminit Plinius: De militis in caſtris ſanitate tuenda: De difficultate Medicinæ: De aere artificiali flammæ, & animalibus mortifero: De rarefactionum natura: Opuſcula, & fragmenta varia*. De ejus vita, laudibus, libriſque videndus Hyacinthus Gimma in Elogiis Academicis Tom. I. & in Hiſtor. Litter. Italiæ.

Romulus Spetiolus Firmanus, Archiater Alexandri Papæ VIII. ſtipendio aureorum centum, profiteri cœpit Medicinam extra ordinem anno MDCLXXV. quo in munere annos exegit quadraginta, tuncque ejus ſtipendium aureos quadrigentos conficiebat. Medicum quoque egit, mortuo Macchiato, Chriſtinæ Reginæ Svecorum. Fuit & Beneficiatus Baſilicæ Vaticanæ, ſacriſque initiatus. Scripſit de miraculis B. Laurentii Juſtiniani. De eo Mandoſius in Theatro Archiatrorum Summorum Pontificum.

Joannes Philippus Vignolus Romanus, Ordinis Minorum Strictæ Obſervantiæ, & Cherubinus Colanellus, ejuſdem Ordinis, Setinus, circa hæc tempora, Pontifice Innocentio XI. Rectore Federico Caccia indicandis in Horto Medico Stirpibus operam ſuam dabant. At in Gymnaſio Jacobus Sinibaldus de Simplicibus Medicamentis diſſerebat.

Joannes Baptista Triumphettus Bononienſis, peritiſſimus rei herbariæ, ſucceſſit Sinibaldo in Cathedra Simplicium Medicamentorum, ſimulque in Horto Medi-

dico Herbas ipſas indicavit, anno MDCLXXXI. per annos triginta. Ejus ſummum ſtipendium aureos ducentos excedebat. Præclare meruit de Horto Medico, cui ſtirpes quamplures undique conquiſitas addidit, & earum Cathalogum edidit. Extant ejus duæ Diſſertationes habitæ in Horto Medico, quarum prima agit, *ut Medici omiſſis minus utilibus inſpectionibus Plantarum inquiſitiones inſectentur*. Hanc editis *Vindiciis veritatis* defendit a cenſura Marcelli Malpighii, qui illum accuſaverat, quod, ut rei herbariæ notitiam extolleret, Anatomiam, & cætera Medica ſtudia contempſiſſet. Altera probat, *Viris etiam nobilibus valde expedire ſimplicium Medicamentorum notitiam poſſidere*. Edidit etiam *Obſervationes de Ortu & vegetatione Plantarum cum hiſtoria novarum plantarum iconibus illuſtrata*.

JOANNES MARIA LANCISIUS Romanus, Medicus præclariſſimus, annis natus triginta, Anatomiam, Chirurgiamque profiteri cœpit anno MDCLXXXIV. in Romano Gymnaſio, quam in Nocoſomio S. Spiritus in Saxia, ubi Medicum agebat, diligentiſſime coluerat. Anno Chriſti MDCLXXXVIII. Innocentius XI. eum Medicum Pontificium, Canonicumque Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo conſtituit, qua dignitate, mortuo Pontifice, ſe abdicavit. Innocentium XII. ſupremo morbo laborantem curavit. Collegio Cardinalium ad eligendum Clementem Papam XI. congregato a rebus Medicis fuit; uti etiam Clementi XI. Summo Pontifici. Eidem Cardinales Alterius, & Spinula vices ſuas demandarunt in creandis Doctoribus Medicinæ, & Philoſophiæ. Docuit in Gymnaſio annis tredecim, vixit vero ad annum uſque MCCXX. inſigni ſua Bibliotheca publico Noſocomio Sanctus Spiritus teſtamento relicta. Ejus Opera ſimul collecta edi curavit Petrus Aſſaltus Botanicæ Profeſſor, hoc titulo: *Joannis Mariæ Lanciſi Archiatri Pontificii, & intimi Cubicularii Opera, quæ hactenus prodierunt omnia*,

Digitized by Google

nia, Diſſertationibus nonnullis adhucdum ineditis locupletata, & ab ipſo Auctore recognita, & emendata, quæ collegit, & in ordinem digeſſit Petrus Aſſaltus in Romano Archilycæo Botanicæ Profeſſor. Primo Tomo hæc Opera continentur: *De ſubitaneis mortibus libri duo: Diſſertatio de nativis deque adventiis Romani cæli qualitatibus, cui accedit Hiſtoria Epidemiæ Rheumaticæ, quæ per hyemem anni* MDCCIX. *vagata eſt: De noxiis Paludum efluviis libri duo:* Tomus ſecundus hæc Opera complectitur: *Diſſertatio hiſtorica de Bovilla peſte ex Campaniæ finibus anno* MDCCIII. *Latio importata, deque præſidiis per Sanctiſſimum Patrem Clementem XI. Pon. Max. ad avertendam aeris tabem, & annonæ caritatem opportune adhibitis, cui accedit conſilium de Equorum Epidemia quæ Romæ graſſata eſt anno* MDCCXII. *Diſſertatio de recta Medicorum ſtudiorum ratione inſtituenda, habita ad novæ Academiæ Alumnos, & Medicinæ Tyrones in Archinoſocomio S. Spiritus in Saxia: Humani corporis Anatomica ſynopſis: Epiſtola ad Joannem Baptiſtam Bianchi de humorum ſecretionibus in genere, ac præcipue de bilis in hepate ſeparatione: An acidum ex ſanguine extrahi queat: Epiſtolæ duæ de triplici inteſtinorum Polypo: De Phyſiognomia: De ſe cogitantis animæ: De ortu, vegetatione, ac textura fungorum: De Plinianæ Villæ ruderibus: Forma ac methodus deſcribendæ morborum hiſtoriæ: Lucubratio de Virgine quadam Callienſi mirabili vexata ſymptomate: Anatomia per uſo, e intelligenza del diſegno ricercata non ſolo ſugl'oſſi e muſcoli del corpo umano, ma dimoſtrata ancora ſulle ſtatue più inſigni di Roma: Diſſertatio de ratione philoſophandi in arte medica: Diſſertatio epiſtolaris de Lumbrico lato: Diſſertatione epiſtolare intorno all' epidemia de' Buoi: Ragionamento intorno all'epidemia de' Cavalli ſucceduta in Roma nella primavera del* 1712. *Tabulæ Anatomicæ Clar. Viri Bartholomæi Euſtachii.*

Let-

Letterò al Sig. Antonio Vallisnieri con la quale ſi ritratto alcuni ſuoi errori ſcorſi nel libro de noxiis Paludum effluviis: *Michaelis Mercati Samminiateuſis Metallotheca*: *Diſſertatio de Vena ſine pari*: *De ſtructura uſuque gangliorum*: *Epiſtolæ duæ ad Joannem Morganium*: *Diſſertatio epiſtolaris de natura, & præſagio Dioſcurorum nautis in tempeſtate apparentium*. Lanciſii vitam edidit Creſcimbenius. Laudatur a Niceronio in vitis virorum illuſtrium, & in Dictionario Morerii poſtremæ editionis, & Mandoſio in Theatro Archiatr. Pontif.

Georgius Baglivus Licienſis, celeberrimi nominis Medicus, anno mdcxcv. Cathedram Chirurgiæ, & Anatomiæ, in qua Lanciſius ſederat, occupavit. Philoſophiæ, ac Medicinæ operam dederat in Gymnaſiis Salernitano, Neapolitano, Bononienſi, ubi Malpighium audiverat. In Urbe æſtimationem, ac benevolentiam omnium ſibi conciliavit, præſertim Severoli, & Ciampini, in cujus Academia Phyſico-Mathematica locum habuit. Editis libris, ejus fama longe, lateque diffuſa eſt, ut illum Clariſſimæ Societates Londinenſis, & Imperialis ſocium adſciverint in locum Malpighii. Sed florentem ætate triginta octo annorum, & doctrina, magno cum rei Medicæ damno, mors abſtulit, anno mdccvii. uti legitur in Faſtis Arcadum defunctorum. Ejus libri pluries, variiſque in Europæ locis, typis editi ſunt, præſertim anno mdccx. Lugduni, in Tomos ſex diſtributi. Illorum vero argumenta hæc ſunt: *De praxi Medica*: *De fibra motrice & morboſa*: *Canones de Medicina ſolidorum*: *De progreſſione Romani terræmotus*: *De ſyſtemate, & uſu motus ſolidorum in corpore animato*: *De vegetatione lapidum*: *De analogiſmo circulationis maris ad analogiam ſanguinis*: *De anatome, morſu, & effectibus Tarantulæ*: *De uſu & abuſu Viſicantium*: *De obſervationibus anatomicis, & practicis*: *De Theorica Me-*

Medica: *De reſpiratione & ſomno* : *De circulatione ſanguinis in Teſtudine*, *ejuſdemque cordis anatome* : *De morbis ſalivæ*, *bilis*, *& ſanguinis* : *Commentarii de Statica Medicina Aphoriſmorum Sanctorii* : *Epiſtolæ*. Plura de ejus laudibus habet Gimma in Hiſtoria Litteraria, & Pappadopoli de Alumnis Gymnaſii Patavini, quo teſte, Baglivus dicebatur *Romanus Hippocrates*.

Lucas Tozzius e Frignano prope Averſam, in Philoſophicis, Mediciſque rebus nulli ſecundus, lucem aſpexit anno MDCXXXVIII. primumque Neapolitani Gymnaſii Cathedras aſcendit Matheſeos, & Medicinæ, ut vices ſuppleret Thomæ Cornelii, tum Andreæ Gomezii Protomedici generalis. Deinde anno MDCXCIV. inito certamine, Cathedram Inſtitutionum Medicarum, mox primariam Medicinæ obtinuit, ac ſæpe diſſeruit ſimul de rebus Phyſicis, Aſtronomicis, Mathematicis, Mediciſque. Sed anno ſequente, illum Innocentius XII. Romam accerſivit, Medicum ſuum eſſe juſſit, & publicum Profeſſorem Practicæ Medicinæ, ſtipendio ſexcentorum aureorum. Eumdem ſ Innocentio defuncto, Carolus II. Rex Hiſpaniarum ſibi eſſe a rebus Medicis decreverat, jamque ille Mediolanum pervenerat, profecturus in Hiſpaniam, niſi Rex vivis exceſſiſſet. Quare rediit ad patrii Gymnaſii Cathedram, ubi plurima, eaque doctiſſima in lucem emiſit, quæ recenſet Hyacinthus Gimma in Elogiis Academicis, ubi Tozzii vitam deſcribit, obiitque Protomedicus Regni, anno Domini MDCCXVII. Ejus extant : *Recondita naturæ opera jam detecta*, *ubi circa quatuor caſus obſervati Cometæ anno 1664. Aſtronomico phyſice diſſeritur*. *Opera Phyſico Medica in quatuor Tomos diſtributa*: Horum primus Theoricam, & Practicam Medicinam expendens, ſumma brevitate, & doctrina, plurimos Tractatus complectitur. Reliqui Tomi tres Commentaria complectuntur in libros Aphoriſmorum Hippocratis. Scripſiſſe etiam dicitur

tur a Gimma *Comment. in artem medicinalem Galeni: De Terræmotu: De anima Mundi: De morbis puerorum & mulierum. Trigonometria abſque tabulis ſinuum tangentium, & ſecantium adpraxim reducta, & reſoluta.* Plura de eo Gimma, & Tomo I. Arcadum illuſtr. & Mandoſius in Theatro Archiatrorum Pontificiorum.

Alexander Pasculus Peruſinus, e patrio Gymnaſio, ubi Philoſophiam annis decem docuerat, a Clemente XI. Pontifice, anno MDCCI. ad Cathedram Practicæ Medicinæ in Romano Gymnaſio accerſitus eſt. In Collegium Archiatrorum Urbis adſcitus, electus eſt Protomedicus generalis annis MDCCXXI. MDCCXXVI. MDCCXXVIII. MDCCXXXII. MDCCXXXVI. eique commiſſæ vices Cardinalis Camerarii in conſtituendis Doctoribus Medicinæ, & Philoſophiæ. Cardinalibus ad eligendum Clementem Papam XII. in Conclavi degentibus fuit a rebus Medicis. Ejus ſententiam Sacra Congregatio Rituum ſæpe conſuevit expetere, cum agebatur de prodigioſis ægrorum curationibus perpatratis illorum invocatione, qui in Sanctorum numerum ſunt referendi. Quo nomine, non ſemel commendatur a doctiſſimo Lambertino, nunc Gloriofiſſimo BENEDICTO XIV. in libris de Canonizatione Sanctorum. Eundem laudat Gimma in Hiſtor. Litter. Italiæ. Hoc anno MDCCLI. rude donatus eſt; ſed jam pluribus abhinc annis, ceſſaverat a Scholis. Multa edidit Etruſco ſermone, eundemque Clar. Bergantinius Teatinus recenſet inter Scriptores probatiſſimos Etruſci ſermonis: *Il Corpo umano*: eſt is Tractatus Anatomicus pluries typis commiſſus. *Trattato delle febri*: *Nuovo metodo per introdurſi ad imitatione de Geometri con ordine, chiarezza, e brevità nelle piu ſottili queſtioni di Filoſofia Metafiſiche, Logiche, Morali, e Fiſiche*: *Oſſervazioni Teoriche, e Pratiche di Medicina*: *Della natura de noſtri penſieri, e della maniera, con cui s'eſprimano*: *Saggio di Logiſtica*: *Del moto, che ne' mobili ſi rin-*

ſonde per impulſo eſteriore, *Trattato Fiſico Matematico: Del moto*, *che ne mobili ſi rinfonde in virtù di loro elaſticapotenza*, *Trattato Fiſico Matematico*: *Riſpoſte ad alcuni conſulti*: *De Homine Tomi tres*, quibus Theoria, Praxiſque totius Medicinæ continetur.

Michael Angelus Pauli Piſaurenſis, anno mdccv. Profeſſor Practicæ Medicinæ hora veſpertina ſimul cum Spetiolo, & Paſculo, per annos fere viginti. Clementis XI. Summi Pontificis Medicum egit, ac Protomedicum generalem annis mdccxii. mdccxvi. mdccxix. & mdccxxii.

Oruntius Gulielmus Arno de Mandurio Profeſſor Medicinæ Theoricæ, anno Domini mdccix. Inter Archiatros Urbis locum obtinuit.

Petrus Assaltus Firmanus ſucceſſit Triumphetto in Cathedra Simplicium Medicamentorum, anno mdccx. ſed poſt annos decem ad Cathedram tranſiit Theoricæ Medicinæ. Plurimum excelluit in rerum Medicarum, præſertim Botanicarum peritia; ac ſæpe rogatus ſententiam dixit, an naturæ viribus prodigioſa quædam perpatrata, ab his, qui in Sanctorum numerum ſunt referendi, poſſint adſcribi; hæcque illius Judicia typis edita ſunt. Metallothecam Michaelis Mercati a Lanciſio evulgatam notis illuſtravit.

Joannes Antonius Vulpius Aſculanus, e Collegio Archiatrorum Urbis, anno mdccxx. Profeſſor Simplicium Medicamentorum, iſque herbas indicabat in Horto Medico, tum Theoricam Medicinam docuit.

Franciscus Soldatus Romanus, vices Romuli Spetioli ſupplevit in Cathedra PracticæMedicinæ anno Chriſti mdccx. tum Cathedram hanc ipſam obtinuit, docuitque uſque ad hunc annum mdccli. cum ſupremum obiit.

Angelus Chellinus Bononienſis Profeſſor Chirurgiæ, & Anatomiæ, ab anno mdccxviii. per annos octo.

Nicolaus Michelangelus de Rocca Contrada Senogal-

Digitized by Google

nogallienſis Diœceſis, e Collegio Archiatrorum, Profeſſor Practicæ Medicinæ ab anno MDCCXII. obtinuit vacationem muneris poſt exactos in munere publico viginti ſex annos.

RAIMUNDUS TAROZZIUS Romanus Profeſſor Theoricæ Medicinæ ab anno MDCCXXIV. clari nominis in Urbe fuit. Edidit Diſſertationes plures, quibus ad examen revocantur prodigia nonnulla a piis viris perpatrata, an naturæ viribus occultis, vel nonniſi Divina virtute edi potuerint. Anno MDCCXLII. Protomedici officio functus eſt, obiitque anno altero.

ANTONIUS COCCHIUS Hernicus Chirurgiam, & Anatomen pertractavit ab anno MDCCXXVI. perque annos duos ſupra viginti profeſſus eſt. Edidit Lectiones quaſdam Anatomicas, Diſſertationem de uſu Corticis Chinæ, & Judicia quædam de Sanctorum miraculis. Obiit anno MDCCXLVIII.

COSMUS GRILLI Meſſanenſis, Medicus Collegii, primo de Simplicibus Medicamentis, herbiſque in Horto Medico indicandis agere cœpit anno MDCCXXVIII. tum ad Cathedram tranſiit Medicinæ Practicæ, eamque ſedem nunc temporis obtinet.

MARCUS ANGELUS MARCANGELI Sabinenſis, Medicus Collegii, diu egit Profeſſorem ſupra numerum, nunc vero Cathedram obtinet Inſtitutionum Theoricæ Medicinæ, atque annis tribus ſupra viginti profeſſus eſt.

JOSEPH DE PANICIS Montorienſis, anno MDCCXLV. ut Profeſſor ſupra numerum agebat de cauſis morborum, deinde Cathedram Botanicæ aſcendit, obiitque anno MDCCXLVII. cum e Collegio eſſet Medicorum Urbis.

FRANCISCUS AURELIUS GINNANESCHI Senenſis anno MDCCXLII. vices obire cœpit Alexandri Paſculi Practicæ Medicinæ Profeſſoris, cujus etiam ſedem in Collegio Archiatrorum Urbis paucos poſt annos occupavit. Anno MDCCXLVI. cum Botanicæ Profeſſor infirma valetudi-

laboraret, hoc etiam munere fungi juſſus eſt; tum ſequente anno, hanc ipſam Botanicæ Cathedram accepit, ſimulque egit de Practica Medicina, hora veſpertina, deque rebus Botanicis hora matutina, uſque ad hunc annum MDCCLI. cum Alexander Paſculus rude donatus eſt, alterque ei in Cathedra Practicæ Medicinæ ſubrogatus,

NATALIS SALICETUS e Nebio in Corſica, e Collegio Archiatrorum, inſtituto certamine, anno MDCCXLVIII. adlectus eſt, qui Chirurgiam, Anatomemque in Gymnaſio pertractaret, eoque munere nunc temporis fungitur.

JOANNES FRANCISCUS MARATTI Romanus, Abbas Congregationis Valliſumbroſæ Profeſſor Botanicæ Practicæ, qui nempe in Horto Medico Stirpium nomina, & characteres indicat, ab anno MDCCXLVIII.

ALOYSIUS PHILIPPUS GIRALDUS Ferrarienſis, primus in Romano Gymnaſio Profeſſor Chemiæ ab anno Chriſti MDCCXLIX.

JOANNES LAURENTIUS GUARNIERI Senenſis Medicus Collegii, ex certamine obtinuit Cathedram Medicinæ Practicæ, die 23. Martii anno MDCCLI.

JOANNES BAPTISTA PAULINUS Sabinus ex eodem certamine Profeſſor Theoricæ Medicinæ.

SIGISMUNDUS TONCI Senenſis ex eodem certamine adlectus eſt Profeſſor ſupra numerum.

C A-

CAPUT IV.

PROFESSORES MATHEMATICÆ.

NICOLAUS COPERNICUS Thorunii Pruſſiæ in lucem editus anno MCDLXXII. domi Latinis, Græciſque Litteris eruditus, in Academia Cracovienſi Philoſophicis, Medicis, & Mathematicis diſciplinis inſtructus, annum agens vigeſimum tertium ſe in Italiam contulit, primumque Bononiæ pedem fixit, ubi Dominico Mariæ Ferrarienſi publico Aſtronomiæ Profeſſori, & diſcipulus, & in Aſtronomicis obſervationibus adjutor fuit. Romam deinde veniens, circa finem ſæculi decimi quinti, conſtitutus eſt publicus Mathematicarum rerum in Gymnaſio Profeſſor, ubi & obſervationes aliquot Aſtronomicas abſolvit circa annum MD. Reverſus poſt aliquot annos in patriam, adſcriptus eſt Collegio Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis Fravenburgii ad Viſtulæ oram ſiti; ubi totus Aſtronomiæ incubuit, Opuſque perfecit ſex libris diſtinctum *de Orbium cœleſtium revolutionibus*, quibus totam Aſtronomiam complexus eſt, atque Paulo III. Pontifici nuncupavit. Prodiit hoc Opus Norimbergæ anno MDXLIII. eodemque anno die 24. Maji Copernicus paulo poſt, quam operis editi exemplum accepiſſet, ſanguinis profluvio extinctus eſt, ſepultuſque in Eccleſia Cathedrali Warmienſi. Ejus vitam Gaſſendus conſcripſit.

JOANNES TAISNERUS Hannonius, Juriſconſultus, Philoſophus, Medicus, Mathematicus præclariſſimus, in variis Italiæ Academiis, præſertim vero Ferrariæ, & Romæ res Mathematicas e Cathedra docuit, uti ipſemet narrat in prefatione libri de uſu Sphæræ materialis. Et Ghilinus in Theatro Litteratorum teſtis eſt docentem

in

Scholis Urbis habuiſſe tercentos Auditores. Idipſum teſtatur Thomaſſinus in elogiis doctorum virorum ſcribens de Taiſnero: *Romæ, & Ferrariæ hoſpes Mathematicus publice cum doceret, audientium corona ſæpiebatur, quos etiam privatis in ædibus, iiſdem artibus erudiebat.* Caroli V. Regiam prolem litteris inſtituit, eundemque Imperatorem in Africam ad bellum proficiſcentem in Tunetana expeditione ſecutus eſt, pluraque itinera egit per Aſiam, Africam, Europam, uti ipſemet narrat in laudata præfatione. Cum in Sicilia verſaretur novam navis majoris conſtructionem inveniſſe dicitur. Tandem urgente ætate, Coloniæ pedem fixit, fuitque præfectus Muſicæ Archiepiſcopi Joannis Gebhardi, ibi & Chiromantiam, cui erat addictus, docuit. Libri ab eo plures editi: *De motu continuo adverſus Philoſophum: De natura magnetis, & de navigandi uſu: Opus Mathematicum libris octo deſcript um: De annuli Sphærici fabrica libri tres: De uſu Sphæræ materialis: De proportione motuum localium contra Ariſtotelem: Aſtrologiæ judiciariæ Iſagoges: De motu celeberrimo hactenus incognito.* Obiit ſenex in patria. De eo Ghilinus, Thomaſſinus, Bayle, Veidlerus, Niceronius.

Rodericum Luſitanum, inſignem Mathematicum, Profeſſoremque in Gymnaſio Romano memorat Joannes Pierius Valerianus in libro de infelicitate Litteratorum his verbis: *Rodericus Luſitanus ſummæ juvenis eruditionis Mathematicarum ſcientiſſimus, quas non ut multi barbare, ſed vel Græce, vel Latine idque caſtigatiſſime profitebatur, miræ prorſus in docendo dexteritatis, & diligentiæ, is Ægidium Cardinalem in Hiſpaniis nactus, qui magnis de rebus ad Carolum Imperatorem pro Chriſtiana pietate miſſus fuerat, rariſſimam hominis eruditionem, & ſapientiam admiratus, cum in Italiam ſecutus, cum Romæ doctrinam ſuam propalaſſet, eruditorum omnium concurſu frequentari cœpit, mox rebus tunc florenti-*

rentibus Romana Cathedra honeſtatus in ea incidit tempora, quæ omnium calamitoſiſſima ſemper appellabantur, a latronibus enim Romæ vaſtatoribus male habitus, in eo juventutis flore peſtilentia, quæ ſtatim in cladem illam incubuit, fuit abſumptus.

Antonius Maria Pacius Mathematicæ Profeſſor, Pio V. Pontifice, Rectore Camillo Peruſco Epiſcopo Alatrino, anno MDLXVII. ſtipendio centum aureorum. In antiquis Catalogis Profeſſorum ſub Paulo III. Julio III. Pio IV. deſideratur Mathematicæ Profeſſor, quamvis tradendæ Philoſophiæ plurimi addicti legantur, uſque ad memoratum annum, cum primum reſtituta videtur ſedes in Gymnaſio Romano Mathematicis Diſciplinis.

Joannes Baptista Raimundus Profeſſor Matheſeos ſub Gregorio XIII. Pontifice, Rectore Cæſare de Graſſis, Sacri Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditore, anno Chriſti MDLXXVI. ſtipendio aureorum quinquaginta.

Joannes Petrus Pomerius Hiſpanus Matheſim profitebatur anno MDLXXXII. Gregorio XIII. Pontifice, Rectore Cæſere de Graſſis, ſtipendio aureorum centum.

Mauritius Bressius Grationopolitanus, Rhetoricam, & Mathematicam in Gymnaſio profitebatnr anno Chriſti MDLXXXVII. Sixto V. Pontifice. Fuit Mathematum Profeſſor Regius atque Rameus, hoc eſt e Collegio Pariſienſi Mathematicorum, quod Petrus Ramus inſtituit, & cui annuum vectigal quingentarum librarum e facultatibus ſuis attribuit. Edidit *Libros quatuor metrices aſtronomicæ*, quibus Trigonometriam ſphæricam in uſum Aſtronomiæ exponit, uti teſtatur Veidlerus Hiſt. Aſtron. Cap. 14. num. 119.

Jacobus Marchesettus Piſaurenſis, Matheſin in Gymnaſio docere cœpit anno MDXCI. Clemente VIII. Pontifice, Rectore Bernardino Biſcia, ſtipendio aureorum centum, exactiſque in hoc munere annis octo, Rhetoricæ præcepta tradidit uſque ad annum Chriſti MDCV.

eique

eiqueproſuohonorarioſolvebanturaureitercenti.

LUCAS VALERIUS Romanus, anno MDC. tum Græcam Linguam hora veſpertina, tum feriatis diebus Mathematicam, ſtipendio aureorum centum & quinquaginta profitebatur. Sed anno MDCIII. Moralem Philoſophiam, ſimulque Matheſin e Cathedra docebat, duplicique hoc munere functus eſt, ſalario aureorum tercentum, uſque ad annum MDCXVIII. quum vivis exceſſit. Ejus in Mathematicis diſciplinis peritia magnis laudibus commendatur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca, & Proſpero Mandoſio in Bibliotheca Romana, qui referunt Valerium a præclariſſimo Galilæo appellatum Archimedem ſui ævi. Edidit egregium librum *De Centro Gravitatis ſolidorum*: aliumque non minori laude dignum: *De Quadratura Parabolæ per ſimplex falſum*.

FABRITIUS COCCANARIUS Tiburtinus Valerio ſucceſſit in Cathedra Mathematicæ uſque ad annum MDCXXII. ſtipendio aureorum ſexaginta.

ANDREAS ARGOLUS de Taleacotio in Neapolitano Regno, Medicus, & Mathematicus celeberrimus, per annos ſex in hac Gymnaſii Romani Cathedra ſedit, ſub Gregorio XV. & Urbano VIII. tum ad Patavinas Cathedras commigravit, ubi a Senatu Veneto, Equeſtri Ordine, & magno ſtipendio, donatus eſt. Præſertim in Aſtronomicis Rebus maxime excelluit, atque claruit, uti ſequentes doctiſſimi Libri ab eo editi plane teſtantur: *Tabulæ primi mobilis, quibus veterum rejectis prolixitatibus, directiones facillime componuntur*: *Ephemerides ad longitudinem Almæ Urbis ab anno MDCXXI: ad annum MDCXL. ex Pruneticis tabulis ſupputatæ*: *Aſtronomicorum libri tres*: *novæ cœleſtium motuum Ephemerides ad longitudinem Almæ Urbis Romæ, ab anno MDCXX. ad MDCXL. ex Pruneticis tabulis ſupputatæ*: *Iſagoge & Canones abſolutiſſimi præcepta omnia Aſtrologiæ complectentes*: *Problemata Aſtronomica*: *De diebus*

Digitized by Google

bus Criticis. Scripſit deinde hæc alia : *Tabulæ ſecundorum mobilium* : *Practica Medicinalis* : *De novis ſtellis noſtro ævo genitis*, *aliiſque phænomenis* : *Commentaria in libros quatuor Ptolomæi cum textu Græco*, *& Latino* : *Ephemerides Tychonicæ ab anno* MDLXXX. *ad* MDCXX. *& ab* MDCXX. *ad* MDCXL. *Ephemerides Copernicææ ab anno* MDCXL. *ad* MDCLX. *Catholicæ & probatæ Aſtronomiæ epitome* : *Pantoſion ſphæricum* : *Ptolomæus parvus*. Horum nonnulla in lucem minime venerunt. Sed Veidlerus in Hiſtoria Aſtronomiæ Cap. XV. §. XXXV. teſtis eſt Ephemerides Tychonicas editas tribus tomis Lugduni anno MDCLIX. in quorum primo agit Argolus de partitione Sphæræ, de ſyſtemate ſuo de planetis, & eorum paſſionibus; in altero, de anni revolutionibus, aeris, & temporis mutationibus, præceptis in Medicina, agricultura, & nautica obſervandis; in tertio, de ſignorum Zodiaci qualitate, & diviſione, item dominio ſupra loca orbis, quibus tabulas domorum ſubnectit. Eodem Veidlero teſte, prodiit anno MDCXLIV. Patavii, *Pandoſium ſphæricum*, in quo ſingula in elementaribus regionibus, & ætherea mathematice pertractantur. Obiit anno MDCLVII. Patavii, ætatis ſuæ octuageſimo nono, ejuſque nomen celebratur a Craſſo in elogiis doctorum virorum, Ghilino in Theatro Litteratornm, Veidlero in Hiſtoria Aſtronomiæ, Pappadopoli in Hiſtoria Gymnaſii Patavini. Omiſſum a Toppio reſtituit Bibliothecæ Neapolitanæ Nicodemus in additionibus, ubi tamen cum Ghilino dicit Argolum obiiſſe anno MDCL.

BENEDICTUS CASTELLUS Brixienſis, Monachus Ordinis S. Benedicti, in Mathematicis rebus verſatiſſimus ſubrogatus eſt Argolo, anno MDCXXVIII. ſtipendio aureorum centum, & quinquaginta, quod deinde auctum eſt ad aureos ducentos, uſque ad annum MDCXLIII. Antequam ad Scholas Urbis accederet, Matheſin annis tredecim in Gymnaſio Piſano docuit; & Florentiæ pluri-

mos nobiles adoleſcentes, ipſumque Laurentium Mediceum Mathematicis Diſciplinis inſtituit, Bonaventuram Cavalerium ex Ordine Jeſuatorum celebrem Mathematicæ Profeſſorem in Gymnaſio Bononienſi, diſcipulum habuit. A Galileo in ſuis epiſtolis celebratur, diciturque primus inveniſſe modum inſpiciendi in Charta maculas Solares Tubo optico ad Solem verſo. Nonnulla quoque primus detexit, obſervavitque circa aquarum, & fluminum curſum. Edidit: *Riſpoſta all'oppoſizione di Ludovico delle Colombe, e di Vincenzo di Grazia contra al Trattato di Galileo Galilei delle coſe, che ſtanno ſu l'acqua, o che in quella ſi muovono: Dimoſtrazioni Geometriche della natura dell'acque: Opuſcoli Filoſofici: Miſura dell'acqua corrente*. De Caſtello Ghilinus in Theatro Litteratorum.

Antonius Sanctinius Lucenſis Clericus Regularis Congregationis Sommaſchæ Profeſſor Mathematicæ ab anno MDCXLIII. uſque ad annum MDCLXII. ſtipendio aureorum viginti ſupra centum. Ejus extant: *Eclides reſtitutus: Inclinationum Appendix, ſeu Geometriæ Parergon: Problema vindicatum: De Circuli quadratura*.

Joannes Dominicus Roccamora Neritonenſis, Abbas Ordinis S. Benedicti Congregationis Sylveſtrinæ in Sanctinii locum ſubrogatus, Matheſin pertractavit ad annum uſque MDCLXXXV. cum ſupremum diem obiit. Edidit: *Cifre dell'Euchariſtia cioè di quel libro, che fù diſcifrato dall'Agnello di ventiquatro Vecchioni dell'Apocaliſſe ſpiegate in ventiquatro diſcorſi*: De eo Diar. Lit. 1671.

Vitalis Jordanus Bituntinus, magnum inter Mathematicos nomen aſſequutus eſt. In lucem venerat anno MDCXXXIII. atque Tarenti uxorem duxerat, e qua filium ſuſcepit, cum, nece hominis perpetrata, agens decimum nonum annum, Venetias primum, mox Romam aufugit, diuque ſtipendium meruit inter Pontificios milites claſsiarios ſub Innocentio X. & Alexandro

dro VII. confectis pluribus in Orientem maritimis itineribus. Id dum ageret, præfectus rationibus claſsiariorum, occaſio homini oblata eſt Arithmeticis rebus ſe dandi, Claviique Arithmeticam evolvendi, quam a Græco Presbytero accepit. Quare Mathematicarum rerum amore captus, ut his totus vacaret, ubi ipſe ad Urbem rediit, petiit, obtinuïtque, ut inter milites præſidiarios Arcis Urbis adſcriberetur; eaque in ſtatione, diu, multumque, aſsidua Vietæ, Euclidis, & aliorum librorum lectione, doctorum quoque virorum conſilio, & familiaritate, in Mathematicis Diſciplinis aſſequendis verſatus eſt, dejectoque militari cingulo, cum anno Chriſti MDCLXII. a pluribus viris doctis Academia *Simpoſiacorum* in Urbe conſlata eſſet, Jordanus in his conventibus tantam ſibi famam, æſtimationemque comparavit, ut jam plurimi nobiles ad eum audiendum domi ſuæ docentem confluxerint. Hinc illum Chriſtina Svecorum Regina litterarum, ac litteratorum amantiſsima, Mathematicum ſuum eſſe juſſit, ſtipendioque donavit. Eumdem anno MDCLXIV. cum Ludovicus XIV. Gallorum Rex Sapientiſſimus decrevit in Urbe Academiam excitari, in qua Galli juvenes Picturæ, & Sculpturæ artibus inſtituerentur, horum in rebus Mathematicis Magiſtrum elegerunt. Sed & Clemens X. Jordanum in Arce Urbis, reque militari Architectum conſtituit. Tum anno Chriſti MDCLXXXV. ſucceſſor datus eſt Roccamoræ in Cathedra Mathematicæ, cumque munus publicum auſpicaretur, in magno doctorum virorum conventu diſſeruit, quam civili vitæ utiles, neceſſariæque ſint Mathematicæ Diſciplinæ. Et ut auditores ſuos, quos magno in numero habuit, diligentius efformaret, eoſdem domi, ſtatis horis inſtituebat. Claruit in Arcadum Academia, aliaque Phyſico-Mathematica, quam Clariſſimus Ciampinus ſuis in ædibus exceperat; ubi, excitata quæſtione de motu gravium, Jordanus Galilei ſententiæ adhæſit, edita Diſſerta-

Digitized by Google

ſertatione: *De componendis Gravium momentis*, quam Buratto Rectori Gymnaſii Romani nuncupavit. Eamdemque ſententiam comprobavit, edito libro, cui titulus: *Fundamentum doctrinæ motus Gravium*. Anno Chriſti MDCC. cum ageretur de emendatione Kalendarii Gregoriani, deque ea re Clariſſimus Caſſinus ſuam dixiſſet ſententiam, atque Clemens XI. Congregationem decreviſſet huic negotio examinamdo incumbere, cui Cardinalem Noriſium præfecit, Jordanus, ſimul cum peritiſſimis Mathematicis Blanchinio, & Quarteronio in eam adſcitus eſt, atque ſcripto probavit, facile incommoda omnia, quæ in annorum ſupputatione occurrebant tolli poſſe, quin Gregorianum Kalendarium e medio tolleretur. Lucæ Antonii Portii, viri doctiſſimi ſententiam in libro *De motu Corporum*, adhærens ipſe Galilei ſententiæ, edita *ad Hyacinthum Chriſtophorum epiſtola*, impugnavit; uti etiam Guidonem Grandium, celeberrimum Mathematicum, edito ſcripto, cui titulus: *Galilei lemma circa Gravium momenta*. Sed emeritum Profeſſorem, natum annis LXXVII. mors abſtulit anno Chriſti MDCCXI. die 3. Novembris, tumulatumque habet Eccleſia S. Laurentii in Damaſo. Scripſit de omnibus fere Mathematicæ partibus, uti teſtatur Cæſar Bigolotti in ejus vita edita a Creſcimbenio inter illuſtrium Arcadum vitas. At ex his quæ publicam lucem aſpexere, præcipua ſunt: *Euclides reſtitutus*: *Fundamentum doctrinæ motus gravium*: *Uſo, & abuſo dell'Analitica ſpecioſa*: & alia nonnulla. Jordani geſta, & ſcripta fuſe narrantur Tom. III. de Vitis Arcadum; illiuſque cum laude mentio fit in Dictionario Morerii poſtremæ editionis, & in vitis virorum illuſtrium, auctore Niceronio.

Dominicus Quarteronus Meſſanenſis, clari nominis Mathematicus, ab anno MDCXCVIII. publice in Scholis Urbis profiteri cœpit ſimul cum Jordano, tamquam Profeſſor ſupra numerum, cui mox ſucceſſit. De quo hæc

hæc Mongitorius in Appendice prima ad Bibliothecam Siculam. *Dominicus Quarteronus Meſſanenſis, Mathematices Profeſſor doctiſſimus, eruditione, & doctrina inſignis. Romæ, ubi diu inclaruit, ac adhuc ſuperſtes non inglorius vivit, ſui opinionem apud litteratos prolatavit, ac neceſſitudinem cum doctioribus iniit. In Academia Phyſico-Mathematica, quam anno* MDCLXXVII. *Romæ excitaverat egregius Vir Joannes Juſtinus Ciampinus adſcriptus, eximias ingenii dotes patefecit. In eruditiſſima Litteratorum Congregatione, quam ſingulis diebus, veſpertino tempore habebat in ædibus ſuis vir clariſſimus Marcellus Severolus, non ultimum obtinuit locum. Anno* MDCXCII. *in Arcadum Academiam exceptus, multiplici eruditione, ac gravioribus diſciplinis ornatus, æſtimationem promeruit ſummam.* Edidit: *Reſponſiones ad ſexdecim Anonymi Aſſertiones ad Calendarii Eccleſiaſtici emendationem pertinentes.* Obiit anno MDCCXXXVI. cum aureos viginti ſupra ducentos percipiebat.

Didacus Revillas Mediolanenſis, Abbas Congregationis S. Hieronymi de Lombardia, ab anno MDCXXXVI. publicus in Romano Gymnaſio Profeſſor Mathematicarum rerum. Obiit anno MDCCXLVI.

Cæsareus Pozzi Bononienſis, Monachus Olivetanæ Congregationis, diſcipulus celeberrimi Euſtachii Manfredi, & Clariſſimi Ramiri Rampinelli ex eadem Olivetana Congregatione Profeſſoris Matheſeos in Ticinenſi Gymnaſio, datus eſt Coadjutor Didaco Revillas anno MDCCXLIII. cui e vivis ablato poſt annos tres ſucceſſit in Mathematicæ Cathedra. Matheſeos elementa pertractat; prælo mox daturus: *Inſtitutiones Arithmeticæ, Algebræ, Geometriæ Planæ, atque Solidæ, Trigonometriæ, & Sectionum Conicarum ad uſum Archigymnaſii Urbis*: tum etiam vitam Euſtachii Manfredi.

Thomas le Seur Gallus, Ordinis Minimorum Sancti Fran-

Digitized by Google

Franciſci de Paula, alter Mathematicæ Profeſſor juxta Conſtitutionem SS. Benedicti XIV. *Quanta Reipublicæ commoda*, de qua egimus Cap. X. §. IV. hujus libri, Cathedram Matheſeos aſſecutus eſt, anno MDCCXLIX. Is etiam in Collegio de Propaganda Fide Moralem Theologiam edocet. Philoſophiam Iſaaci Neutoni ſimul cum Franciſco Jacquerio auxit notiſſimis, & præclariſsimis *Commentariis*. Quæ ab univerſa Republica Litteraria magno cum plauſu excepta ſunt; præſertim a Lipſienſibus viris doctis, qui in Actis Eruditorum anni MDCCXLII. plurimum commendant horum doctiſſimorum Patrum egregiam operam, quod nulla rei difficultate deterriti tantum Philoſophum explanaverint, & nullum paulo difficiliorem Neutoni locum intactum reliquerint.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

PROFESSORES LINGUARUM ORIENTALIUM.

EMANUEL CHRYSOLORAS patria Byzantinus, gente Romanus, a Joanne Paleologo Græcorum Imperatore miſſus in Italiam anno MCCCLXXXVIII. cauſa implorandi a Chriſtianis Principibus auxilii ad reprimendum Bajazethum Imperatorem Turcarum, auctor fuit revocandi, reſtituendique in Occidente cognitionem Linguæ Græcæ, & lectionem Græcorum per annos ſeptingentos neglectam. Docuit Venetiis primum, mox Florentiæ, tum Romæ, fortaſſe ſub Innocentio VII. qui reſtituens Gymnaſium Romanum teſtatus eſt peritiſſimum Græcæ Linguæ Profeſſorem illuc ſe accerſiviſſe, denique Ticini, uſque ad annum MCDXIV. cum obiit Conſtantiæ, quo venerat cauſa viſendi Concilii. Huic communi Scriptorum conſenſu adſcribitur gloria reſtitutæ in Occidente Græcæ litteraturæ; & quamvis Philoſophum egiſſe non legatur, tamen, uti obſervat Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ, dubitandum non eſt, quin more gentis ſuæ, apud quam uſque ad captam Conſtantinopolim viguit Philoſophia, Græcanicæ quoque Philoſophiæ præcepta diſcipulis tradiderit, Italiſque Græcorum Philoſophorum, Ariſtotelis præſertim, & Platonis ſtudium commendaverit. Laudatur a Jovio in elogiis, Volaterrano in Antropol. Bruchero in Hiſt. Phil. Spondano in Annal. Oudino de Script. Eccleſ. Morerio in Diction.

JOANNES LASCARES Græcus nobiliſſimus, atque doctiſſimus, e patria profugus exceptus eſt a Laurentio Mediceo, qui cum teneretur ſtudio perficiendæ nobiliſſimæ Bibliothecæ, illum bis in Græciam Legatum miſit ad Bajaze-

jazethum Imperatorem, ad conquirenda undique volumina, & in Italiam adſportanda, cui barbarus Princeps minime defuit. Deinde in Galliam abiit, Legatumque egit Ludovici Regis apud Venetos; tum Romam venit Leone Pontifice, cujus benevolentia jam pridem utebatur, atque ibi Græcas Litteras publice docuit, & nonagenarius fere ſenex, articulari morbo deformatus obiit ſepultus in Eccleſia S. Agathæ ſupra Suburram. Jovius in elogiis, Pappadopolus de Gymn. Patav.

Basilius Chalcondyles filius Demetrii, qui Leonem X. Græcis litteris inſtituerat, ab eodem Pontifice conſtitutus eſt Græcarum Litterarum Profeſſor in Gymnaſio Romano, uti teſtatur Jovius tum in vita Leonis X. tum in elogio Demetrii parentis, ubi loquens de hujus filiis, ait: *Baſilius mira ingenii indole, evocante Leone, ut in Gymnaſio Romano juventutem doceret, paucis menſibus ex lenta febre contabuit*. Deceſsit annum vigeſimum quartum agens, anno MDXIII. Memoratur a Valeriano in libro de infelicitate Litteratorum, & Petro Angelo Spera Lib. 4. de Nobil. Profeſs. Gram.

Federicus Mandosius publicus in Urbe Græcarum Litterarum Profeſſor nominatur a Baronio Tomo 4. Annalium, ad an. 362. pag. 67. ubi refert ſe ab eo accepiſſe epiſtolam Juliani ad Boſtrenos contra Titum Epiſcopum.

Nicolaus Majoranus Profeſſor Græci ſermonis ſub Paulo III. & Julio III. Rectore Camillo Peruſco Epiſcopo Alatrino. Is e Malpignano in Provincia Hydruntina, Græcæ, & Latinæ eruditionis ſcientiſsimus, electus eſt Epiſcopus Melphitenſis anno MDCCXLIII. ſed poſt annos tres ſe abdicavit, eique in Epiſcopatu ſucceſsit Majoranus de Majoranis fratris filius. Præfuerat Vaticanæ Bibliothecæ. De eo Ughellus in Ital. Sacra, Toppius in Bibl. Neap. & Spera lib. 3. de Nobil. Profeſ. Gram.

Joannes Baptista Gabbia Veronenſis, ſtipendio aureo-

aureorum centum, Græcam Linguam docuit ſub Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. uſque ad annum MDLXXXII. quo anno tercentos aureos percipiebat. Laudatur a Panvinio in libro de viris illuſtribus Veronenſibus, ac dicitur peritiſsimus Græci, Hebraici, Latinique ſermonis, in Mathematicis, ac Philoſophicis rebus verſatus, quodque Sophoclis Tragœdias verterit in Latinum, & Zoſimi Hiſtoriam in Italicum ſermonem, Pſalmoſque nonnullos ex Hebræo in Latinum.

Durandus Pilotius Medicinam, Græcamque Grammaticam profitebatur ſub Julio III. Pio IV. Pio V. uſque ad annum MDLXVII. tuncque aurei nonaginta ei ſolvebantur.

Julius Marcellus Profeſſor Hebraicæ Linguæ ſub Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. uſque ad annum Chriſti MDLXXVI. cum aureos quadraginta ſupra centum percipiebat.

Joannes Paulus Eustachius anno MDLXXXII. Hebraicæ Linguæ Profeſſor, ſtipendio ſexaginta aureorum, Gregorio XIII. Pontifice, Rectore Cæſare de Graſſis. Is idem ſub Clemente VIII. anno MDXCI. rurſus eamdem Cathedram aſcendit, ſtipendio aureorum centum, docuitque ad hujus ſæculi finem.

Petrus Justinus Romanus ſucceſſit Euſtachio in eadem Cathedra, anno MDCI. ſtipendio aureorum ſexaginta, Clemente VIII. Pontifice, Rectore Joanne Baptiſta Spada.

Lucas Valerius Romanus, anno MDCI. Græcam Grammaticam hora veſpertina, ſimulque feriatis diebus Matheſim docebat, ſtipendio aureorum centum, & quinquaginta.

Marcus Dobelus Niſibenſis Parthus, Profeſſor Arabicæ Linguæ, ſtipendio aureorum centum, anno Chriſti MDCV. Paulo V. Pontifice, Mutio Vellio Rectore, per annos quinque.

Benedictus Blancutius Romanus, Hebræum ſermonem docere cœpit, ſtipendio aureorum quinquaginta, anno mdcv. docuitque annis octo. Edidit *Inſtitutiones in Linguam Sanctam Hebraicam*. Mandoſius in Biblioth. Rom.

Victorius Scialac Maronita Arabicam, & Chaldaicam linguam profiteri cœpit anno mdcx. ſtipendio aureorum quinquaginta, quo munere adhuc fungebatur anno mdcxxxi. ſtipendio aureorum octoginta. Edidit: *Introductionem ad Grammaticam Arabicam*: *Interpretationem libri Job ex Chaldæo, ſive Syriaco*: *Tres Ægyptiorum Liturgias SS. Baſilii, Gregorii, & Cyrilli ex Arabico in Latinum*: *Pſalterium ex Arabico in Latinum*, vertitque alia plura ex Arabico in Latinum, uti teſtatur Allatius in libro de viris illuſtribus.

Octavius Caldorus Romanus, Profeſſor Hebraicæ linguæ, anno mdcxiv. ſtipendio aureorum quinquaginta per annos octo.

Fabius Olivadasius Catacenſis, Magiſter Græci ſermonis ab anno mdcxxii. per annos quatuor, ſtipendio aureorum quinquaginta. Creatus eſt Epiſcopus Lavellenſis, anno mdcxxvi. tum anno ſequenti ad Bovenſem Eccleſiam, & poſt annos novemdecim ad Catacenſem ſedem translatus, obiitque anno mdclvi. Ughellus in Ep. Catac.

Joannes Baptista Sabbatinus Romanus, Profeſſor Hebræi ſermonis anno mdcxxii. ſtipendio aureorum quinquaginta per annos triginta.

Paganinus Gaudentius Peſclavienſis in Rhætia, Græcam Linguam docuit in Romano Gymnaſio anno mdcxxix. Urbano VIII. Pontifice, Rectore Dominico Cecchino, ſtipendio aureorum ſexaginta. E Reformatorum caſtris tranſierat ad Romanam Eccleſiam, atque Græcas Litteras Romæ primum, tum Piſis docuit, & apud Magnum Etruriæ Ducem in ſummo honore fuit, te-

teſte Leone Francuccio deBezzolis in epiſtola illius operi præfixa. Obiit anno MDCXLIX. laudatur in Dictionario Morerii, & a Bruchero in Hiſt. Philoſ. to. 2. Scripſit librum *de Philoſophia Romanorum*, in quo, non ſine dictionis ornatu, de fatis Philoſophiæ, ejuſque initio, & progreſſu, ab incunabulis Reipublicæ uſque ad tempora Boethii ediſſerit, prodiitque Piſis anno MDCXLIII. qui liber cum rarius occurreret, meruit, ut non tantum recuderetur, ſed & a viris doctis paſſim laudaretur. Scripſit etiam: *De moribus ſæculi Juſtiniani, & feminarum ſucceſſione*: *De moribus Chriſtianorum ante tempora Conſtantini*: *De candore politico in Tacitum*: *De evulgatis Romani Imperii arcanis*: *De prodigiorum ſignificatione*: *De dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis comparatione*: *Expoſitionum Juridicarum libros duos*: *De dogmatibus, & ritibus veteris Eccleſiæ*: *Obſervationes*: *Velitationes adverſus Danielem Chamierum*: *De Pythagorea animarum tranſmigratione*: *De Ariſtoteleo veterum contemptu*: *De Juliani Imperatoris Philoſophia*: *De Aperipato Julii Cæſaris Scaligeri*: *De errore Sectariorum*: & alia plura.

MATHÆUS MILETUS Anconitanus, Profeſſor Græcarum Litterarum anno MDCXXX. ſtipendio aureorum quinquaginta.

CANACHIUS ROSSIUS e Neapoli de Romania, eodem ſtipendio, ſequenti anno Græcas Litteras profitebatur, uſque ad annum MDCLIV. cum aureos centum percipiebat.

ABRAHAM ECHELLENSIS Maronita de Monte Libano, ſtipendio aureorum ſexaginta profiteri cœpit Arabicam, Chaldæamque Grammaticam, anno MDCXXXVI. perque annos fere decem id egit. Sed anno MDCLIII. Syriacam Linguam docuit, ſtipendio aureorum centum, per annos decem. Plurima ab hoc viro doctiſſimo edita ſunt, nempe: *Inſtitutio Linguæ Syriacæ, ſive Chaldaicæ*: *Eutychius vindicatus contra Joannem Seldenum, &*

 cen-

cenſura in Hiſtoriam Orientalem Joannis Henrici Hottingeri: Concordia nationum Chriſtianarum in Fidei Catholicæ dogmatibus: De origine nominis Papæ: Chronicon Orientale latinitate donatum: Semita ſapientiæ ſive adſcientias comparandas methodus ex Arabico in Latinum verſa, & notis illuſtrata: Verſio Latina Apollonii, & Archimedis: Verſio Latina Habdarrhahmani: Latina interpretatio Canonum Nicenorum ex verſione Arabica, & notæ: Epiſtola ad Joannem Morinum: Epiſtolæ tres ad Joannem Morinum: Epiſtola ad Bartholdum Nibuſium de communione ſub ſpecie unica: Notæ in Hebedieſu Catalogum librorum Chaldæorum. Egit quoque Ecchellenſis in Univerſitate Pariſienſi Profeſſorem Linguarum Syriacæ, & Arabicæ; ibique ſuam operam ontulit magnæ S. Scripturæ editioni, conductam ſtipendio aureorum ſexcentorum. Romam rediit anno Chriſti MDCLII. a Sacra Congregatione de Propaganda Fide accerſitus, ut Sacrarum Scripturarum Verſioni in Arabicam Linguam incumberet. Eumdem Ferdinandus II. Magnus Dux Etruriæ juſſit Apollonii libros ex Arabico idiomate in Latinum transferre. Obiit in Urbe an. Chriſti MDCLXIV. De eo fuſe Bayle, & Morerius in Dictionariis poſtremæ editionis. Laudatur a Morino in Exercit. Bibl. & Simonio in Hiſt. Crit. Novi Teſt.

Demetrius Falereus Conſtantinopolitanus, anno MDCLXIV. Græcis Litteris edocendis incumbebat ſtipendio aureorum quinquaginta, & poſt aliquot annos docuit ſimul Philoſophiam uſque ad annum MDCLXII. Edidit Græci ſermonis Grammaticam, Dictionariumque, & de Philoſophia, deque Anima libros.

Philippus Guadagnolus e Clericis Regularibus Minoribus e Magliano in Aprutiis, Profeſſor clariſſimus Arabicæ, & Chaldææ Linguæ ab anno MDCXLV. per annos decem, ſtipendio aureorum ſexaginta. Edidit *Breves Arabicæ Linguæ Inſtitutiones: Conſiderationes adverſus*

verſus Mahometanos: Apologiam pro Chriſtiana Religione Arabice, & in eamdem Linguam Vetus, ac Novum Teſtamentum vertit. Obiit anno MDCLVI. ſeptuagenarius. Magnis laudibus celebratur a Toppio in Bibl. Neapol. a Mutio Phæbonio in Hiſtoria Marſorum, & a Corſignano de viris illuſtribus Marſorum.

JOANNES BAPTISTA JONA Galilæus, Profeſſor Hebraicarum Litterarum ab anno MDCLII. ſtipendio ſexaginta aureorum per annos duodecim. Chriſtianas Inſtitutiones Bellarmini, & Quatuor Evangelia Hebraico ſermone edidit, & Acta Apoſtolorum. Tum etiam edidit: *Bibliotheca Ebraica: Dizzionario de vocaboli Rabbinici.*

LUDOVICUS MARACCIUS Lucenſis, Clericus Regularis Congregationis Matris Dei, Arabum Grammaticam tradere cœpit in locum Philippi Guadagnoli, atque uſque ad hujus ſæculi finem profeſſus eſt. Ejus ſtipendium anno MDCLXXXIX. conficiebat aureos octoginta ſupra centum. Diu habuit Coadjutorem Pompeum Balbanium ex eodem Ordine, tum ſucceſſorem. Fuit Examinator Romani Cleri, Conſultor Sacræ Congregationis Indicis, atque Confeſſarius Innocentii XI. Edidit tomos quatuor ad probandam Mahumetanæ ſectæ falſitatem, & Chriſtianæ Religionis veritatem, cum hoc titulo: *Prodromus de refutatione Alcorani*. Tum etiam Alcorani Textum ex Arabico vertit, addiditque Maumedis vitam. Edidit etiam *Onomaſticon Urbium, & locorum Scripturæ: Diſcorſi fatti con Rabbini di Roma della venuta del Meſſia: Memorie di S. M. in Portico di Campitelli.*

SIMON PORTIUS Romanus Profeſſor Græci ſermonis ab anno MDCLXIII. per annos viginti, ſtipendio ſexaginta aureorum. Edidit *Dictionarium Latinum, Greco-barbarum, & litterale*. Diverſus a Simone Portio Neapolitano, celebri Philoſopho ſæculi decimi ſexti, de quo Toppius in Bibliotheca.

FAUSTUS NAIRONUS Baneſius, Maronita, Profeſſor Sy-

Syriaci idiomatis, ſtipendio ſexaginta aureorum ab anno MDCLXIII. annis ſupra quadraginta profeſſus eſt. Ejus ſtipendium anno MDCC. ſeptuaginta, & centum aureis conſtabat. Editi ab eo libri: *Evoplia Fidei Catholicæ Romanæ*: *Diſſertatio de origine*, *nomine*, *ac religione Maronitarum*. Memoratur a Dupinio in Bibliot. Script. Eccleſ. & in Diction. Morerii.

Sigismundus Jona Romanus, Litteras docuit Hebraicas ab anno MDCLXIV. per annos octo ſtipendio octoginta aureorum.

Larentius Maurocenus Venetus, ſucceſſit Jonæ, profeſſuſque eſt uſque ad annum fere MDCXCV. cum ejus ſtipendium ad aureos centum pervenerat.

Bonaventura Pace de Ruſciano Montis Feretrani, Ordinis Minorum Conventualium, Græcam Grammaticam tradidit poſt Simonem Portium, uſque ad annum MDCC. cum aurei fere centum ei perſolvebantur.

Andreas Scion Gallus ab anno MDCXCV. Græcas litteras aliquot annis profeſſus eſt, ſtipendio aureorum nonaginta.

Pompeus Balbanius Lucenſis, Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, ab anno MDCLXXV. Coadjutorem egerat Ludovici Maracci in Arabicis litteris tradendis, cum anno MDCC. ei ſucceſſit, ſtipendio aureorum ſexaginta.

Bartholomæus Gaius Romanus, Profeſſor Hebraicæ Grammaticæ ab anno MDCXCV. per annos quadraginta.

Franciscus de Rubeis Romanus, Græcam Linguam edocuit ab hujus ſæculi initio per annos ſupra 20.

Dionysius Echellensis Romanus, Profeſſor Syriaci ſermonis ab anno MDCCXV. ſtipendio aureorum centum uſque ad annum MDCCXXXVII.

Andreas Scander Cyprus Profeſſor Arabicæ Linguæ ab anno MDCCXVII. per annos fere triginta duos.

Joannes Bouget Salmurienſis, Græcæ Linguæ præcepta

cepta

Digitized by Google

cepta tradere cœpit anno MDCCXXIV. qui in Collegio Urbano de Propaganda Fide Hebraicam Linguam edocebat. Profeſſor optime meritus obtinuit vacationem muneris, inter Aulicos Pontificios adſcitus, quos Cappellanos ſecretos vocant. Edidit anno MDCCXVII. *Grammaticæ Hebreæ Rudimenta ad uſum Collegii Urbani de Propaganda Fide concinnata*: Et anno MDCCXXXVII. *Lexicon Hebraicum & Chaldaico Biblicum ordine alphabetico ad uſum Collegii Urbani de Propaganda Fide in tres partes diviſum*.

DOMINICUS THEOLUS Romanus, Profeſſor Hebraicæ Linguæ ab anno MDCCXXXIV. ſimulque rem omnem ſacram, civilemque Hebræorum expendit.

JOSEPH ALOYSIUS ASSEMAN Syrus, Profeſſor Linguæ Syriacæ ab anno MDCCXXXVII. qui ſimul agit de ſacris rebus Chriſtianorum Orientalium. Edidit: *Codicem Liturgicum Univerſæ Eccleſiæ in XV. libros diſtributum, in quo continentur libri Rituales, Miſſales, Pontificales, Officia, Dypticha Eccleſiarum Occidentis, & Orientis*.

JOANNES BASTISTA GAUTIER Romanus ab anno Domini MDCCXL. tradendis Græcis litteris operam navat ſuam, quo in munere Coadjutorem egerat Joannis Bouget Andegavenſis.

THOMAS EVA Aleppenſis Profeſſor Arabicæ linguæ MDCCXLIX. ſimulque Mahumeticæ ſectæ deliramenta, Alcoranique mendacia exhibet, exuſlatque.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

PROFESSORES LEGUM.

OLDRADUS DE PONTE Laudenſis, diſcipulus Dini, docuit primum Bononiæ Jus Civile, deinde Patavii, circa annum MCCCX. tanta gloria, ut pater legum diceretur. Romam deinde ad docendum conductus, inter Advocatos Conſiſtoriales cooptatus eſt. Inde Avenionem petiit, atque Joanni XXII. charus fuit, ut ejus opera in arduis Eccleſiæ negotiis uteretur. Sed accuſatus, & reprehenſus a Pontifice, quod Clientes prodidiſſet, concepto ex mœrore morbo obiit circa annum MCCCXXXV. Scripſit Commentarios in Jus Civile, & alia, quæ perierunt. Extat doctiſſimum Reſponſorum Volumen, e quo non pauca ſibi ſumpſit Joannes Andreas. De eo Pancirolus in libro de Clar. Leg. Interpret. Pappadopoli de Gymn. Patav. Lib. 3. Sect. 1. Cap. 2. & Cartharius in Syllabo Advoc. Conſiſt.

ANGELUS UBALDUS Peruſinus, Baldi frater, annorum viginti adoleſcens in foro patrocinari Clientibus cœperat. Docuit primum in patria, tum Romæ, ut ipſe indicat in Conſil. 300. ad finem, deinde Patavii, Florentiæ, ubi, eodem anno MCD. quo frater ejus, deceſſit. Edidit *Commentaria in Jus Civile*: *Volumen Reſponſorum*: *Quæſtiones*: *Tractatum de Sequeſtro*. De eo Pancirolus, & Pappadopoli locis citatis.

PETRUS UBALDUS Peruſinus, Angeli, & Baldi frater claruit in Urbe Advocatus Conſiſtorialis, & publicus Juris Canonici Profeſſor, uti teſtatur Cæſar Criſpoltus in Hiſtoria Peruſiæ. Obiit in patria ſua ſexagenarius. Edidit, teſte Fichardo in ejus Elogio: *De Beneficiorum per-*

Digitized by Google

permutatione: *De Canonica Epiſcopali*, *&* *Parochiali*: *De mutatione ſtatus Eccleſiarum*: *De mutatione ſtatus perſonarum Eccleſiæ*: *De Collectis*: *De muneribus*:

Ivo Coppolus Peruſinus, ſub Eugenio IV. anno Salutis MCDXXXIII. Advocatus Conſiſtorialis, & publicus Juris Civilis Profeſſor, uti teſtatur Criſpoltus Hiſt. Peruſ. Lib. 3. Cap. 2. his verbis. *Ivone Coppoli meritò*, *che il Sommo Pontefice Eugenio Quarto con ricca mercede lo chiamaſſe alla lettura della Legge Civile nello Studio di Roma*, *e dall'iſteſſo foſſe creato Avocato Conſiſtoriale nel* 1433. *Laſciò nella ſua morte le Letture in ſtampa ſopra la prima del Digeſto vecchio*, *e riferente il Volfango alcuni Trattati*, *le Letture ſopra tutto il Digeſto nuovo*, *&* *ſopra il Codice*. De eo Cartharius in Syllabo, & Jacobillus de Scriptoribus Umbriæ.

Joannes a Turrecremata Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, vir doctiſſimus, per annos XXV. Decretum Gratiani publice in Urbe interpretatus eſt, uti ſcribit Pancirolus Lib. 3. Cap. 36. Interſuit Conciliis Conſtantienſi, & Baſilienſi, atque ob ſummam doctrinam, pietatemque ab Eugenio IV. renunciatus eſt Cardinalis. Deceſſit anno MCDLXVIII. octogenarius, jacetque in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam, quam ipſe refecerat. Ejus extant quinque volumina *Commentariorum in Decretum*: *Summa de Eccleſia*, *&* *ejus auctoritate*: *De De Pontificis Maximi*, *Conciliique auctoritate*: *Sermones*: *De aqua benedicta*. & alia, quæ recenſet Jacobus Echard de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum.

Ludovicus Pontanus etſi Spoleti natus eſſet, ſe tamen Romanum vocat in prologo ad Codicem. Peruſiæ Joannem Petruccium, & Patavii Joannem Imolenſem audivit, magnumque nomen ſibi in Juriſprudentia comparavit. Docuit Senis primum, tum in Urbe, ubi ab Eugenio IV. inter Protonotarios, Advocatoſque Conſiſtoriales adſcitus eſt. Eumdem Alphonſus Rex Neapo-

Google

litanorum Legatum miſit ad Concilium Baſileenſe, una cum Nicolao de Tudeſchis, quocum graviter decertavit, ut Eugenii partes tueretur. Ab Æenea Sylvio Lib. I. de Conc. Baſil. hoc elogio ornatur: *Erat memor omnium, quæ ipſe unquam aut legiſſet, aut audiſſet, nec ut cæteri Juriſconſulti principia Legum in diſputando allegabat, ſed quaſi Codicem legeret, ſic Textum memoriter recitabat. Vir non Roma tantum, ſed Cælo dignus: & cui nemo mortalium comparandus videtur; non admirationi, ſed ſtupori futurus omnibus, ſi, ut æquum videbatur, ætatis tempora duplicaſſet*. Nam ex morbo peſtifero, obiit annorum triginta, MCDXXXIX. Edidit *Commetaria in Digeſtum, & Codicem: Singularium Volumen: Repetitiones: Reſponſa*. De eo Pappadopoli Libro I. Cap. 3. Pancirolus, Mantua, Cartharius, Mandoſius in Bibl. Rom.

Franciscus Brevius Venetus, Jus docuit Romæ, & Patavii, anno MCDLXXVII. & ab Alexandro VI. Judex Romanæ Rotæ, tum anno MCDXCVIII. Epiſcopus Cenetenſis conſtitutus eſt. Obiit anno MDXIV. Edidit Volumen *Paſtoralium Concionum*: & Volumen *Moralium Quæſtionum ex Jure Canonico* in quibus de Sacramentis, de Officiis Eccleſiaſticis, ac re Beneficiaria diſputavit. De eo Ughellus, Pappadopoli, Pancirolus Libro III. Cap. LXIV.

Nicolaus Bufalinus Tiphernas Advocatus Conſiſtorialis ſub Innocentio VIII. & publicus Legum Profeſſor, uti colligitur ex Alphonſo Soto in Regulam XIV. Innocentii VIII. qui Nicolaum ſummis laudibus extollit. De eo Cartharius, & Jacobillus in Bibliotheca Umbriæ.

Alphonsus Soto Hiſpanus, Jura Romæ profeſſus eſt, ut ipſemet teſtatur ſcribens in Regulam XIV. Innocentii VIII. additque, *quia non fui ſolutus de prima paga dimiſi Lecturam*. Et in Regulam *de Triennali* aſſerit ſe annis quinque Romæ Jura docuiſſe.

Ma-

Marius Salomonius de Albertischis Romanus, Advocatus Conſiſtorialis, & Legum publicus Profeſſor, initio ſæculi decimi ſexti. De eo ita ſcribit Joannes Fichardus: *Marius Salomon Albertiſchus Eques Romanus per eadem tempora viguit, Auditor fuit Baptiſtæ Caccialupi. Jus Civile non tantum docuit, verum etiam adminiſtravit. Egit etiam aliquamdiu Præſidem Campaniæ, ut ipſe quodam in loco commemorat. Inde Romam reverſus ad Juris profeſſionem eſt, ubi auditores multos magnamque æſtimationem apud omnes habuit. Inter cetera autem in gratiam Julii Medices Cardinalis, & Eccleſiæ Romanæ Procancellarii inſtituit Diſputationem ſupra Leg.* Gallus in Digeſt. Tit. de liber. & poſthum. *quam publice in magna celebritate in XXII. Cardinalium conventu, frequenti Epiſcoporum, Jureconſultorum, & omnis generis doctorum hominum concurſu, magna cum nominis ſui fama publice exegit, poſteaque in juſtos Commentarios redactam eidem Julio Medici inſcripſit, & edidit*. Et Valentinus Forſterus in Hiſt. Leg. de eodem ita loquitur: *Marius Salomonius Eques Romanus adminiſtravit initio Campaniam, deinde Romam reverſus, Jus non ſine ſumma ingenii, eruditioniſque laude profiteri cœpit: inde in Collegium Advocatorum Conſiſtorii Pontificalis adſcitus fuit: tandem ſenio confectus ad otium ſe contulit, & inſtituto ad Pandectas Commentario, vix primum librum, morte præventus, abſolvit*. Obiiſſe fertur ſub Clemente VII. Edidit: *Commentarios in librum Pandectarum: De juſtitia, & jure: De bono, & æquo: De voluntario, & involuntario: De Conſtitutionibus Principum*: & alia quædam. Pancirolus Lib. II. Cap. cxxxvi.

Zacharias Rhodiginus Profeſſor Jurium in Gymnaſio Romano, uti teſtatur Ludovicus Cælius Rhodiginus in Præfatione Libri vigeſimi variarum Lectionum, his verbis: *Ego vero Jureconſultorum ſcientiſſime toto fe-*

feror animo in tui nominis gloriam , ſi modo is ſum , qui tibi in maximo doctrinæ faſtigio diu jam conſtituto ad laudem aliquid poſſum adjicere . Quoniam dum in Romana profiteris Academia , tuarum virtutum ſplendorem ipſe univerſis abunde patefacis , veterum placita Sapientum in ſanciendis legibus promendo in lucem nitidiſſimam . Adeo ut obſcuritatis nubilo ampliſſime diſcuſſo, & ſqualore omni deterſo , in poteſtate omnium, qui te utuntur Doctore , quod mirum eſt , ſi quid aliud omnino comperiantur .

Joannes Staphileus e Sebenico in Dalmatia, Romæ profeſſus eſt Jura , ut ipſemet indicat in epiſtola nuncupatoria Oliverio Cardinali Caraſæ *Conſiliorum Dominici Geminiani* Auditoris Cameræ Apoſtolicæ , quæ ipſe evulgavit , ac Summariis auxit . Anno MDXIV. cooptatus eſt inter Rotæ Romanæ Auditores , tum patriæ ſuæ Epiſcopus renunciatus , præfuit ei Eccleſiæ uſque ad anannum MDXXVIII. Edidit : *Tractatum de Gratiis expectativis & Litteris Apoſtolicis Gratiæ , & Juſtitiæ* : *Tractatum ſuper Commiſſionibus & Litteris Juſtitiæ* .

Jacobus de Nigris Bononienſis , teſte Joanne Paſquali Alidoſio in libro de Bononienſibus Juriſconſultis , Laurea donatus eſt in patria anno MDXVI. tum Romæ Advocatus Conſiſtorialis , & publicus Jurium Profeſſor claruit , deinde Romanæ Rotæ Auditor obiit ſæviente lue, anno MDXXVII. Scripſit *Repetitiones* , quæ inter impreſſa Repetentium Volumina leguntur . De eo Cartharius in Syllabo .

Franciscus Sfondratus Cremonenſis , Gregorii Papæ XIV. pater , in variis Italiæ Gymnaſiis , Romano præſertim , & Patavino docuiſſe Jura dicitur ab Angelo Portinario Lib. VII. Cap. IV. *della felicità di Padova* . Is Bononiæ audierat Jaſonem , & Ruinum , tum Piſis , Romæ , Patavii profeſſus Jura , abiit ad Allobrogum Ducem , cui fuit a Conſilio , inter Senatores adſcitus . Eodem

dem honore functus eſt Mediolani, & a Franciſco II. Duce variis in legationibus adhibitus. Eumdem Carolus V. juſſit componendis Senenſium diſſidiis præeſſe. Mortua uxore Anna Viceconite, a Paulo III. mittitur Legatus in Germaniam, tum Eccleſiæ Sarnenſis deinde Amalphitanæ Epiſcopus eligitur, mox Nuncius Pontificius ad Carolum V. Imperatorem, denique Cardinalis renunciatur, aliiſque Sacerdotiis donatur. Vixit uſque ad annum MDL. De quo Ciacconius, & Pappadopoli Lib. 3. Sect. 1. Cap. 20.

JOANNES ZANNETINUS Bononienſis, Profeſſor Legum in Romano Gymnaſio memoratur a Pancirolo in libro de Claris Legum Iuterpretibus, ubi loquens de Joanne Zannettino ſeniore, addit: *Ejus nominis nepos primum Bononiæ, mox in Germania, deinde Senis, ac poſtremo Romæ, magna cum laude docuit.*

BALLIONUS MONTEVIBIANUS Peruſinus, Profeſſor Jurium in Gymnaſio Romano, & Advocatus Conſiſtorialis, de quo videndi Oldoinus in Athenæo Peruſino, & Cartharius in Syllabo Advocatorum Conſiſtorialium.

ANGELUS CESIUS Romanus Jura in Urbe publice profeſſus, atque inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitus eſt, de quo Cartharius in Syllabo.

ÆMILIUS FERRETTUS Ravennæ oriundus, natus in Oppido Caſtri Franci in Etruria anno MCDLXXIX. Piſis didicit Juris ſcientiam ſub Camillo Petruccio, & Joanne Croto. Deinde Senenſe Gymnaſium adivit. Tum Romam profectus Cardinali Salviato a ſecretis fuit. Ibi in ampliſſimo Cardinalium, & Antiſtitum cœtu, annum agens decimum nonum diſputavit de Jure magna laude. Oblatum profitendi munus aggreſſus, Titulum *de Rebus Creditis* tanta fama eſt interpretatus, ut Leo X. eum ſibi a ſecretis adſciverit. Eo munere aliquot annis functus, illud ſponte reliquit, tum in patriam, deinde Tridinum Montisferrati Oppidum ſe contulit, ubi uxorem du-

duxit. Ejus regionis Marchio, qui cum Lautreco præerat Gallorum copiis, in ea expeditione ſecum Æmilium duxit. Sed pulſis Gallis, Æmilium Hiſpani capiunt. Mox dimiſſus, & in Galliam profectus docuit Valentiæ Jus Civile, tum a Franciſco Rege inter Senatores Pariſienſes adſcriptus, variiſque in Legationibus adhibitus. Poſt varia fata, & itinera, Avenione docuit Jus Civile DL. aureorum ſalario, tum DCC. demum M. ibique ſupremum obiit anno MDLII. Plura ſcripſit in Jus Civile, & librum *de Signo & Ratione* inſcriptum, & alterum nuncupatum *Baldi Everriculum*, in quo ejus errores congerit: Notas in Inſtitutiones, Opinionum Volumen, Reſponſa. Fuſe de eo Pancirolus Lib. 2. Cap. 167.

Fabius Accorambonus Eugubinus, Hieronymi celeberrimi Medici filius, natus anno MDII. adoleſcens viginti annorum docere extra ordinem cœpit in Patavino Gymnaſio, ubi & Cathedram Inſtitutionum obtinuit. Sed cum ædes ejus Romæ conflagraſſent, eo ſe contulit, ibique triennio Jus Pontificium profeſſus eſt. Inde Patavium rediit ad Cathedram Juris Civilis. Sed a Paulo III. Romam accerſitus, ſedem habuit inter Advocatos Conſiſtoriales, deinde inter Romanæ Rotæ Auditores. Ejus opera Paulus IV. in magnis negotiis utebatur. Deceſſit anno MDLIX. jacetque in Eccleſia S. Auguſtini. Extant multæ ejus *Deciſiones in Collectaneis*: & *Tractatus de Compenſationibus*. Laudatur a Pancirolo, & Pappadopoli Lib. 3. Sect. 1. Cap. 22.

Hieronymus Butigella Papienſis, Juriſconſultus præclariſſimus, primo docuit in patria, tantaque valuit memoria, ut triduo publice, univerſa adſtante Academia, & magno populi conventu recitaverit, quæcumque expetebant e duodecimo Digeſtorum libro, e Codice, ſexto libro Decretalium, Inſtitutionibus Juris, Hiſtoria Plinii, & ex Carminibus Virgilii, ac Ovidii. Inde ad Patavinas Cathedras tranſiit, docuitque cum Joanne

ne Campegio uſque ad annum MDVIII. cum adhæſit Ludovico Gallorum Regi, profectuſque in Galliam, adſcitus eſt inter Senatores Gratianopolitanos, ubi & Jura publice docuit. Sed cum Rex indixiſſet Piſas Concilium contra Julium II. Pontificem, diris damnatus eſt, quod ipſe, Deciuſque auctores dicerentur hujus conſilii. Nec Julii Pontificis litteris adduci potuit, ut ad eum accederet. At Leone ſedente, Eccleſiæ conciliatus, Romam ad docendum venit, ibique paulo poſt obiit anno MDXV. tumulatus in Eccleſia S. Mariæ ad Minervam, elatuſque Auditorum humeris, adſtante univerſa Academia, cujus nomine hæc inſcriptio monumento poſita legitur: *Hieronymo Butigellæ Papienſi Divini, humanique Juris Interpreti Claris. Cujus virtus illuſtris poſt varios adverſæ fortunæ caſus a Leone X. ex ſacro Patrum Senatu recognita eſt, quemve meriti honoris necdum ſedepotitum, ut terris indignum, medio ætatis ſuæ, ac Romanæ ſpei flore cœlum rapuit, Romana Academia publico luctu, & fratres lapide iſthac benemerenti ſacrum dicarunt. Anno Domini* MDXV. *Vixit annos* XLV.

Hic gemini Butigella jacet præſtantia Juris.
Cui dedit antiquum docta Papia genus.

De eo Pancirolus Lib. 2. Cap. 145. Mantua de viris illuſtr. Pappadopoli de Gymn. Patav. Lib. 3. Sect. 1. Cap. 17.

ANTONIUS BURGOS Salmaticenſis, docuit Jura Salerni, Romæ, Patavii, Bononiæ, uti teſtatur Mantua in libro de viris illuſtribus. E Bononienſi Gymnaſio, ubi annis viginti profeſſus erat, eum Leo X. Romam accerſivit, ac publice docere juſſit, ejuſque opera, & conſilio utebatur. Sub Adriano VI. & Clemente VII. fuit utriuſque Signaturæ Referendarius. Obiit Romæ annorum ſeptuaginta, anno MDXXV. Scripſit in *Titulum de Conſtitutionibus, & ſex ejus Capita: In Titulum de Reſcriptis, & quatuor ejus Capita: In Titulum de Indiciis,*

Digitized by Google

ciis, *& ſex ejus Capita*: *In Titulum de Emptione*, *& Venditione*, *& ſeptem ejus Capita*. De eo Pancirolus, Nicolaus Antonius in Bibl. Hiſp. Pappadopoli Libro 3. Cap. 17.

Jo: FRANCISCUS OZERIUS Tolentinas, legit in Gymnaſiis Patavino, & Romano pluribus annis, & in libros Inſtitutionum præclariſſima ſcripſit Commentaria, floruitque circa annum MDXXIV. uti teſtatur Mantua in libro de viris illuſtribus. Obiit in patria.

FRANCISCUS TOTILUS Bononienſis, Profeſſor Legum in Urbe, ac in patria circa annum MDXXXI. ubi & Jus dixit, memoratur ab Alidoſio in libro de Juriſconſultis Bononienſibus. Qui & inſcriptionem exhibet ilius tumulo in Eccleſia S. M. Gratiarum Bononiæ inſculptam, ubi Totilus dicitur Doctor celeberrimus, *qui Romæ Bononiæque diu magna cum laude*, *cunctorumque admiratione Leges publice docuit*. Obiit MDLVI. major quinquagenario.

CLEMENS LEONIUS Bononienſis, qui Romæ, & in patria circa annum MDLII. profeſſus eſt Jura, memoratur ab Alidoſio in libro de Juriſc. Bonon. ac dicitur obiiſſe anno MDLXV.

PETRUS PAULUS PARISIUS Conſentinus, magni nominis Juriſconſultus, primo docuit Jus Civile in Scholis Urbis, deinde Patavii anno MDXXI. tum Bononiæ maguo ſtipendio, & plauſu, uti ſcribit Pancirolus Libro 2. Cap. 148. de Claris Legum Interpretibus, & Pappadopoli teſtis eſt, illi in Patavino Gymnaſio octingentos florenos, tum mille aureos ſolutos fuiſſe, a Bononienſibus vero majori ſtipendio illius operam conductam eſſe. Romam rediens, Auditoris Cameræ Apoſtolicæ munere functus eſt, eumdemque Paulus III. anno MDXXXIX. Cardinalem renunciavit, & Epiſcopum Nuſcanum, ac imminere juſſit ſignandis gratiæ libellis, Legatum quoque Præſidemque in Concilio Tridentino nominavit. Obiit an-

anno MDXLV. natus annis LXXII. jacetque in Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum. Edidit *Conſiliorum volumina quatuor*, *& Commentaria in ſecundum librum Decretalium*, *& Lectiones in libros Juris Civilis*. Eum laudant Pancirolus, Doviatius, Pappadopoli, Toppius, Ughellius, Ciacconius, Barrius Lib. 2. Cap. 7. de Antiq. Calabriæ, aliique.

MARCUS ANTONIUS Cuccus Protonarius Apoſtolicus, origine Brixienſis, patria Ticinenſis, poſtquam in Gymnaſio Ticinenſi Jus Pontificium eſſet interpretatus, idem munus aggreſſus eſt in Romano Gymnaſio. Qui cum ſumma polleret Juris peritia a Pio IV. & Pio V. inter viros doctiſſimos adſcitus eſt, qui Gratiani Decretum nævis omnibus expurgarent. Sed ex ægra valetudine in patriam redire coactus, ubi Vicarium egit Hippoliti de Rubeis Epiſcopi Ticinenſis, & ubi e vivis exceſſit. Scripſit *Tractatum de Legitima*: *Tractatum de moratoria Præſcript. de mentiente circa Poſſeſs. Inſtitutionum Juris libros quatuor*: *Inſtitutiones Pandectarum*: *Juris Canonici Pentateuchum*. Eum laudant Ghilinusin Theatro Litteratorum, Pappadopoli de Gymnaſio Patavino, Doviatius in Prænotionibus Canonicis.

SILVESTER POLITIANUS annis pluribus docuit Jus Canonicum in Gymnaſio, Pontifice Paulo III. ejuſque ſtipendium excedebat florenos quadringentos ſimul cum Achille Maffeo primum, deinde Joanne Baptiſta Polano.

ACHILLES MAFFEUS Romanus, Profeſſor Juris Canonici ſub Paulo III. anno MDXXXIX. Advocatus Conſiſtorialis, & Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, de quo Cartharius in Syllabo.

GREGORIUS FORMIGINUS Profeſſor extra ordinem, eſt electus Epiſcopus Strungulenſis anno MDLXII. obiitque poſt annos ſeptem.

RESTAURUS CASTALDUS, & BERNARDUS DE BONE Profeſſo-

feſſores Ordinarii Juris Civilis, anno MDXXXIX. Pontifice Paulo III. Rectore Camillo Peruſco Epiſcopo Alatrino. Reſtaurus Caſtaldus Peruſinus docuit etiam in patria, & Bononiæ. Edidit juſſu Caroli V. *Tractatum de Imperatore*. Scripſit in nonnullos Titulos Inſtitutionum, uti Jacobillus in Bibliotheca Umbriæ teſtatur, & Oldoinus in Athenæo Peruſino.

Damianus Politianus, & Hieronymus de Spoleto eodem anno Profeſſores erant Inſtitutionum Juris, eoque in munere adhuc verſabatur anno MDLIX. Horum ille profitebatur hora matutina ſtipendio florenorum tercentum, alteri horæ veſpertinæ Profeſſori floreni ducenti ſolvebantur.

Fubentius Catelini Veliternus eodem anno profitebatur. Laudatur a Teulo in *Teatro Hiſtorico di Velletri*, *inſigne Città*, *e Capo de Volſi*, ac dicitur docuiſſe Piſis, & Patavii, & apud Cardinales Riarium, Soderinum, & Piſanum, Auditorem egiſſe.

Benedictus Lomellinus Januenſis anno MDXLII. Jus Civile in Gymnaſio profitebatur juvenis annorum viginti quinque. Ob eximiam juris ſcientiam a Paulo IV. adſcriptus eſt Clericis Cameræ Apoſtolicæ, & a Pio V. Collegio Cardinalium anno MDLXV. Sub Gregorio XIII. functus eſt Legatione Provinciæ Maritimæ, Latiique. Præfuit Eccleſiis Ananignæ, Albintimillienſi, Lunenſi, ac Sarzanenſi. Obiit Romæ anno MDLXXIX. ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo, jacetque in Eccleſia S. Gregorii. De eo Ciacconius, Ughellius, Folietta de Clar. Ligur.

Petrus Æmilius Cæpius, & Joannes Petrus Santana Profeſſores Juris Civilis anno MDXLII. ſub Pontifice Paulo III. & Rectore Camillo Peruſco.

Lactantius de Imola anno eodem Inſtitutiones Juris docuit ſimul cum Damiano Politiano, & Hieronyde Spoleto.

Joannes Polanus Profeſſor Juris Canonici ſimul cum

cum Silveſtro Politiano ab anno MDXLVIII. uſque ad annum MDLII.

PAULUS PICTORIUS Jus Civile profitebatur hora matutina ſimul cum Nicolao Peruſco annis ultimis Pontificatus Pauli III.

NICOLAUS PERUSCUS Romanus profitebatur Jus Civile ſtipendio aureorum centum ab anno MDXLVIII. eumdemque Pius IV. anno MDLV. conſtituit Epiſcopum Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ, quam Eccleſiam annis ſeptemdecim adminiſtravit.

ANTONIUS VELLIUS Profeſſor Juris Civilis ab anno MDXLVIII. ſtipendio ſtorenorum quadringentorum. Tum ſub Julio III. Pio IV. & Pio V. Jus Canonicum Advocatus Conſiſtorialis edocebat ſtipendio aureorum centum, & quinquaginta, uſque ad annum MDLXVII. de quo Cartharius in Syllabo Advoc. Conſiſt.

MARCUS ANTONIUS MAFFEUS Achillis frater, Jus Civile in Gymnaſio profitebatur extremis annis Pontificis Pauli III. ſtipendio aureorum centum. Fuit Advocatus Conſiſtorialis, Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, & Lateranenſis, Vicarius Pontificis in Urbe, tum fratri ſuo Bernardino Cardinali in Archiepiſcopatu Teatino ſucceſſit. A Pio V. ablegatus eſt in Poloniam Nuncius Apoſtolicus, tum inter Cardinales adſcitus. Vixit annis quinquaginta & uno, obiitque anno MDLXXXIII. uti ex Ughellio, Ciacconio, & Carthario conſtat.

JOANNES BAPTISTA PAULIANUS Vicentinus, circa annum MDXLIX. docuit publice Jura, uti teſtatur Martinellus in libro *Roma ex Ethnica ſacra*, loquens de dedicatione Baſilicæ Lateranenſis, de qua Paulianum ſcripſiſſe librum affirmat. Memoratur a a Jcobo Marzari in hiſt. Vincentiæ.

HIERONYNUS PANDONUS, & JOANNES BAPTISTA FELLIUS extra ordinem profitebantur Jus Civile extremis annis Pontificatus Pauli III.

 NI-

Nicolaus Gallo, & Leonardus Zecca Profeſſores Juris Civilis annis mdxlviii. & ſequente.

Joannes Baptista Roscius Jus Canonicum interpretatus eſt, hora veſpertina, ſub Julio III. Summo Pontifice.

Bonsignorus Finettus Senenſis in patria Academia Lauream accepit, tum ſub Julio III. anno mdlii. docuit in Gymnaſio Romano Jus Civile. A Pio IV. anno mdlxv. electus eſt Advocatus Conſiſtorialis, deinde a Pio V. poſt duos annos adlectus eſt inter Auditores Romanæ Rotæ. Peruſiam, Umbriamque adminiſtravit, ac in conſtituendis Doctoribus geſſit vices Cardinalis Bonelli Camerarii. Obiit Romæ anno mdlxxii. De eo Ugurgerius de illuſtr. Senenſ. & Cartharius de Advoc. Conſiſt.

Angelus Romanus de Aretio Profeſſor Inſtitutionum ſimul cum Hieronymo Agapeto, ſub Julio III. Pontifice.

Hieronymus Agapetus Spoletanus Profeſſor Inſtitutionum ſub Paulo III. Julio III. Pio IV. & Pio V. iſque anno mdlxvii. aureos quinquaginta ſupra centum pecipiebat.

Hieronymus Benuglensis Senenſis Profeſſor Juris Civilis hora matutina ſtipendio aureorum centum&quinquaginta anno mdlxi.

Cæsar Costa Maceratenſis, alter Profeſſor Juris Civilis hora matutina, Pontifice Pio IV. ſtipendio aureorum biſcentum. Habuit Auditorem Cæſarem Baronium, ut ipſe teſtatur Annal. Tom. 10. Ejus opera uſi ſunt Pontifices Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. in emendando Gratiani Decreto. A Gregorio XIII. renunciatus eſt Archiepiſcopus Capuanus anno mdlxxii. & a Sixto V. Nuncius Apoſtolicus miſſus eſt ad Venetos. Juſſu Clementis VIII. incubuit edendo libro ſeptimo Decretalium. Capuanam Eccleſiam annis triginta ſapientiſſime ad-

adminiſtravit. Obiit annorum LXXIII. ejus monumento Card. Bellarminus ſucceſſor Epitaphium poſuit. Edidit *Variarum ambiguitatis Juris libros tres*. Plura de eo Ughellius in Archiep. Capuanis.

JACOBUS PORTIUS de Imola, docebat Jus Civile in Cathedra veſpertina, anno MDLXI. atque aureos quadringentos ſtipendii cauſa percipiebat. Docuerat etiam Patavii. Edidit librum *Concluſionum, atque receptarum Opinionum: Reſponſorum Juris Lib.* 4. Obiit anno Domini MDLXII. ſex annis major quadragenario.

HIERONYMUS PARISETTUS Rhegienſis clari nominis Juriſconſultus, anno MDLXI. Jus Canoninum hora matutina interpretabatur ſimul cum Antonio Vellio Advocato Conſiſtoriali, Profeſſore veſpertino, ejuſque ſtipendium aureos ducentos conficiebat. Sed poſt annos duos ei ſolvebantur aurei tercenti; tum aureos quingentos percepit. Docuit uſque ad annum MDLXXXVI. cum obtinuit vacationem muneris. A Pio V. & Gregorio XIII. inter eos adlectus, qui incumbebant emendando Gratiani Decreto, uti teſtantur Antonius Auguſtinus, Pithæus, & Doviatius. Infulas non ſemel oblatas recuſavit. Obiit anno MDC. jacetque in Eccleſia S. Alexii. Fuſe de eo Pancirolus.

SIGISMUNDUS ZANETTINUS Bononienſis, eximius Juriſconſultus, profeſſus eſt Jura in Gymnaſiis Bononienſi, Maceratenſi, Senenſi, ac Romano, atque inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitus. Tum a Gregorio XIII. anno MDLXXXIV. renunciatus primus Archiepiſcopus Firmanus, anniſque decem huic præfuit Eccleſiæ. De eo Cartharius, & Ughellius.

BENEDICTUS DE BONIS de Cortona Profeſſor Inſtitutionum ſub Pio IV. ſimul cum Hieronymo Agapeto ſtipendio aureorum centum.

LELIUS JORDANUS Romanus dicitur a Mandoſio, ſed Neapolitanus a Toppio, Leges Civiles interpretabatur an-

anno MDLXI. Pontifice Pio IV. nec ab eo munere ceſſaverat anno MDLXVII. Pontifice Pio V. tuncque ejus ſtipendium aureis ducentis conſtabat. Dende renunciatus eſt Epiſcopus Acernenſis, tum Archiepiſcopus Roſſanenſis, qua in dignitate obiit anno MDLXXXIII. Edidit *Tractatum de majoribus, rerumque capitalium Epiſcoporum cauſis ad Pontificem Maximum referendis: De Romanæ Sedis origine, atquè auctoritate*. Hujus mentionem faciunt Ughellius in Italia Sacra, Mandoſius in Bibliotheca Romana, & Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia.

Franciscus Confalonerius Mediolanenſis Profeſſor Juris Civilis anno MDLXIII. ſub Pio V. ſtipendio aureorum centum, & quinquaginta. Memoratur ab Alciato celebri Juriſconſulto in epiſtola ad Lectorem præfixa ejus Conſiliis.

Cinus Campanus Auximanus Jus Civile explanabat anno MDLXII. ſtipendio aureorum biſcentum, & anno MDLXXXVII. quingentos aureos percipiebat, deinde ſexcentos aureos accepit, docuitque uſque ad annum MDXCVI. Obiit hoc anno. A Sixto V. adiectus eſt inter Advocatos Conſiſtoriales, uti conſtat ex Carthario in Syllabo.

Angelus Antonius Aquilanus Profeſſor Inſtitutionum Juris, hora veſpertina, ſub Pio IV. anno Chriſti MDLXIII.

Marcus Antonius Bizzonus Romanus, Advocatus Conſiſtorialis, & publicus Juris Civilis Profeſſor ab anno MDLXVII. uſque ad annum MDLXXXVI. Tum a Sixto V. electus eſt Epiſcopus Fulginatenſis. Obiit in ſua Eccleſia anno MDCVI. ætatis ſuæ quinquageſimo nono. De eo Ughellius in Italia Sacra, & Cartharius in Syllabo Advocat. Conſiſt.

Alexander Glorierius Profeſſor Inſtitutionum Juris, anno MDLXVII. ſtipendio aureorum centum, Pontifice

tifice Pio V. Rectore Camillo Peruſco Epiſcopo Alatrino. Fortaſſe is idem ille eſt Alexander Glorierius Clericus Cameræ Apoſtolicæ, & Præfectus Annonæ.

Thomas Fuſcus alter Inſtitutionum Juris Profeſſor, anno MDLXVII. Pontifice Pio V. & anno MDLXXVI. Pontifice Gregorio XIII.

Georgius Calandrus Luſitanus Sextum Librum Decretalium interpretabatur anno MDLXXVI. ſtipendio aureorum biſcentum, docuitque in Cathedra veſpertina Juris Canonici uſque ad annum MDXCIX. tuncque ejus ſtipendium quadringentos aureos excedebat. Laudatur a Navarro in Comm. de Spol. Cleric. §. 15. n. 5.

Priamus Febonius ex Oppido Avezzani apud Marſos, publicus in Urbe Legum Profeſſor, ac Judex Curiæ Capitolinæ a Pio V. conſtitutus, memoratur a Toppio in Bibliotheca Neapolitana, qui hoc ei monumentum in patria excitatum refert: *Priamo Phebonio V. I. D. Romæ Publico LL. interpreti a Pio V. P. M. Primo Collaterali Judice in Capitolino Foro electo præpoſtera morte prævento Filii mæſtiſſimi id quod miſerrimum eſt poſuerunt Vix. an. xxv.*

Camillus Plautius Fontenellenſis ſexcentis aureis Jus Civile profitebatur anno MDLXXVI. Pontifice Gregorio XIII. Docuit etiam Ticini. Laudatur a Cæſare Coſta Lib. 1. Cap. 37. Variar. Ambig. Juris. Edidit Commentarios in varias Digeſtorum Leges, & *de Verborum ſignificationibus*.

Cæsar Valentinus Romanus Civilibus Legibus interpretandis vacabat anno MDLXXVI. ſtipendio aureorum biſcentum, tum ad primariam Cathedram Juris Canonici aſcendit. Docuit annis vigintiquinque, magna diſcipulorum frequentia, quo tempore exacto, obtinuit vacationem muneris, ut nihil tamen de ſalario deperderet, uti teſtatur Janus Nicius Erithreus in Pinacotheca. Percepit vero uſque ad annum MDVI. uti colligitur

ex

ex Catalogis Profeſſorum aureos fere ſexcentos. De eo hæc habet Janus Nicius Erithreus: *In hoc homine præſertim apparuit quantum anteſtaret cæteris artibus eloquentia, cujus tantum ſpecie, tam magnum ad ſe diſcipulorum numerum attrahebat, ut aliorum Magiſtrorum quamtumvis doctiſſimorum exedras auditoribus vacuas redderet. Oblatum a Xyſto V. Epiſcopatum conſtantiſſime repudiavit. Demum cum ævum in longum protraxiſſet, fato ſuo functus, humatus eſt in Æde Virginis Capitolinæ.*

Rainaldus Ptolomæus Profeſſor Juris Civilis hora veſpertina, anno MDLXXVI. ſtipendio aureorum 259.

Ferdinandus Bisettus eodem anno extra ordinem profitebatur.

Julius Benignus Romanus tradebat Inſtitutiones Juris anno MDLXXVI. ſtipendio aureorum octoginta, ac ad annum uſque MDCXIX. percepit ſtipendium, quod ad aureos fere octingentos pervenerat. Verum ipſe poſtquam annis viginti quinque munere litterario functus eſſet, rude donatus fuerat, uti Janus Nicius Erithreus in Pinacotheca teſtatur. Is Julium Benignum vocat virum probum, gravem, eruditum, diſertum, Juris autem Civilis adeo peritum, ut cæteris Magiſtris, qui illud in Gymnaſio docebant, anteire exiſtimaretur. Eum Cardinalis Petrus Aldobrandinus habuit a cognitionibus, Auditoris loco. Eumdem inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitum Paulus V. voluit eſſe unum corrigendis Magiſtratibus Urbis. Demum Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, & Secretarins Sacræ Congregationis Rituum ſenex deceſſit anno MDCXXVIII. De eo Erithreus, & Cartharius.

Marius Pirolus ſub Gregorio XIII. primo egit Profeſſorem Inſtitutionum extra ordinem, deinde Profeſſorem rerum Criminalium ordinarium.

Gabriel Falconi Profeſſor Criminalium anno MDLXXXII.

MDLXXXII. Pontifice Gregorio XIII. ſtipendio aureorum quinquaginta. Egit in Urbe Cauſarum Patronum.

PAULUS CALANDRUS eodem anno Inſtitutiones Juris tradebat ſtipendio aureorum viginti quinque.

FLAMINIUS PARISIUS Conſentinus, præſtantiſſimus Juriſconſultus, Eccleſiaſticas leges interpretari cœpit anno MDLXXXII. ſtipendio aureorum tercentum, anniſque decem profeſſus eſt; tum a Clemente VIII. creatus eſt Epiſcopus Bituntinus, hancque Eccleſiam annis decem adminiſtravit. Hunc Ughellius Tolentinatem dicit. Sed antiqui Profeſſorum Catalogi, Toppius, aliique Conſentinum aſſerunt. Et ipſemet Petrum Paulum Cardinalem Pariſium Conſentinum vocat Gentilem ſuum Lib. 1. de Reſign. Benef. Quæſt. 2. unde & illi monumentum excitavit in Eccleſia S. M. Angelorum ad Thermas. Edidit Flaminius Tomos duos *De Reſignatione Beneficiorum*, quos notis illuſtratos evulgavit Ducloſius anno MDXCVI.

JOANNES FRANCISCUS SALOMONIUS Romanus Profeſſor Juris Civilis ab anno MDLXXX. per annos tredecim ſtipendio aureorum quinquaginta ſupra ducentos.

JOANNES BAPTISTA SORCIUS Romanus Inſtitutiones Juris docuit anno MDLXXXVII. deinde Jus Civile uſque ad annum MDCXXVI. quo tempore ejus ſtipendium aureos excedebat ſexcentos.

JACOBUS ANTONIUS MARTA Neapolitanus, anno MDLXXXIX. Jura in Gymnaſio profitebatur, ut ipſemet aſſerit in epiſtola ad Laurentium Blanchettum, qua ei nuncupat Tractatum de Tribunalibus Urbis. Docuit inde annis decem in Gymnaſio Patavino, uſque ad annum MDCXXI. tum in Papienſi, ut ipſe refert in fine tertiæ partis Summæ ſucceſſionis legalis. Edidit: *Tractatum de Tribunalibus Urbis*: *Tractatum de Clauſulis*: *Tractatum de juriſdictione per Iudicem Eccleſiaſticum & ſecularem exercenda*: *Methodum probandi in utroque Jure*:

 Com-

Compilationem Juris Canonici: In L. 1. ff. Solut. matrimonio: Repetitiones in Leg. 1. ff. de Novi Oper. Nunt. Conſilia: Summam totius ſucceſſionis legalis quatuor partibus complexam. De eo Nicodemus in additionibus ad Toppium.

Fabritius Purus Profeſſor Inſtitutionum, anno MDLXXXVII. Pontifice Sixto V. Rectore Horatio Burgheſio, ſtipendio aureorum ſexaginta.

Rutilius Alterius Romanus Profeſſor Juris, a Sixto V. adſcriptus eſt inter Advocatos Conſiſtoriales, uti teſtatur Cartharius.

Hieronymus Joannellius Romanus Profeſſor Inſtitutionum ab anno MDLXXXVIII. per aliquot annos, poſtea Juris Civilis uſque ad annum MDCIX. cum electus eſt Epiſcopus Soranus. Summum ejus ſtipendium ducentos aureos non exceſſit. Laudatur ab Ughello in Italia Sacra, & a Proſpero Mandoſio in Bibliotheca Romana.

Annibal Coronaceus Imolenſis anno MDLXXXVIII. Inſtitutiones Juris, deinde Jus Civile docuit uſque ad annum MDCXIX. tunc ei aurei ducenti ſolvebantur. Edidit Opuſcula quædam *de Contractibus*.

Aloysius Musattus Patavinus, anno MDXCIV. Jus Civile profitebatur ſtipendio aureorum 350. & aliquot annis hoc munere functus eſt. Docuerat Salerni anno MDXCI. obiitque anno MDXCVI. Riccobonus Lib. 1. Capite 12. Lib. 2. Cap. 5. & Portinarius de Felic. Patav. Libro 7. Cap. 5.

Scipio Cobellutius Viterbienſis, Eloquentiæ, Philoſophiæ, ac Juris ſtudiis ſatis inſtructus, interpretatus eſt Jura in Gymnaſio Romano circa hæc tempora, atque Alexandro Glorierio Annonæ Præfecto, & Cardinali Aſculano Hieronymo Bernerio in cauſis cognoſcendis operam navavit ſuam, uti Janus Nicius Erithræus teſtatur. Mortuo Marcello Veſtrio, qui ſub Paulo V. egit Secretarium Brevium, opera Card. Arigonii hoc munus

nus accepit. Inde ſibi aditum patefecit ad Cardinalatum, ad quem evectus eſt a Paulo V. anno MDCXVI. eamque dignitatem honeſtiſſime geſſit. Vixit annis ſexaginta duobus. De eo Janus Nicius Erithræus, & doctiſſimus Ciacconius.

HIERONYMUS HENRICUS Romanus ab anno MDCIII. per annos decem tradidit Inſtitutiones Juris. Laudatur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca, atque dicitur vir magnæ induſtriæ, & laboris. Et Mandoſius in Bibliotheca Romana teſtatur editas eſſe plures illius Orationes habitas in Sacello Pontificio, in Eccleſia S. Euſtachii, atque in Gymnaſio.

PETRUS ALBERTINUS, poſtquam Jus Pontificium in Collegio Germanico S. I. docuiſſet, & Odoardum Cardinalem Farneſium in Jure Civili inſtituiſſet, in cujus aulicorum numero erat, obtinuit anno MDXCVI. Cathedram Juris Canonici per mortem Cini Campani vacuam, cui adhuc præerat anno MDCXXXI. ſtipendio aureorum fere ſexcentum. Memoratur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca, qui narrat in incendio Ædium Farneſiarum, Albertini cubiculum ignem concepiſſe, vixque ipſum vivum ex incendio evolaſſe.

ANTONIUS RICCIULLUS Conſentinus, Inſtitutiones Juris tradere cœpit anno MDCI. ſtipendio aureorum fere centum, quas cum aliquot annis docuiſſet, electus eſt Epiſcopus Bellicaſtrenſis, tum ad Umbriaticenſem, deinde ad Caſertanam Eccleſiam translatus. Sed & in Urbe vices geſſit Cardinalis Vicarii. Demum ab Urbano VIII. anno MDCXLI. fit Archiepiſcopus Conſentinus & Inquiſitor Fidei in Neapolitano Regno. Obiit tamen anno ſequenti. Edidit *Tractatum de perſonis, quæ in ſtatu reprobo verſantur*: *Tractatum de jure perſonarum extra Eccleſiæ gremium exiſtentium*: *Tractatum de Neophytis*: *Lucubrationum Eccleſiaſticarum Libros ſex*. Laudatur a Toppio, Ughellio, Aceto in notis ad Barrium.

Petrus Marcellinus Politianus Profeſſor Inſtitutionum anno mdciii. deinde Juris Civilis uſque ad annum mdcxix. cum ejus ſtipendium nondum ad ducentos aureos pervenerat.

Cosmus Fidelis Florentinus Cathedram Inſtitutionum obtinuit anno mdciv. atque in ea annis decem docuit, tum ad Cathedram migravit Juris Canonici, deinde Juris Civilis, quam adhuc occupabat anno mdcxlviii. tuncque ejus ſtipendium conſtabat aureis quadraginta ſupra quingentos. Obiit mdcxlix.

Hieronymus Ricciullus Conſentinus Inſtitutiones Juris expendebat anno mdcvi. ſtipendio aureorum centum, tum obtinuit Cathedram veſpertinam Juris Canonici, & huic præerat anno mdcxiv. ſtipendio aureorum biſcentum. Anno mdcxvi. renunciatus eſt Epiſcopus Bellicaſtrenſis, hancque Eccleſiam annis decem adminiſtravit. Memoratur a Toppio, & Aceto in notis ad Barrium, & Ughello.

Angelus Lucianus ab Aquapendente, ab anno Domini mdcix. Inſtitutiones per aliquot annos docuit, deinde Jus Canonicum uſque ad annum mdcxxxvii. tunc ejus erant ſtipendium aurei 451. Laudatur a Martha in Tractatu *de Clauſulis*.

Ivo Gattulus Romanus ab anno mdcv. extra ordinem de Criminalibus rebus in Gymnaſio diſſeruit uſque ad annum mdcxvii. cum Cathedram Inſtitutionum obtinuit, ſtipendio aureorum octoginta, tum in Cathedra Juris Civilis meruit ſtipendium, quod ad aureos pervenerat quadrigentos, annis quadraginta. De quo Mandoſius in Bibl. Rom. *Moribus fuit antiquis, in publicis, privatiſque lectionibus aſſiduus, ac indefeſſus, probus, pius, ac integerrimus. Nondum legali facultate admodum inſtructus, ſed politiori litteratura ornatus, & in Muſarum caſtris exercitatus: Academiam Delphicam tum legalium, tum humaniorum litterarum domi*

ſuæ

ſuæ inſtituit. Impreſſum legitur ab eodem Ivone adhuc adoleſcente exaratum Opus Italico carmine inſcriptum: Albido Favola Paſtorale. *Deciſiones Sacræ Rotæ Romanæ coram R. P. D. Martino Andreæ, eo, quo decebat ſtudio recognovit, Summariis, ac Indice locupletavit.* Obiit anno MDCXLVII. hærede inſtituto Monaſterio Sanctorum Quatuor Coronatorum.

Didacus Lobo Luſitanus anno MDCXVI. Inſtitutiones Juris profiteri cœpit ſtipendio aureorum ſexaginta, tum poſt aliquot annos Sextum Decretalium Librum interpretabatur, Pontifice Gregorio XV. Rectore Nicolao Zambeccario, quo munere functus eſt uſque ad annum MDCXXXVI. docuit vero in Cathedra veſpertina Juris Canonici, uſque ad annum MDCXJ. cum ei aurei 240. ſolvebantur. Ab Hiſpano Rege Orbetellum miſſus, ut jus diceret, Cathedram deſeruit.

Bernardus Gulielmus Sanſovinus e Cathedra Rhetoricæ ad Cathedram aſcendit Juris Civilis anno Salutis MDCXXI. quam per paucos annos obtinuit. Franciſcum Cardinalem Barberinum optimis artibus inſtituit. Jacet in Eccleſia S. Laurentii extra muros.

Fabritius de Fabritiis Sabinus poſtquam extra ordinem jura aliquot annis docuiſſet, Cathedram obtinuit Inſtitutionum anno MDXXI. per annos tres. Abſtinuit deinde a publico munere, uſque ad annum Chriſti MDCXXXII. cum de Jure Civili in Scholis egit per aliquot annos.

Josephus Candidus Syracuſanus pariter e Profeſſore extra ordinem traductus eſt ad Cathedram Inſtitutionum eodem anno, tum ad Cathedram tranſiit Juris Civilis uſque ad annum MDCXXVI.

Antonius Nannius Urbinas anno MDCXXII. Inſtitutiones Juris docebat, & poſt annos ſex docuit jus Civile, denique primam Cathedram juris Canonici obtinuit uſque ad annum Chriſti MDCXLVIII cum ejus ſummum

mum ſtipendium quadringentos fere aureos excedebat.

Ambrosius Luti Senenſis, non legitur in Catalogis Profeſſorum. At ab Ugurgerrio de Pomp. Senen. Tit. 16. dicitur Romæ, & Maceratæ publice docuiſſe; & Judex Bononiæ, variiſque functus muneribus apud Etruriæ Ducem, obiiſſe dicitur anno MDXLV.

Franciscus Sgambatus Neapolitanus Presbyter, anno MDCXXIII. per annos fere decem Inſtitutiones juris e Cathedra tradidit, aureorum centum ſtipendio. Edidit: *Introductionem ad Juris utriuſque ſcientiam*; *Commentaria in quatuor libros Inſtitutionum juris Civilis D. Juſtiniani Imperatoris*: *Lecturas ordinarias octo*: *Praxin Datariæ Romanæ*: *De immunitate Eccleſiaſtica*: *Super quatuor libros Inſtitutionum Juris Canonici Pauli Lancellotti*. Allatius de viris illuſtribus, & Toppius in Bibliotheca Neapolitana.

Angelus de Judicibus Aretinus Profeſſor Inſtitutionum anno MDCXXV. deinde Juris Civilis per annos fere triginta. Ejus ſummum ſtipendium aureos quadringentos ſuperavit. Obiit anno MDLVI. ſepultus in Eccleſia S. Nicolai ad Cæſarinos, præſente funere Academia.

Joannes Franciscus Polellus Romanus Profeſſor Inſtitutionum anno MDCXXVII. per annos tredecim, ac ſtipendium aureorum nonaginta percepit.

Antonius Bucherius Conſentinus Inſtitutiones Juris aggreſſus eſt anno MDCXXVIII. atque huic muneri incubuit uſque ad annum MDCLII. cum vivis exceſſit. Ejus ſummum ſtipendium nondum ad aureos ducentos pervenerat. Memoratur a Thoma Aceto in notis ad Barrium Lib. 2. Cap. 8. Obiit MDLV. jacetque in Eccleſia S. M. de Aquiro.

Joseph Spada Iteramnenſis profitebatur extra ordinem anno MDCXXVI. ſtipendio aureorum quinquaginta, deinde Cathedram aſſecutus eſt Juris Civilis, in qua anno MDCXVIII. adhuc docebat ſtipendio aureorum quin-

qua-

Digitized by Google

quaginta ſupra centum. Obiit anno ſequente. Edidit duo Volumina *Lectionum ordinariarum in Jure*, ut Jacobillus in Bibliotheca Umbriæ teſtatur. De eo Angelonus in Hiſt. Interamn.

Joannes Baptista Brunenghius Sardus Turritanus extra ordinem Jura Eccleſiaſtica tradere incepit anno MDCXXXVIII. ſtipendio aureorum ſeptuaginta, deinde ſedem occupavit Juris Canonici veſpertinam uſque ad annum MDCL. ejuſque ſtipendium centum aureos excedebat. Tum Referandarius Utriuſque Signaturæ, & Corrector Litterarum Apoſtolicarum.

Franciscus Angeluccius ex Podio Crucis Spoletanæ Diœceſis Profeſſor Inſtitutionum extra ordinem anno MDCXXXVIII. ſtipendio aureorum triginta, poſt aliquot annos Cathedram Inſtitutionum, tum Juris Civilis uſque ad annum MDCLX. cum Verulana Infula donatus eſt. Summum ejus ſtipendium tercentos aureos ſuperavit. In Epiſcopatu Synodum coegit, evulgavitque, atque poſt annos quindecim regiminis e vivis deceſſit. Ughellus.

Joannes Sanctinus Lucenſis Profeſſor Criminalium MDCXXXIX. aliquot annis.

Joannes Baptista Gratiolus Profeſſor Juris Civilis circa annum MDCXLV. indicatur a Jano Nicio Erithræo ut pote qui illi nuncupavit partem alteram ſuæ Pinacothecæ.

Joannes Baptista Morra Neapolitanus Inſtitutiones juris extra ordinem profitebatur anno MDCX. ſtipendio aureorum quinquaginta, atque annis ſex in ea ſtatione fuit. Electus eſt Epiſcopus Inſulanus aono Chri- MDCXLVII. ſed obiit anno ſequente. Edita eſt Diſſertatio, quam habuit, cum munus aggrederetur.

Joseph Palamolla Policaſtrenſis Profeſſor Juris Canonici hora veſpertina ab anno MDCXLII. ſtipendio aureorum centum, & ſexaginta, tum primarius Juris Ca-

Canonici Profeſſor, tandemque rude donatus poſt annos triginta. Ejus ſtipendium anno MDCLXXVI. excedebal aureos quadrigentos. Egit in Urbe Examinatorem Epiſcoporum, atque Viceſgerentem Cardinalis Vicarii, uti teſtatur Toppius in Bibliotheca Neapolitana. Egerat Vicarium Apoſtolicum in Eccleſia Biſinianenſi, Juvenacenſi, Tranenſi.

JOSEPH CARPANUS Romanus Inſtitutiones Juris profiteri cœpit anno MDCLI. ſtipendio aureorum ſeptuaginta translatus deinde ad Cathedram Juris Civilis, docuit annis quadraginta, ac vacationem muneris obtinuit. Ejus ſtipendium anno MDCLXXXI. aureis 550. conſtabat. De eo Mandoſius in Bibliotheca Romana: *Joſephus Carpanus Joannis Baptiſtæ filius, V. I. Doctor, virtute inſignis, morum probitate admirabilis. In Romana Univerſitate ab annis quadraginta Juris Civilis Ordinarius Profeſſor, celebris Intrecciatorum Academiæ Inſtitutor, & Rector, in qua Romana juventus ad Legalem Facultatem comparandam per ipſum exactiſſime informaretur: & ad amœniores litteras addiſcendas, quatuor in ſingulos annos ſtatutis congreſſibus per viros in arte bene dicendi eximios, veluti per exemplaria perfectiſſima eruditur; quæ nobilis Jurisprudentiæ paleſtra floruit ſemper auditoribus ſanguinis claritate, morum candore, ſingulari modeſtia, & ſtudioſiſſima addiſcendi cupiditate conſpicuis; ex quibus præter Camillum Maximum, & Franciſcum Bonviſium ad ſacram Purpuram evectos, quamplures alii ad præcipuas in Eccleſia dignitates promoti, digniſſimorum Præſulum perſonam ſuſtinent: nec ſilendus Livius Odeſcalcus Ceræ Dux, Innocentii Papæ Undecimi ex Carolo germano fratre Nepos, quem, emenſis Philoſophiæ ſtudiis Patruus recti, & juſti amantiſſimus, ſecundo Pontificatus menſe in cognitione Utriuſque Juris acquirenda per Carpanum exerceri juſſit, non ſine maxima ipſius gloria.* Addita

Car-

Digitized by Google

Carpano plurima edita, nempe: *Paraphraſis Inſtitutionum Civilium, earumque perutile Breviarium: Inſtitutionum Juris Canonici Summaria Dilucidatio: Repetitiones in præcipuas ordinarias Juris Civilis partes pro publicis lectionibus conſcriptæ: Exercitationes Academicæ pro Legali Facultate facilius comparanda: Faſti Academiæ Legalis Intrecciatorum: Orationes pro ſolemni Studiorum Romani Archigymnaſii inſtauratione* 1635. *&* 1640. *&* 1641. *Lectio de Eccleſiaſtico jejunio habita in Academia Baſiliana ad Cardinales: Oratio de Deo Trino, & Uno habita in Sacello Quirinali: Oratio in funere Leonis X. anno* 1640. *& altera habita anno* 1646. *Proluſio de præſtantia Juſtitiæ, ac Legum neceſſitate habita in aula magna Romanæ Univerſitatis anno* 1641. *Raccolte delli diſcorſi ſacri e morali detti nell'Academia dell'Intrecciati: Raccolta di Rime Italiane, e Latine recitate nella medeſima Academia: Sentimenti ſacri, e morali ſopra l'Evangelii delle Domeniche, e di alcune Feſte dell'anno.*

Felix Monacus Conſentinus Profeſſor Inſtitutionum anno MDCXLVIII. ſtipendio aureorum ſexaginta, obtinuit deinde ſedem Juris Canonici veſpertinam, uſque ad annum MDLXI. cum ejus ſtipendium ad ducentos aureos pervenerat. Eo anno electus eſt Epiſcopus Marturanenſis in Calabria, quam dignitatem geſſit annis ſex. Coletus in additionibus ad Ughellum, & Acetus in notis ad Barrium Lib. 2. Cap. 8.

Carolus Scombinus Neapolitanus Profeſſor Juris Civilis anno MDCLII. ſtipendio aureorum centum, & viginti. E Neapolitanæ plebis ſeditione fugiens, Romam venit, atque ex certamine Cathedram obtinuit. Electus deinde eſt Epiſcopus Bellicaſtrenſis.

Jacobus Cincius Romanus, Profeſſor Inſtitutionum anno MDCLII. ſtipendio aureorum ſeptuaginta, deinde Juris Canonici, Decretique Gratiani. Anno Chri-

ſti MDCLXXVI. tercentos aureos pro ſtipendio accipiebat. De eo Mandoſius in Bibliot. Rom. *Jacobus Cincius ex Natali Cincio, & Urſula de Planellis natus an.* 1615. *ingenio vivido præditus, & ad virtutem propenſiſſimus, ad Juris Pontificii exedram in Romana Univerſitate conſcendit, Decretorum interpretationi mox præficitur.* Addit a Carthario in Athenæo Romano Jacobum dici Sacerdotem integerrimum, ingenio præſtantem, memoria tenaciſſimum, in dicendo facundiſſimum, multiplici ſcientiarum cognitione imbutum, atque has illius Lucubrationes recenſeri: *Tractatus de Angelis, & de Actibus humanis: Quæſtiones Theologicæ: Expoſitio ad Simbolum Fidei: Inſtitutiones ad univerſum Jus Pontificium: Comm. ad Tit. Decretal. de Teſtamentis: Comm. ad Tit. Decret. de Sponſalibus, & Matrimonio: Comm. ad Tit. Decretal. de cauſa Poſſeſſionis, & Proprietatis: Quæſtio de natura Religionis: Diſputationes de anima: Interpretatio Civilium Inſtitutionum Juſtiniani: Inſtitutio ad Praxin Judiciariam in Tribunalibus Romanæ Curiæ obſervatam: Variæ juris Regulæ ad materiam Juridicam ſpectantes: Inſtitutiones Criminales: Explicationes variorum Punctorum Juris Pontificii, atque Cæſarei ex libris Decretalium & Codicis, Doctorandis aſſignari ſolitorum: Inſtitutiones Græcanicæ.* Commentarii in plures Digeſtorum Titulos, & Philoſophicæ quædam Diſputationes.

Carolus Festinus Ferrarienſis, docuerat in patria, variiſque functus muneribus, cum ad Urbem veniens ex certamine fit Profeſſor Inſtitutionum anno MDCL. ſtipendio ſexaginta aureorum, deinde Juris Civilis per annos duodecim, tuncque aurei ſexaginta ſupra centum ei ſolvebantur. Edidit: *Centuriam Controverſiarum Legalium: Annotationes ad Statutum Gualdenſe.*

Marcus Antonius Marescottus Senenſis tradendis Inſtitutionibus Juris cœpit operam dare an. MDCLII.

ſti-

ſtipendio aureorum centum & viginti, tum Jus Civile docuit, & ejus ſtipendium pervenerat ad aureos ducentos. Anno MDCLXIV. electus eſt Epiſcopus Cluſinus, ſeditque in ea ſede annis ſeptemdecim. Typis evulgavit *Compendium ex univerſa Philoſophia ſub auſpiciis Innocentii X. & Concluſiones e Sanctionibus Cæſareis & Pontificiis publicæ diſputationi exhibitæ*. Exaraverat volumen in quinque libros Decretalium. Coletus in additionibus ad Ughellum.

CONCEPTIUS PICA Aquilanus, Profeſſor Inſtitutionum ex certamine, anno MDCLII. ſtipendio ſexaginta aureorum, deinde Juris Civilis extra orlinem per quindecim annos, ſtipendio aureorum centum. Egerat in patria Cauſarum Patronum, tum etiam jus dixerat.

HIERONYMUS LAMPUGNANUS Mediolanenſis, docuit Jus Civile extra ordinem ſine ſtipendio, magna Auditorum frequentia, uti teſtatur Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca, qui illius Lectiones audire conſuevit. Obiit anno MDCXLV. Societate Jeſu relicta hærede ex aſſe. Edidit *Compendium introductionis ad Juſtinianeas Inſtitutiones: De ratione ſtudendi in utroque Jure: Compendium Introductionis ad univerſam Juriſprudentiam.* Memoratur ab Allatio in libro de viris illuſtribus.

FELIX VIA Conſentinus Profeſſor Juris Civilis extra ordinem, ſtipendio aureorum ſexaginta, anno Chriſti MDCLXII. per annos decem, cum a Clemente IX. creatus eſt Epiſcopus Aſculanus. Edidit *Summam Juris Canonici*. Obiit anno MDLXXIX. Coletus in additionibus ad Ughellum. Acetus in notis ad Barrium Libro 2. Capite 8.

CAROLUS SELVACO e Thurio in Calabria Inſtitutiones Juris docendas ſuſcepit anno MDCLV. ſtipendio aureorum ſexaginta, tum Pandectas, deinde Gratiani Decretum hora veſpertina interpretatus eſt, uſque ad annum MDCLXXIII. cum ejus ſtipendium fere ad tercentos aureos

Digitized by Google

pervenerat. Docuerat Jus Civile in Neapolitano Gymnaſio. Edidit Librum *De origine, etymo, & præſtantia Pandectarum*. Laudatur a Thoma Aceto in notis ad Barrium Lib. 5. Cap. 16.

TITUS SABELLICUS Somminus, Civis Romanus, anno MDCLVII. Profeſſor Criminalium, ſtipendio aureorum centum, & viginti per aliquot annos.

ALEXANDER BRUGIOTTUS Florentinus Profeſſor Inſtitutionum Juris Civilis anno MDCLV. tum Criminalium per annos fere triginta. Ejus ſtipendium anno MDCLXXVI. ſuperabat centum aureos. In pluribus Civitatibus jus dixit, atque in Urbe Advocatum egit. Edidit *Inſtitutiones Criminales: Epitomem Juris viarum & fluminum praxim rei ædilis comprehendens, & de Immunitate*.

FRANCISCUS PTOLOMÆUS Senenſis, Jus Civile extra ordinem profeſſus eſt, anno MDCLX. ſtipendio aureorum octoginta, tum ad Pandectarum Cathedram, deinde Juris Civilis tranſiit, atque annis quadraginta profeſſus eſt. Ejus ſtipendium anno MDCC. erat aureorum 372. Edidit: *Vetuſtalia ſive vetuſtatis admiranda*.

ALEXANDER GUIDOTTUS Bononienſis Profeſſor Inſtitutionum Juris Canonici ab anno MDCLX. ſtipendio aureorum ſexaginta, docuitque annis tribus.

BARTHOLOMÆUS BITOZZIUS Precenſis, Juris Civilis Cathedram occupavit ſtipendio aureorum centum ab anno MDCLXII. tum Gratiani Decretum interpretatus eſt anno MDCLXXII.

DOMINICUS GALLESIUS Finalienſis anno MDCLXII. Inſtitutiones Juris Canonici pertractandas aggreſſus ſtipendio aureorum ſexaginta, poſt annos plures ad Pandectarum Cathedram, denique anno MDCLXXVI. ad Rubenſem in Apulia Epiſcopatum evectus eſt. Vixit in hac dignitate annis quatuor. Coletus in additionibus ad Ughellum.

THOMAS CLAUSUS Conſentiuus operam dare cœpit Ju-

JurisCivilis Inſtituilonibus ſtipendio aureorum ſexaginta anno MDCLXIII. per annos ſeptem, cum quadragenarius obiit, uti teſtatur Thomas Acetus in notis ad Barrium Lib. 2. Cap. 8.

FRANCISCUS VILLAREALIS Lavellenſis, Profeſſor Inſtitutionum Juris Civilis extra ordinem ſtipendio aureorum ſexaginta anno MDCLXIII. deinde Cathedram Juris Civilis, & Pandectarum, denique primariam Juris Canonici obtinuit, e qua anno MDCLXXXIX. docebat, ſtipendio aureorum ſexaginta ſupra ducentos. Edidit: *Divi Mauri Martyris Tutelaris Lavelli in Apulia Encomiaſticam Vitam*. Toppius in Bibl. Neapol.

AUGUSTINUS MARTINELLUS Ferrarienſis Inſtitutiones Juris Civilis extra ordinem profeſſus eſt anno Chriſti MDCLXX. per aliquot annos. Edidit: *Stato del Ponte Felice*: *Notizie del Ponte di Ottaviano Auguſto nella Città di Rimini*: *Eſperienza maeſtra per le operazioni da farſi alle ripe del Tevere*: *Ragguaglio delle mutazioni e pregiudicii fatti dal Tevere nelle ripe ſuperiori del Ponte Felice*: *Il monte Teſtaceo*: *Deſcrizzione de fiumi Nera, & Tevere con un diſcorſo della navigazione da Perugia a Roma*.

ANTONIUS ALTILIA Apulus Profeſſor Inſtitutionum Juris Canonici ab anno MDCLXXI. deinde Juris Civilis extra ordinem per aliquot annos.

PHILIPPUS CANUTUS de Trebio Profeſſor Inſtitutionum Juris Civilis ab anno MDCLXXI. deinde Profeſſor Juris Canonici hora matutina anno MDCC. ſtipendio aureorum quadraginta ſupra ducentos. Rude donatus fuit, atque anno MDCCXXI. aurei quinquaginta, & tercenti ei ſolvebantur.

FLAMINIUS VIGORITUS Firmanus anno MDCLXXIV. Inſtitutiones Juris Civilis tradebat ſtipendio aureorum ſexaginta, tum MDCLXXXIX. Gratiani Decretum interpretabatur, ſtipendio aureorum centum & ſeptuaginta.

MAR-

Marcellus Randatius Meſſanenſis, Jura in Gymnaſio interpretari cœpit anno MDCLXXVII. præſertim vero Pandectas, & Jus Civile tradidit. Haeque in ſtatione erat initio hujus ſæculi, ſtipendio aureorum octoginta ſupra centum, & anno MDCCXXI. ſtipendio aureorum quinquaginta ſupra ducentos. Obiit MDCCXXVII.

Aurelius Augustinus Milliarius Mutinenſis Jus Civile extra ordinem docuit ab anno MDCLXXVII. tum Decretum Gratiani interpretabatur anno MDCC. ſtipendio aureorum ſexaginta ſupra centum.

Julius Cæsar Fidus Farfenſis anno MDCLXXXI. Cathedram aſſecutus, res Criminales primum, tum Pandectas, Juſque Civile profeſſus eſt per annos quadraginta, etſi ejus ſtipendium non excederet aureos ducentos: Mox obtinuit vacationem muneris, atque anno Chriſti MDCCXXXI. in vivis erat, & ſtipendium aureorum quinquaginta, ſupra ducentos percipiebat. Obiit MDCCXXXVII.

Philippus Constantinus Romanus Inſtitutiones Juris Civilis ab anno Chriſti MDCLXXXI. per plures annos docuit.

Didacus de Aghirre Salemitanus in Sicilia Inſtitutiones primum, tum Jus Civile extra ordinem ab anan MDCLXXXIV. per aliquot annos e Cathedra tradidit, tum diu docuit in Cathedra veſpertina Juris Canonici denique primam occupavit JurisCivilis& anno MDCCXXI. rude donatus eſt. Obiit anno 1724. De quo Mongitoris in Bibliotheca Sicula: *Didacus de Aghirre nobilis Salemitanus, parentibus Franciſco de Aghirre, & Maria Latio natus anno 1652. Philoſophicis, ac Theologicis ſtudiis dicatus, ob egregias ingenii doces breviter ita profecit, ut annum agens decimum quartum in Majori Salemitatana Eccleſia, publice ſine patrono Philoſophiæ, ac Theologiæ theſes propugnaverit, atque non ſine ſapientium ex vicina urbe Drepani, aliiſque locis confluentium admiratione plauſu. Hinc cum Juriſ-*

Digitized by Google

riſprudentiæ operam dediſſet, *Doctoris laurea donatus eſt Meſſanæ & cauſarum patrocinium ſuſcepit Panormi. Sed inde Romam digreſſus anno* 1677. *ibique Aduocati munere functus egregiam Doctrinæ ſuæ præſtantiam omnibus patefecit. Anno* 1684. *publicus in celeberrima Sapientiæ Academia Romana Lector electus eſt, cum ad eam Cathedram inſtituto concuſu, innumeri anhelarent: & ab Innocentio XI. Pont. Max. præter exemplum, non ultimam, ut mos erat, ſed penultimam Cathedram Inſtitutionum Canonicarum accepit. Mox ad Cathedram extraordinariam Juris Civilis aſcendit: poſtmodum ad aliam Decreti Gratiani, pluresſimul gradus traſcendens, quod in eo lyceo evenit rariſsimum. Tandem optionis jure primariam veſpertinam Cathedram Decretalium obtinuit: ibique ſemper tum ingenii felicitatem, tum egregiæ doctrinæ excellentiam, Jura uel Pontificia vel Civilia explanando, magna cum laude detexit. Fuit etiam Joſephi de Aghirre S. R. E. Cardinalis Auditor.* Addit edidiſſe *Theoricæ Praxis ad Inſtitutiones D. Juſtiniani Imperatoris Librum primum; ſive veram docendi Metodum pro breviori, faciliori, & utiliori ſcientiæ legalis amplexu*: atque prælo paratos habere: *In Inſtutiones Canonicas eadem methodo Tomos quatuor*: *De jure Gazaga in favorem Chriſtianorum contra Hebræos Romæ degenes*: *De pacto redimendi*.

Nicolaus Righettus e Sancta Severina, Cauſarum Patronus, Profeſſor Inſtitutionum Juris Canonici, ſtipendio ſexaginta aureorum anno MDCLXXXVI. deinde Juris Civilis. Creatus eſt Epiſcopus Marturanenſis anno MDCCIII. obiitque anno MDCCXI. uti ex Coleto in additionibus ad Ughellum. Memoratur a Thoma Aceto in notis ad Barrium Lib. 4. Cap. 4.

Hieronymus Cesarinus Romanus Jura profiteri in Gymnaſio cœpit anno MDCXCI. pluresque Cathedras obtinuit,

Digitized by Google

tinuit, Inſtitutionum, Juris Civilis, & Juris Canonici primariam, in qua docebat anno MDCCXXI. ſtipendio aureorum qninquaginta ſupra ducentos. Obiit MDCCXXX.

Franciscus Maria Gasparrus Romanus ab anno Salutis MDCXCVIII. Leges tum Civiles, tum Canonicas variis in ſedibus interpretatus, poſt annorum triginta laborem rude donatus eſt, atque in Curia Capitolina jus reddidit, Primus Collateralis. Edidit *Inſtitutiones Juris Civilis*: *Inſtitutiones Juris Canonici*: *Inſtitutiones Criminales*. Obiit anno MDCCXXXV.

Dominicus Ursaya e Boſco in Provincia Salernitana ab anno MDCXCIX. varias utriuſque Juris Cathedras occupavit, cumque primariam Juris Canonici ſedem moderaretur, obtinuit ex Reſcripto Benedicti XIII. Papæ die 5. Novembris anno MDCCXXVI. ut Pompeus filius ejus vices ſuppleret. Edidit Tomos tres *Diſceptationum Eccleſiaſticarum*: *Inſtitutiones Criminales quatuor libris abſolutas*: *De Matrimonii nullitate ex defectu conſenſus contrahentis, & moralis preſentiæ Parochi.*

Julius Marinus Leonellus Camerinenſis ab anno MDCC. per annos ultra triginta Juribus explanandis incubuit, & anno MDCCXXXI. in prima Cathedra Juris Civilis aureos quinquaginta ſupra docentos accipiebat.

Janus Vincentius Gravina Conſentinus, Græcæ, Latinæque Litteraturæ, & Juriſprudentiæ ſcientiſſimus, natus in Oppido Roggiani prope Conſentiam XIII. Kal. Martias anno MDCLXIV. Neapoli bonis artibus inſtructus, Romam venit anno MDCLXXXIX. ubi ſequenti anno inter primos auctores fuit inſtituendæ Arcadum celeberrimæ Academiæ. Vir ſummi laboris, ſummæque eruditionis Cathedra Juris Civilis donatus eſt anno MDCXCIX. quam magna cum ſui nominis gloria uſque ad ſupremum diem occupavit, etſi plurimæ Academiæ, præſertim Taurinenſis, illius operam magnis ſtipendiis expetierint. Obiit Nonis Januarii MDCCXVIII. jacetque in Parochiali Ecclesia

cleſia S. Blaſio nuncupata. Ejus ingenii monumenta hæc ſunt: *Priſci Cenſorini Photiſtici Hydra myſtica, ſive de corrupta morali doctrina*: Is liber rariſſimus eſt, cum pauciſſima edita ejus fuerint exemplaria: *L'Endimione di Erilo Cleoneo Paſtore Arcade con un diſcorſo di Biondo Crateo*: quo nomine ipſe Gravina indicatur, qui Tragediam illam ab Alexandro Guido exaratam illuſtravit: *Opuſcula*: Is liber complectitur ſex Opuſcula, in quorum primo traditur brevis notitia veteris Juris, in altero agitur de Latinæ Linguæ excellentia, tertium circa bonarum artium in Italia fortunam verſatur, quartum mortem minime metuendam evincit, quintum ſuadet in luctu modum ſervandum eſſe, ſextum complectitur Arcadiæ leges: *De ortu & progreſſu Juris Civilis Liber*: *Acta Conſiſtorialia creationis Emin. ac Reverend. Cardinalium inſtitutæ a S. D. N. Clemente XI. P. M. diebus 17. Maij, & 7. Junii anno Sal: 1706. & eorumdem Cardinalium brevis delineatio*: *Della Ragion Poetica libri due*: *Della Tragedia libro uno*: *Tragedie cinque*: *Orationes*. Prodierunt poſt ejus mortem *Inſtitutiones Canonicæ, & Civiles*, quæ Taurini primum, tum Romæ non ita pridem editæ ſunt. Ejus Elogium extat in Faſtis Arcadum defunctorum, in vitis virorum illuſtrium, auctore Niceronio, atque in Dictionario Morerii poſtremæ editionis. Ita vero Valchius in Hiſtoria Critica Latinæ Linguæ Cap. 12. hunc celebrat: *Janus Vincentius Gravina ſingulare Italorum decus, princeps ingeniorum, quæ in gente hac noſtro ævo doctrina, juriſprudentia, elegantiore latini ſermonis ſuavitate floruerunt. Scripta ejus, & ubertate, copiaque rerum, & elegantia ſtili magnam præ ſe habent dignitatem: Edidit Origines Juris Civilis, Opuſcula, quæ cum Orationibus quibuſdam non ſolum ſtudio Joannis Baptiſtæ Ancionii Amſtelodami* MDCXCIII. *prodierunt, verum etiam novæ editioni Lipſienſi Originum Juris Civilis addita fuerunt.*

Atque hæc Opuſcula cum Orationibus præcipue cultoribus Latinæ Linguæ, ejuſque purioris commendamus.

Sanctus Lanuccius de Mondavio ab anno Chriſti mdccxvii. Juriſprudentiam in Gymnaſio Urbis profiteri cœpit, variaſque hujus Facultatis partes pertractavit, denique docuit e prima Cathedra Juris Canonici, qua ex ſtatione benemeritum Profeſſorem SS. Pontifex BENEDICTUS XIV. ad Epiſcopalem Sedem Civitatis Caſtellanæ traduxit mdccxlviii.

Joannes Angelus Canutus Romanus anno Chriſti mdccxviii. extra ordinem Jura interpretabatur, atque per aliquot annos munere publico functus eſt.

Gaspar Magnonus olim Cagnettus, Veliternus, anno mdccxxi. tradendis Juris Civilis Inſtitutionibus præficitur. Deinde ad primariam pervenit ſedem juris Civilis; cumque de re litteraria meruiſſet, rude donatus eſt die 29. Decembris anno mdccxlviii. ea lege, ut integrum ei ſervaretur ſtipendium. Auditorem egit Cardinalis Laurentii Alterii, & Clericorum Cameræ Apoſtolicæ Joſephi Imperialis, & Nicolai Negroni; tum etiam ampliſſimi Cardinalis, Archiepiſcopi Neapolitani Joſephi Spinelli, cum Sacræ Congregationi circa Epiſcoporum, & Regularium negotia eſſet a ſecretis. In Foro Cauſis honeſtiſſime patrocinatur, atque præfuit rebus domeſticis Familiarum Coſtagutæ, Ceſarinæ, Santacrucis, Capranicæ.

Joannes Pignatius Comaclenſis ab anno mdccxxiv. per aliquot annos Civiles Leges profeſſus eſt.

Marcus a Turre Veronenſis, anno mdcciv. juvenis annorum trium ſupra viginti in Bononienſi Gymnaſio Juriſprudentiam docere cœpit. Tum anno Chriſti mdccxxiv. inſtituto in Urbe certamine, inter viginti ſeptem Juriſperitos, qui ſe certamini obtulerunt, donatus eſt Cathedra Juris Canonici in Gymnaſio Romano, in qua

Digitized by Google

qua docuit uſque ad annum MDCCXLIX. cum optime merito Profeſſori vacatio muneris conceſſa eſt, integrumque ſtipendium.

THOMAS ANTONIUS EMALDI Lugenſis ab anno Salutis MDCCXXVIII. inter Romani Gymnaſii Profeſſores adlectus, eam obtinet ſedem, e qua Gratiani Decretum explicatur. Sed inter Aulicos Pontificios cooptatus, ex eorum numero, quos Cubicularios Secretos nuncupant, atque Summo Pontifici eſt a Latinis epiſtolis conſcribendis.

CELESTINUS CIVARRONUS Leoniſſanus ab anno Chriſti MDCCXXVI. Civiles Leges in Romano Gymnaſio interpretatur, atque nunc temporis operam ſuam navat Pandectarum tractationi.

JACOBUS BALSARINUS Methonenſis, ac Venetus civis, in Romana Curia Advocatus, anno MDCCXXIX. a Summo Pontifice Benedicto XIII. munus accepit Civiles Leges interpretandi in Gymnaſio Romano, atque eam ſedem obtinet, e qua Tractatus aliquis Juris Civilis edocetur, quem Rector eo anno juſſerit explicandum. Clementis XII. beneficio eſt Patronus Fiſci, in rebus, quæ ad Viarum Magiſtratum pertinent.

PETRUS ANTONIUS DANIELI Romanus, Philoſophiæ Theologiæ, ac utriuſque Juris Doctor, anno Chriſti MDCCXXXIII. ex certamine probatus ſuffragiis omnibus, tamquam præ cæteris dignus, Cathedram Inſtitutionum Juris Civilis obtinuit. Natus eſt in Urbe die 25. Maji anno MDCCXII. in Parochia S. Mariæ Cryptæ Pictæ, e Catholicis, honeſtiſque parentibus Carolo Danieli, & Magdalena Bocchettis, Civibus Romanis, atque die trigeſima ejuſdem menſis ablutus ſacris aquis in Eccleſia Lateranenſi. Carolus ejus pater in lucem venit anno MDCLXXXVII. die 4. Junii, eodemque die Baptiſma ſuſcepit in Eccleſia Parochiali S. Angeli in Foro Piſcium. Franciſcus ejus avus e Civitate Francofurti in Germania venerat ad Ur-

Digitized by Google

bem cum Clara conjuge anno MDCLXXXII. ubi obiit anno MDCCIII.honorifice tumulatus in eadem Eccleſia Sancti Angeli in Foro Piſcium, ut ex certis monumentis, publiciſque Baptiſatorum Tabulis, nobis compertum eſt. Petrus Antonius aliquamdiu uſus eſt diſciplina graviſſimorum Patrum, quos Pios Operarios vocant, quibus a Card. Petro Marcellino Corradino fuerat commendatus, atque adeo profecit, ut adoleſcens, abſoluto ſtudiorum curſu, de rebus Philoſophicis primum coram prædicto Card. Corradino, cui erat acceptiſſimus, diſputaverit, tum de rebus Theologicis coram Card. Camillo Cibo, dato cuilibet argumentandi loco, Theſibus octoginta, ſupra centum ex univerſa Theologia depromptis. Mox, anno MDCCXXXIII. antequam in Gymnaſio publicum docendi munus aſſequeretur, certamen ſubiit pro obtinenda Philoſophiæ Cathedra in Collegio Urbano de Propaganda Fide, eumque ſuffragia Cardinalium, qui certamini præſuerunt, dignum eo munere declararunt. Ejus opera in Auditoris officio uſus eſt Raphael de Girolamo, deinde Cardinalis, cum Sacræ Congregationi, quæ negotiis Epiſcoporum, & Regularium imminet, eſſet a ſecretis. Eodem Auditore uſi ſunt Cardinales Carolus Stampa, & Joſeph Accoramboni, apud quos in magna fuit æſtimatione. In Academia Theologica Urbis, ab anno MDCCXXXVI. pluribus, aſſiduiſque diſputationibus publice habitis meruit Cenſoris officium. In Foro magna cum laude agit Cauſarum Advocatum, atque in Gymnaſio Romano Criminalibus rebus edocendis incumbit.

Darius Guicciardus de Telio Comenſis Diœceſis, poſtquam in Academia Œni-pontis addiſcendæ Juriſprudentiæ dediſſet operam, Romam venit anno Chriſti MDCCXXIV. atque in Romano Gymnaſio Laurea donatus eſt. Tum anno MDCCXXXIII. certamen ſubiit, ſedemque obtinuit in Gymnaſio Legum interpretandarum. Nunc

Nunc tradendis Inſtitutionibus Juris Canonici operam ſuam impendit. Apud Eminentiſſim. Cardinalem Oliverium functus eſt Auditoris munere annis octo; eodemque munere duodecim ab hinc annis fungitur nunc temporis apud ampliſſimum Cardinalem Petrum Aloyſium Caraſa Epiſcopum Albanenſem; illumque uterque Cardinalis ſibi ſocium eſſe voluit, quem *Conclaviſtam* nuncupant, cum ad eligendos Pontifices Summos Clementem XII. & BENEDICTUM XIV. Cardinales in Vaticanis Ædibus convenerunt.

Michael Angelus Petrocchi Piſtorienſis anno Salutis MDCCXXXIX. Romani Gymnaſii Cathedram aſcendit, ejuſque opera, nunc temporis, in tradendis Inſtitutionibus Juris Civilis verſatur.

Silverius Orbinus Romanus ex certamine adlectus eſt publicus Jurium Profeſſor anno MDCCXLVI. atque vices gerit Thomæ Emaldi in explanando Gratiani Decreto.

Digitized by Google

CAPUT VII.

PROFESSORES SACRARUM DISCIPLINARUM.

Sanctus Dominicus ampliſſimi Ordinis Prædicatorum Inſtitutor, primus docuit in Schola Sacri Palatii ab Honorio III. anno MCCXVIII. reſtituta, uti diximus Lib. I. Cap. V. §. v. & uti conſtat diſertiſſimo teſtimonio Joannis de Columna Scriptoris illius ævi, deinde Archiepiſcopi Meſſanenſis, in libro de viris illuſtribus, ubi ait de S. Dominico: *Cum autem eſſet Vir Dei Romæ multi ad ejus ſanam doctrinam convolabant. Legebat enim tunc in publicis Scholis Paulum, ad cujus ſcholas confluebat non modica turba ſcholarium, & etiam Prælatorum, & Magiſter ab omnibus vocabatur . . . ſcripſit autem tunc ſuper omnes epiſtolas Pauli, cujus ſcripta multa ſcientia, & devotione plena adhuc inveniuntur.* Quo teſtimonio relato, doctiſſimus Jacobus Echard in noviſſima acceſſione ad Scriptorum Ordinis Prædicatorum collectionem, ſubdit: *Itaque ex paucis hic relatis ab auctore ſuppari, imo teſte oculato conſtat S. Dominicum & Romæ cum ingenti Auditorum confluxu, & plauſu in publicis Scholis docuiſſe; quod occaſionem dederit inſtituendi Magiſtri Sacri Palatii, ſiquidem ea ætate Scholæ publicæ erant in Sacro SS. D. Papæ Palatio; & eumdem Sanctum, quod nunc nos attinet in S. Pauli epiſtolas omnes ſcripſiſſe.* Poſt S. Dominicum Magiſtri Sacri Palatii, diu, & ſæculo etiam decimo quinto, in ea Schola docuernut; & indubium eſt, veros fuiſſe in Urbe publicos Theologiæ Profeſſores. At quia illorum ſeriem fuſe, accurateque nuper edidit Vir Clariſſimus Joſeph Catalanus in libro de Magiſtro Sacri Palatii; idcirco hic re-

recenſemus dumtaxat Sacri Palatii Lectores, qui præter Magiſtrum Sacri Palatii in ea Schola docuere.

Albertum Magnum ex eodem ampliſſimo Ordine Prædicatorum, virum doctiſſimum, anno MCCLV. veniſſe ad Urbem, ut ſuos, Minoritaſque, quos Doctores Pariſienſes excludere ab Univerſitate conabantur, tueretur, atque ea occaſione, petente Pontifice, docuiſſe in Schola Sacri Palatii, & Evangelium S. Joannis expoſuiſſe ex teſtimonio Cantipatrani ejus diſcipuli diximus Lib. I. Cap. V. §. VI. ita ut Petrus de Pruſſia in Alberti Magni vita aſſerat hunc fuiſſe Lectorem Sacri Palatii, & Jacobus Echard eumdem recenſeat inter Magiſtros Sacri Palatii. Brevi tamen docuit, cum anno Salutis MCCLIX. Comitiis Ordinis Valencenis affuerit. Obiit Albertus pietate, doctrina, libriſque editis clariſſimus anno MCCLXXX. ſeptem annis major octuagenario, ac de eo videndus Jacobus Echard de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum.

Thomas Aquinas ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen e Scholis Colonienſi, & Pariſienſi, ubi Albertum Magnum audiverat, & ipſe docuerat, Romam rediens anno MCCLXI. Urbano IV. Pontifice docuit in Schola Sacri Palatii, tum in Urbe, tum Urbeveteri, Anagniæ, Viterbii, Peruſiæ, ubi Pontifices commorabantur, uti diximus Cap. V. §. VI. Lib. I. Eoque tempore exaravit *Commentarios in Ariſtotelis Phyſicam, Ethicam, & Metaphyſicam: Summam contra Gentiles: Quæſtiones de anima: Expoſitionem libri Job: Officium Feſti Corporis Chriſti: Contra errores Gentilium Tractatum: Catenam auream in quatuor Evangelia: Summam Theologicam*. Anno MCCLXIX. Pariſiis affuit Capitulo generali, ubi iterum docuit uſque ad annum MCCLXXI. cum ad Urbem reverſus eſt, atque ibi rurſus Cathedram aſcendit. Sed anno ſequenti, Carolo Rege accerſente Neapolim adivit, ibique Regio ſtipendio profeſſus eſt uſque ad finem

n em vitæ, annum nempe MCCLXXIV. cum ad ſuperos evolavit, annis natus quadraginta, & octo. De Sancti Thomæ libris laudatus Scriptor Jacobus Echard fuſiſſime agit.

AMBROSIUS SANSEDONIUS Senenſis ex Ordine Predicatorum, poſt quam Pariſiis ſub Alberto Magno ſtuduiſſet, docuit magna cum gloria Coloniæ, & Pariſiis & Romam venit ſub Urbano IV. vel Clemente IV. ibique publice docere juſſus, ſtudia Theologica, calamitate temporum, Friderico Imperatore Apoſtolicam Sedem vexante, extincta reſtituit, uti teſtatur Ugurgerius de Pompis Senenſibus, & Julius Sanſedonius in ejus vita, aliique, ac diximus Cap. v. §. VII. *Lib. I.* Ibi quoque diximus Sanſedonium, non quidem ſub Innocentio Papa IV. ſed ſub Urbano IV. in Urbe publice docuiſſe. Nam cum Innocentius IV. anno MCCXLIV. Lngdunum ſe receperit, nec ad Urbem redierit niſi anno MCCLIII. ubi paululum commoratus Neapolim ſeceſſit, ibique ſequenti anno obiit, hinc turbidis illis temporibus, non potuit Sanſedonio uti ad reſtauranda in Urbe Theologica ſtudia. Quapropter veriſimilius videtur, juxta Jacobi Echardi ſententiam, ſanctum virum vel ſub Urbano IV. vel ſub Clemente IV. Scholas Theologicas Romæ reſtauraſſe. Dum autem eodem fere tempore Thomas Aquinas in Urbe Theologiam docuerit, hinc utrique viro ſanctiſſimo, atque doctiſſimo reſtitutæ Romanæ Theologicæ Scholæ gloriam Scriptores adſcribunt. Plures, eaſque graviſſimas legationes obiit, tandemque e terris migravit anno MCCLXXXV. ejuſque vita a Julio Sanſedonio Epiſcopo Groſſetano, aliiſque conſcripta eſt, tum legitur in Actis Sanctorum To. 3. Martii.

JOANNES PECCAMUS Ciceſtrienſis, Ordinis Minorum in Oxonienſi Academia donatus laurea, ibi & publicum Profeſſorem egit, tum in Univerſitate Pariſienſi Magiſtrum ſententiarum interpretatus eſt; e qua Cathedra

dra illum Romam vocavit Nicolaus III. anno MCCLXXVIII. Lectoremque conſtituit Sacri Palatii, & poſt aliquot annos Archiepiſcopum Cantuarienſem. Scripſit vir doctiſſimus libros quamplures de Sacra Scriptura, Theologia, Jure Canonico, Philoſophia, & Mathematica, quos longa ſerie recenſet Wadingus de Scriptoribus Franciſcanis. Eumdem Wadingus non ſemel laudat in Annalibus Ordinis Minorum.

MATTHÆUS DE AQUASPARTA Tudertinæ Diœceſis, Ordinis Minorum, Lector Sacri Palatii, tum ſui Ordinis Magiſter generalis anno MCCLXXXVII. demum a Nicolao IV. ob ſummam ejus doctrinam Cardinalis renunciatus anno MCCLXXXVIII. Hunc Bonifacius VIII. Legatum conſtituit, ut Civitates plurimas, quæ ſe Pontificis imperio ſubduxerant ad obedientiam reduceret; & ut factiones Alborum, & Nigrorum in Etruria compeſceret: Obiit Romæ ſub Bonifacio VIII. anno MCCCII. jacetque in Eccleſia S. M. de Aracœli. Scripſit *Commentaria in Job: Poſtillas in Pſalmos: Expoſitione in epiſtolas Pauli: Commentaria in quatuor libros ſententiarum: Quæſtiones Quotlibeticas: Pentiloquium de potentia Papæ: Sermones varios: Inventarium ſententiarum*: A Sixto Senenſi in Bibliotheca dicitur: *in ſæculari Philoſophia juxta morem ſui temporis magnifice doctus, & in Divinis Scripturis excellentiſſimus*. Wadingus in Annalibus Minorum, & Ciacconius in vitis S. R. E. Cardinalium.

GUILELMUS DE FALGARIO Toloſanus Ordinis Minorum, Lector Sacri Palatii, poſt obitum Bonegratiæ Miniſtri generalis, fit ſui Ordinis Vicarius generalis, inde Epiſccpus Vivarienſis, circa annum MCCXC. Scripſit contra Petrum Joannem Olivam, & Commentarios Sancti Bonaventuræ in quatuor libros Sententiarum reduxit ad epitomem, uti teſtatur Wadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, & in eorum Annalibus. Hunc tamen

Digitized by Google

Sammarthani vocant Raimundum in Gallia Chriſtiana in Epiſcopis Vivarienſibus.

JOANNES MINIUS ſeu DE MURRO Picenus, Firmanæ Diœceſis, Ordinis Minorum, ſucceſſit in munere Lectoris Sacri Palatii Guilelmo de Fulgario ad Epiſcopatum Vivarienſem evecto, uti Lucas Wadingus in Annalibus Minorum teſtatur. Sed anno MCCXCVI. in Comitiis habitis Anagniæ, præſente Bonifacio VIII. electus eſt Magiſter generalis Ordinis, deinde ab eodem Pontifice anno MCCCII. Cardinalis, & Legatus in Galliam miſſus. Obiit Avenione anno Chriſti MCCCXII. eumque laudant Wadingus in Annalibus, & Ciacconius in vitis Cardinalium.

GENTILIS DE MONTEFLORE Picenus, Ordinis Minorum, Lector Sacri Palatii, a Bonifacio VIII. anno Chriſti MCCXCVIII. adſcitus eſt in Cardinalium Ordinem, atque a Clemente V. miſſus in Hungariam Legatus, ubi optime de Sede Apoſtolica meruit. Obiit Avenione anno MCCCXII. ſcripſitque Homilias, & plura Opuſcula, uti Wadingus in libro de Scriptoribus Ordinis Minorum teſtatur. De eo Wadingus, & Ciacconius.

B. ARNALDUS ex Umbria, Ordinis Minorum, ſucceſſit in munere Lectoris Sacri Palatii Gentili de Monteflore ad Cardinalatum evecto, obiitque anno Chriſti MCCCXIII. uti Jacobillus in vitis Sanctorum Umbriæ tomo 2. pag. 394. teſtatur.

REGINALDUM ex Umbria Franciſcanum ſubrogatum in munere Lectoris Sacri Palatii anno MCCXCVIII. Gentili de Monteflorio ſcribit Wadingus in Annalibus Minorum. Et hunc Cardinalem a Bonifacio VIII. creatum, & Archiepiſcopum Rotomagenſem ſcribunt Petrus Rudolphus, & Gaſpar Jongelinus in Elogiis Cardinalium Ordinis Minorum. At Sammarthani inter Archiepiſcopos Rotomagenſes, & Ciacconius inter Cardinales Reginaldum hunc minime recenſent. Anno MCCCV. Clemens

mens V. Pontifex ſedem Pontificiam Avenionem tranſtulit, ubi hæſit, annis circiter ſeptuaginta. Ibi itaque floruit Schola Sacri Palatii, ibi & Lectores fuere Petrus de Bireto Carmelita, Confeſſarius Clementis VI. & poſtea Epiſcopus Graſſenſis, ac Guido de Perpignano, pariter Carmelita, deinde Epiſcopus Majoricenſis, ut dictum fuit Cap. v. Lib. 1. Quapropter omiſſis Lectoribus Sacri Palatii in Schola Avenionenſi, illos recenſemus, qui in Urbe hoc officio functi ſunt.

Bernardus Aureolus Carmelita, dictus de Ambaſia ab ejus patria in Gallia, poſtquam Pariſiis, & Toloſæ Theologiam, Sacraſque Litteras docuiſſet, variiſque apud ſuos functus eſſet muneribus, teſte Poſſevino, fuit Romæ Sacri Apoſtolici Palatii Lector, ac denique Cardinalis. An vero a Pontifice, vel ab Antipapa hanc dignitatem acceperit, incertum dicit Lezana in Annalibus Carmelitarum ad annum mcccxc. Verum cum Aureolus circa hunc annum,& Romæ egiſſe Lectorem Sacri Palatii dicatur, veriſimilius eſt a Pontifice auctum fuiſſe hac dignitate. Lezana teſte, fuit vir doctiſſimus, ſcripſitque in epiſtolam Divi Jacobi librum unum, in Canonicam S. Joannis librum unum, Sermones æſtivales librum unum, Hyemales librum unum, Quadrageſimales, Collationes varias. De eo Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Bicarretus.

Theodorum Beneventanum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, qui in Gymnaſio Salernitano egerat Philoſophiæ Profeſſorem, ac annis decem Peruſiæ docuerat ſuos Metaphyſicam Ariſtotelis, tum in Romana Univerſitate publicum Theologiæ Profeſſorem memorat Gianus in Annalibus Servorum B. M. ad annum Domini mcdiii. Lib. 4. Cap. 8. additque edidiſſe illum in libros Sapientiæ Commentarios.

Matthæus de Finario Ligur, Ordinis Prædicatorum, in Capitulo generali ſui Ordinis celebrato an-

no MCDXLII. adlectus eſt ad legendum Sententias in Sacro Palatio, uti teſtatur Vincentius Fontana in Theatro Dominicano. Et Oldoinus in Athenæo Liguſtico dicit ſcripſiſſe *Commentaria in plures Sacrorum Bibliorum partes, & in libros Sententiarum*.

Bartholomeus Penades Hiſpanus ex Ordine Prædicatorum, in Capitulo generali Divione coacto anno MCDXLIV. munus accepit legendi in Palatio Apoſtolico Sententias, uti idem Fontana teſtatur. Hunc fuiſſe virum religione, & eruditione conſpicuum, variiſque apud ſuos functum muneribus ſcribit Jacobus Echard To. I. de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum. Dicitur ſcripſiſſe *Volumen de Hæreſibus, Hæreticiſque ſuorum temporum*.

Ludovicum Vincentium Hiſpanum Ordinis Prædicatorum electum Sacri Palatii Lectorem in Capitulo crlebrato anno MCDLVI. in Civitate Montiſpeſſulani teſtantur Fontana, & Fernandez.

Joannes de Candido Siculus, Ordinis Prædicatorum Baccalaureus, Lector Sententiarum in Schola Sacri Palatii ſub Sixto IV. anno MCDLXXII. uti ex Regeſtis Ordinis refert Fontana.

Joannes Augustini de S. Miniate, Ordinis Prædicatorum, eodem anno, eidem muneri addictus, ut ex Regeſtis refert Fontana: *F. Joannes Auguſtini de S. Miniate fuit inſtitutus, & aſſignatus in Baccalaureum pro forma, & gradu Magiſterii pro ſecundo anno in Schola Sacri Palatii cum gratiis & libertatibus conſuetis. Prati ultima Auguſti MCDLXXIV*.

Joannes Clerici ex Ordine Prædicatorum eodem tempore Profeſſorem extra ordinem agebat in Schola Sacri Palatii, uti eadem Regeſta teſtantur: *Fr. Joannes Clerici Conventus Brugellenſis fuit inſtitutus Baccalaureus extraordinarius Univerſitatis Sacri Palatii pro gradu, & forma Magiſterii xvii. Junii MCDLXXIV*.

Pe-

Digitized by Google

Petrus Ploger Theutoniæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum, Baccalaureus Palatii Apoſtolici ſub Sixto IV. ex iiſdem Regeſtis: *F. Petrus Ploger Baccalaureus Apoſtolici Palatii de Conventu Francofordienſi, qui a Summo Pontifice habuit habilitationem ad Beneficia Eccleſiaſtica, habuit licentiam morandi extra ordinem, & officiandi, & eleemoſynas recipiendi; & nullus inferior moleſtet. Peruſiæ iij. Auguſti MCDLXXIV.*

Geminianus Laurentii Florentinus Ordinis Prædicatorum, Sacras Scripturas in Schola Sacri Palatii interpretabatur anno mcdlxxiv. uti Regeſta Ordinis Prædicatorum a laudato Vincentio Fontana producta teſtantur.

Marcus Vigerius Savonenſis, Ordinis Minorum, Urbani Vigerii, & Nicolettæ Groſſæ Sixti IV. proneptis filius, ab eodem Pontifice conſtitutus eſt Regens Patavini Studii, tum in Romana Univerſitate Profeſſor Theologiæ, denique Epiſcopus Senogallienſis anno Chriſti mcdlxxvii. Eumdem Julius II. conſtituit Molis Adrianæ Præfectum, & anno mdxv. Cardinalem Tituli S. Mariæ ad Tranſtiberim, tum Legatum contra Alphonſum Ferrariæ Ducem. Scripſit Apologiam contra Conciliabulum Piſanum; tum alium librum, cui *Decacordi* titulum dedit; & de lancea ac veſte Chriſti, de Annunciatione Beatæ Virginis, & alia plurima, quæ recenſent Ciacconius in vitis Cardinalium, & Wadingus de Scriptoribus Franciſcanis. Obiit Epiſcopus Præneſtinus Romæ anno mdxvi. ſeptuagenarius, jacetque in ſuo Titulo. De eo Ughellus in Epiſcopis Senogallienſibus, & Folietta de Clar. Ligur.

Thomas de Vio a patria dictus Cajetanus, Ordinis Prædicatorum, Theologus præclariſſimus, juvenis annorum viginti trium docuit in Patavino Gymnaſio anno mcdxci. tum Ticini, publico ſtipendio, deinde Romæ, ſimulque fuit Procurator Generalis Ordinis anno mdi. de

quæ

Digitized by Google

qua re ita ſcribit Jacobus Echard Tom. 2. Script. Ordin. Prædic. *Hoc munus & alterum eidem adjunctum Profeſſoris in Sapientia Romana publici ſeptem annis ſolidis egregie tutatus eſt, Summis Pontificibus Alexandro VI. & Julio II. totique Aulæ acceptiſſimus*. Anno MDVII. electus eſt Vicarius generalis Ordinis, & anno ſequenti ſupremus Ordinis Moderator, eo in munere præclare meruit, cum agebatur de convocando contra Julium Papam II. Concilio Piſano, & cum ab eodem Pontifice convocatum eſt Concilium Lateranenſe. Quare eum Leo X. anno MDXVII. inter Cardinales adſcripſit, tum Legatum in Germaniam miſit, tum ad expeditionem in Turcas excitandam, tum ad Lutherum reprimendum. Ab Adriano VI. rurſus Legatus miſſus eſt in Pannoniam, ut Ludovico Regi a Turcis oppreſſo ferret ſuppetias. In Urbe obiit anno MDXXXIV. ætatis ſuæ LXVI. jacetque in Eccleſia S. M. ſuper Minervam. Ejus vitam ſcripſere Johannes Flavius, & Antonius Fonſeca. Edidit Commentarios in omnes fere Sacræ Scripturæ libros, in Evangelia, Epiſtolas Pauli, Acta Apoſtolorum, tum etiam in Summam S. Thomæ, & Tractatus plurimos de variis materiis in tres tomos diſtributos. Quæ omnia illius Opera accurate recenſet Echard Tom. 2. Script. Ord. Prædicatorum.

JOANNES LUDOVICUS VIVALDUS Pedemontanus, Ordinis Prædicatorum claruit ineunte ſæculo decimo ſexto publicus Theologiæ Profeſſor Patavii, & Romæ, uti teſtatur Ghilinus in Theatro Litteratorum, etſi hæc illius munera Jacobus Echard minime memoraverit. Is tamen de Vivaldo ſcribit fuiſſe in Sacra Theologia, Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum lectione aſſidue verſatum, S. Thomæ doctrinæ multum addictum, ſui ævi Principibus imprimis acceptum, Ludovico XII. Francorum Regi, Mediolanenſium Duci, & Ludovico Marchioni Salutiarum, cui a conſiliis erat, & a ſacris Confeſſionibus, & cujus

cujus impenſis pleraque illius opera prodiere. Hunc refert Fontana in Theatro fuiſſe nominatum Epiſcopum Arbenſem anno MDXIX. atque in ea dignitate obiiſſe. Ejus opera recenſentur a Jacobo Echard to. 2. Script. Ord. Prædic. eaque ſunt: *De veritate contritionis Tractatus: De cognitione electorum a reprobis: De duodecim perſecutionibus Eccleſiæ Dei: De magnificentia Salomonis, & quid ſentiunt Doctores Catholici de ſtatu animæ ejuſdem: De duplici cauſa contritionis: De laudibus, ac triumphis trium liliorum, quæ in ſcuto Regis Chriſtianiſſimi figurantur: Nova Explanatio ſeptem Pſalmorum pœnitentialium: Epiſtola ad Fr. Angelum de Carlelis Ordinis Minorum de Conceptione Beatæ Virginis: Tractatus de pugna partis ſenſitivæ, & intellectivæ, ſeu Epiſtola conſolatoria ad Margaritam de Fuxo ob mortem Ludovici Marchionis Salutiarum ejus viri: Epiſtola de laudibus Ludovici Marchionis Salutiarum.*

CYPRIANUS BENETUS ſeu Benedictus, uti vocatur a Nicolao Antonio in Bibliotheca Hiſpana, natione Aragonus, patria Albeldenſis, profeſſione Dominicanus, Romæ anno MDXXI. Sacras Litteras in Gymnaſio profitebatur, uti teſtatur Scriptor coævus Bernardus de Lutzemburgo in Catalogo Hæreticorum Lib. 5. agens de Luthero, his verbis: *Prætereundum non eſt, quod factum eſt Romæ anno* MDXXII. *die xii. Junii hora x. ſecundum noſtrum horologium in campo Agonis coram infinita multitudine hominum utriuſque ſexus, ubi erecta erat machina: ab una parte fuit depictus Martinus in habitu Monachi, ab altera parte fuit ſcriptum in tabellis: Martini Lutheri hereſiarchæ doctrina hæretica declarata, & reprobata: & paſſim libri ejus fuerunt affixi, & coram hac machina præhabita fuit* Oratio, *& declaratio ſententiæ per Venerabilem Patrem Cyprianum Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Doctorem, Lectorem legentem in Sapientia de domo Vicarii Papæ. Ignis quo-*

que

que cum machina compoſitus fuit, *& accenſus per ſbirros*, *ideſt familiares inferiores Vicarii Papæ*, *& ſic libri cum imagine auctoris aduſti ſunt*. Ejus opera recenſet Jacobus Echard Tom. 2. pag. 49. eaque ſunt: *Illuſtrium virorum opuſcula*, quo volumine continentur quædam Athanaſii, Didymi, Caſſiodori, & aliorum lucubrationes: *De Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento & de ejuſdem Miniſtro ad Julium II. Clara & compendioſa introductio ad Logicam*: *Tractatus quatuor de prima Orbis Sede*, *de Concilio*, *de Eccleſiaſtica poteſtate*, *de Pontificis Maximi auctoritate*: *De non mutando Paſchate*: *Aculeus contra Judæos*: *Dialogus de excellentia*, *& utilitate Theologiæ*: *De Caroli V. præeminentia*, *& clementia*: *Exhortatorium de accelerando itinere ad Hadrianum VI.* Ejus mentionem faciunt Ludovicus Jacob in Bib. Pontif. Pius, Fernandez, & Jacobus Echard.

Silvester Mozolinus vulgo dictus de Prierio a loco ſuæ originis in Comitatu Aſtenſi, natus eſt anno Domini MCDLX. ac annorum quindecim Ordini Prædicatorum nomen dedit, tum Bononiæ apud ſuos, deinde Patavii in publico Gymnaſio docuit, variiſque apud ſuos functus muneribus, a Julio II. Romam accitus eſt anno MDXI. ut in Gymnaſio Romano Theologiam publice profiteretur. Anno MDXV. extincto Joanne de Rafanellis Ferrarienſi Sacri Palatii Magiſtro, Prierius in ejus locum ſubrogatus eſt a Leone X. eoque munere functus eſt uſque ad annum MDXXXIII. cum graſſante in Urbe peſte, ſupremum obiit. Sua Opera ipſemet recenſet in calce *Conflati* ſui, eaque ſunt: *Commentarius in Sphæram*: *In Theoricas Planetarum*: *Textus Dialecticæ*: *Epitoma Capreoli*: *Aurea Roſa*, *ſeu Expoſitio ſuper Evangelia totius anni tam de tempore*, *quam de Sanctis*: *Summa Sylveſtrina*: *De ſublevatione infirmantium*: *Breve Compendium de ſecundis intentionibus*: *Tractatus de exorciſmis*

ciſmis : *Opuſculum de judicio temerario* : *Definitiones omnium legum* : *Conſilium de monte pietatis* : *Conſilium de pacto retrovendendi* : *Sermones* : *Opuſculum de immolatione agni ſpiritualis*, *& ſacrificio novæ legis*: *Malleus contra Scotiſtas* : *De irrefragabili auctoritate Romanæ Eccleſiæ Romanique Pontificis contra Martinum Lutherum Libri tres* : *Errata*, *& argumenta Lutheri recitata*, *detecta*, *& copioſiſſime trita* : *Epitoma reſponſionis ad eumdem Lutherum* : *Conflatum ex doctrina D. Thomæ* : & alia quædam Italico ſermone. Addit Jacobus Echard Prierium edidiſſe *De Strigimagarum*, *dæmonumque mirandis libros tres*, *una cum praxi exactiſſima & ratione formandi proceſſus contra ipſas* : *Dialogum de S. Paulo primo Eremita* : *Vitam S. Agnetis de Montepolitiano*. Nonnullos vero libros falſo ei adſcribi probat laudatus Echard. De Prierio fuſe agit Leander ejus diſcipulus, aliique Dominicani Scriptores, tum etiam Ghilinus in Theatro Litteratorum, & Pappadopoli de Gymnaſio Patavino.

Octavius Pagatus Brixienſis Ordinis Servorum B. M. publicus Profeſſor ſub Leone X. uti teſtatur Gianus in Annalibus ad annum MDLXVI. his verbis: *Hic ab incunabulis Pomponium Lætum habuit Magiſtrum*, *quo duce in humanioribus primum valde eruditus evaſit*, *gravioribus deinde ſtudiis intentus*, *Pariſios conceſſit*, *ubi tam diu litteris operam navavit*, *quoad Sorbonicam lauream ſui Magiſterii*, *poſtquam de ſe egregium præbuiſſet periculum accipere mereretur*. *Doctor igitur Pariſinus in Italiam remeavit*, *cumque in omni genere ſcientiarum eſſet apprime excultus*, *temporibus Leonis X. ab Antonio de Monte Card. Protectore Romam adſcitus*, *Cathedra in Romana Sapientia ab eodem Summo Pontifice donatus fuit*, *ubi quantum diu legendo profeciſſet*, *teſtes ſunt omnes illius temporis viri doctiſſimi*, *qui illum tamquam aſylum*, *& litterarum oraculum adibant*, *&*

ob ſuas eximias virtutes Pantagatum appellabant. Cui ob elegantiam ſcribendi Guilelmus Sirletus, qui poſtea fuit Cardinalis plurimum deferebat. In hiſtoriis conſcribendis, tam excellens habitus, ut Chronographus ab Antonio Poſſevino in Bibliotheca ſelecta de Hiſt. Lib. 16. *Cap.* 10. *valde laudatus, & approbatus fuerit. A quo Onufrius Panvinius cum Romanas antiquitates imprimeret, mutuatus eſt plurima. Paulus vero Manutius in epiſtolis ſuis eum noſtri ſaeculi Varronem appellat: Joanni Salviato Cardinali adeo charus, ut ejus opera a Summo Pontifice Abbas Mazarienſis, qui locus Siciliae eſt, inſtitueretur. Inſuper Antonius Muretus ejus conſuetudine maxime delectabatur, qui in Commentariis ſuper Catullum, illum in omni genere honeſtarum artium excellentem vocat, quod multa veterum Poetarum loca depravata emendaverit.* Obiit in Urbe anno MDLXVI. tribus annis major ſeptuagenario.

Dionisius Lavrerivs Beneventanus, Ordinis Servorum B. M. Virginis, nedum Conciones habuit in praecipuis Italiae Civitatibus, ſed etiam publice docuit Peruſiae, Bononiae, & Romae. Cuius tanta fuit fama, ut ex Urbe hac in Angliam reverſo Thoma Crammero, Henricus VIII. Rex Angliae hunc in locum Crammeri ſubrogaverit, qui ſua negotia apud Clementem VII. Pontificem ageret, datis hiſce ad Pontificem litteris, quas refert Ciacconius: *Cum iſtic venerabilis, ac religioſus P. Dionyſius Ordinis Servorum S. M. Italus, vir certe, ut ex nonnullis indiciis perſpeximus multa probitate, ac virtutibus ornatus, & eximius Sacrae Theologiae Profeſſor, imprimiſque de nobis benemerendi cupidus: Veſtram Sanctitatem impenſe rogamus, ut praefatum officium, vel in ſubrogationis modum, vel alio quopiam nomine praefato Fr. Dionyſio in noſtram gratiam conferre velit: qua in re Veſtra Sanctitas hominum multis virtutibus decoratum exornabit, & nobis rem*

rem gratam faciet. Quare idem Pontifex in celebri illa Henrici cauſa Laurerium in Angliam ablegavit. Romam reverſus ſupremus ſui Ordinis Moderator electus eſt. Eundem Paulus III. ad Jacobum Scotiæ Regem miſit anno MDXXXVI. ut ageret de convocatione Concilii generalis. Denique ab eodem Pontifice, anno MDXXXIX. adſcriptus eſt inter Cardinales, tum creatus Urbinatium Epiſcopus. Obiit Romæ anno MDXLII. ſepultus in Eccleſia Sancti Marcelli. De eo Gianus in Annalibus Servorum Beatæ Virginis, Ughellus in Italia Sacra, Ciacconius in vitis Cardinalium.

DOMINICUS DE MONTE Veronenſis, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis ſucceſſit Dionyſio Laurerio in Cathedra Theologiæ, uti teſtatur Gianus in AnnalibusServorum ad annum MDXLIII. qui ejus doctrinam plurimum commendat. Edidit *Placitorum in Philoſophia delineamenta*.

CYPRIANUS DE ROMA Romanus, Ordinis Prædicatorum, publicus in Urbe Theologiæ Profeſſor indicatur a Jacobo Echard Tom. 2. Script. Ord. Prædic. pag. 121. his verbis: *F. Cyprianus de Roma Romanus in Collegio Romano vulgo* la Sapienza *primarius Sacræ Theologiæ Profeſſor, medio circiter ſæculo XVI. floruit, & tertius fuit e quinque Theologis, quos in unum collegit Paulus Papa III. anno* MDXLIII: *& de Lutheri aſſertis juſſit cenſuram ferre. Sic ex Hiſtoria Concilii Tridentini a Pallavicino adornata refert Fontana in Monum. ad annum dictum, & ex eo Altamura ad* MDXLVI. *nec alia Cypriano huic adſcribunt Opera*.

JACOBUM LAINEZ Societatis Jeſu, ſocium S. Ignatii docuiſſe Theologiam in Gymnaſio Romano juſſu Pauli Papæ III. Maffeus in vita S. Ignatii teſtatur. Ab Alegambe in Bibl. Script. Soc. Jeſu dicitur *vir omnibus numeris abſolutiſſimus, ingenio maximo, judicio acerrimo, excellenti memoria, prudentia ſingulari, innocentia, &*

Digitized by Google

& vitæ ſanctimonia admirandus, modeſta affabilitate, manſuetudine, morum ſuavitate ſupra quam dici poteſt amabilis. Succeſſit S. Ignatio in ſupremo Societatis regimine. Anno MDLXI. a Pio V. miſſus eſt in Galliam cum Hippolyto Eſtenſi Cardinale, ut hæreticos reprimeret. Ad Concilium Tridentinum ter profectus eſt a Paulo III. Julio III. & Pio IV. miſſus, tamquam Sedis Apoſtolicæ Theologus, in eo Conventu inſigniter claruit. Abſoluto Concilio Romam rediit, obiitque MDLXV. ætatis ſuæ quinquageſimo tertio. Scripſerat, teſte Alegambe, de Providentia, de Trinitate, Prolegomenon in univerſam Scripturam, Indicem illuſtrium Sententiarum, de Cambiis, de Uſuris, de pluralitate Beneficiorom, de ornatu mulierum, de Regno Dei, de uſu Calicis. Sed hæc Opera haud edita ſunt. Huic vero Alegambe tribuit magna ex parte doctrinam Conc. Triden. de Sacramento Ordinis, de gratia, & juſtificatione.

PETRUS FABER Sabaudus natus anno MDVI. poſtquam Pariſiis Philoſophiæ, ac Theologiæ operam dediſſet, ſe ſocium S. Ignatio Lojolæ inter primos addixit. A Paulo Papa III. juſſus eſt Sacras Scripturas in Gymnaſio Romano interpretari, uti Maffeus in vita S. Ignatii teſtatur; & ab eodem Pontifice in Germaniam ablegatus, tum juſſus ad Concilium Tridentinum ſe conferre, obiit anno MDXLVI.

JACOBUS PHILIPPUS LANDROFILUS Ferrarienſis, Ordinis Servorum B. M. Virginis publicum in Urbe Profeſſorem egit Theologiæ, uti teſtatur Auguſtinus Superbus in libro de viris illuſtribus Ferrarienſibus. Anno MCDXCVI. electus fuit Procurator generalis in locum Andreæ de Peruſio, quem ex Procuratore generali, & publico Philoſophiæ Profeſſore Alexander VI. conſtituerat Vicarium Ordinis; quique ſequenti anno electus eſt Prior generalis. A Giano Lib. 6. Ann. Cent. 3. Cap. 4. Landofilus recenſetur inter illos ſui Ordinis Theologos, qui Lu-

Lutheri dogmata confutarunt: Obiit anno MDXXVII. de quo Gianus: *Ferrariæ mortuus eſt Jacobus Landrophilus Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Orator facundus, qui plures annos Romæ coram Summis Pontificibus ſuam eloquentiam orando, & doctrinam Sacras Litteras publice interpretando conſpicuam fecerat*. Addit collegiſſe illum plura ad Hiſtoriam ſui Ordinis ſpectantia.

FELIX PERETTUS Picenus Ordinis Minorum Conventualium, poſtea Sixtus V. Pontifex Maximus, Theologiam in Romano Gymnaſio publice docuit, uti teſtatur Lelius Peregrinus in Oratione funebri, quam habuit in Baſilica Liberiana, Sixto V. defuncto. Natus eſt anno MDXXI. atque adoleſcentulus Franciſcanæ Familiæ nomen dedit, cumque in Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudiis, & in Concionibus plurimum excelleret, Romam veniens inter Conſultores Sancti Officii adſcitus eſt, tum Inquiſitoris munere Venetiis functus, deinde cum Hugone Bomcompagno, qui poſtea Gregorius XIII. fuit, in Hiſpaniam abiit, ut Bartholomæi Carranzæ Archiepiſcopi Toletani cauſam diſcuteret, rediens ad Urbem a Pio V. Vicarius generalis ſui Ordinis, tum Epiſcopus Agathenſis, Firmanus, & Cardinalis anno MDLXX. renunciatus eſt. Mortuo Gregorio XIII. Pontifice anno MDLXXXV. ad ſupremam Eccleſiæ Sedem aſcendit, cui præſuit uſque ad annum MDXC. maxima cum nominis ſui gloria.

ÆGIDIUS Carmelita legitur in Catalogis Profeſſorum ſub Paulo III. annis MDXXXIX. & MDXLII. Profeſſor Theologiæ.

AMBROSIUS QUISTELLIUS Patavinus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini docuit in Romano Gymnaſio Theologiam annis MDXXXIX. & MDXLII. Pontifice Paulo III. De eo ita ſcribit Pamphilus in Chronica Fratrum Eremitarum S. Auguſtini: *Ambroſius Quiſtellius Patavinus, Ordinis Procurator, & in Italia, abſente Hieronymo*

nymo Seripando, Vicarius generalis, divina, humanaque ſapientia prudentiſſimus, & in ſuggeſtis concionator eximius, Religionem Auguſtinianam ſuis preſtantiſſimis virtutibus quamplurimum exornat. Is in Epiſcopatu Patavino legit magna Auditorum frequentia primum D. Pauli epiſtolas, deinde Evangelium ſecundum Joannem tanta quidem ſuavitate ſermonis, tanta facundia, ut nemo audientium non vehementer obſtupeſceret: & ad publicum Gymnaſium adſcitus, ibi tot honores aſſecutus eſt, quot quiſque deſiderare poſſet. Romæ demum, dum manſiſſet apud Nicolaum Rodulphum Florentinum Cardinalem ampliſſimum præceptor, & doctor, podagræ doloribus immenſis excruciatus obiit anno MDXLIX. *die* IX. *Julii. Edidit opus adverſus Philoſophos, eos ſcilicet, qui aſſerunt Divinam Scripturam nequaquam poſſe percipi, niſi ab his, qui bonæ vitæ partem in Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum lectione contriverint: quod Franciſco Piſano Cardinali, & Epiſcopo Patavino dicavit. Inſuper ſcripſit libellum de modo prædicandi Evangelium. Item Tractatum de Controverſia inter Doctores Eccleſiaſticos de unica ſive tribus Mariis. Compoſuit quoque quatuor libros Commentariorum ſuper Magiſtrum Sententiarum. Item Lectiones in omnes D. Pauli epiſtolas, & ſermones varios. Edidit præterea in libros Ariſtotelis de Generat. & Corrupt. docta quædam Commentaria. Quæ omnia Romæ aſſervantur iu Archivo Ordinis. Is Ambroſius, unus ſemper apud Pont. Max. Paulum* III. *idoneus viſus eſt ad placandam Germaniam ab Eccleſia Catholica diſſidentem, & eo tandem profectus eſſet, niſi domeſtica podagrarum neceſſitate laboraſſet.* De eo Pappadopoli in Hiſtoria Gymn. Patav. & Thomas Herrera in Alphabeto Auguſtiniano.

Jacobus Jacomellus Theologiam profitebatur, ſub Paulo III. anno MDXLVIII. & ſequenti, atque florenos 283.

283. accipiebat. Is fuit Romanus, electuſque Epiſcopus Bellicaſtrenſis non anno MDXLII. uti ſcribit Ughellus; ſed fortaſſe anno MDL. Interfuit Concilio, tum ſe abdicavit Epiſcopatu, eique ſucceſſit in Epiſcopatu Bellicaſtrenſi Cæſar Jacomellus fratris filius, qui etiam in Romano Gymnaſio, iiſdem annis, Logicam profeſſus eſt. De iis Ughellus.

JOANNES BAPTISTA CALDERINUS Veronenſis Ordinis Servorum B.M.Virginis, iiſdem annis, Theologiam ſimulque Metaphyſicam profitebatur de quo egimus cum de Profeſſoribus Philoſophiæ.

ANTONIUS GANGUTIA Siculus iiſdem annis publicus erat Theologiæ Profeſſor. Memoratur a Mongitore in Bibliotheca Sicula, ac dicitur edidiſſe Opus, cui titulus: *Liber ſcintillarnm Opus Ven. Bedæ Presbyteri Doctoris Theologique celeberrimi, nuper inventum, & a Rev. Antonio Gangutia Siculo S. Theologiam in Almæ Urbis Gymnaſio publice profitente caſtigatum, inſtauratum, & auctum, ac ab infinitis pene errorum monſtris enixiſſimo labore vindicatum, cum annotationibus ſeu brevibus quibuſdam declarationibus in titulorum intelligentiam, necnon atteſtationibus locorum in capitulis citatorum, & multis aliis, quæ in ipſo exemplari deerant, ab eodem Antonio ad legentium utilitatem editis, atque adjectis.*

ANTONIUS MARINARIUS Procurator generalis Ordinis Carmelitarum, iiſdem annis, Theologiam publice docebat. Is a Lucio Belga in Bibliotheca Carmelitarum dicitur Doctor celeberrimus Theologiæ, acris, & vehementis ingenii, eximiæ eloquentiæ, & in Divinis Scripturis verſatiſſimus, qui interfuit Concilio Tridentino atque quinquaginta Hæreticorum errores confutavit, quique librum ſcripſit *de Conſonantia Jeſu & Prophetarum*. Diverſus ab alio Antonio Marinario Carmelita, qui ſequente ſæculo Metaphyſicam in Gymnaſio docuit,

de

de quo diximus, cum de Profeſſoribus Philoſophiæ.

Christophorus Patavinus Procurator generalis Ordinis S. Auguſtini, iiſdem annis MDXLVIII. atque MDXLIX. publicus erat in Gymnaſio Theologiæ profeſsor. Is clari nominis Theologus docuerat Bononiæ, & Patavii, atque anno MDXLIV. electus eſt Procurator generalis, tum in eodem munere confirmatus, deinde anno MDLI. Prior generalis, præfuit univerſo Ordini annis decem & octo, cum vivis diſceſſit, ætatis ſuæ ſaxageſimo nono. De quo Pamphilus in Chronica: *Anno Domini 1569. Chriſtophorus Prior generalis moritur Romæ, die quarta Februarii, ætatis ſuæ anno ſexageſimo nono, Vicariuſque generalis a Pio V. Pon. Max. conſtituitur Thadæus Peruſinus Ordinis Procurator. Chriſtophorus fuit quidem Theologus, & Philoſophus inſignis, & vitæ innocentia & morum ſanctimonia clariſſimus.* Addit ſanctiſſime obiiſſe, atque in ejus ſcrinio repertos fuiſse tractatus, vel potius Conſilia Romæ in Congregationibus & Tridenti in Concilio habita, de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, de Sacrificio Miſsæ, de Penitentia de Extrema Unctione, de Voto ſolemni, de Epiſcoporum reſidentia, atque extare Orationes, quas habuit. Js etiam fuit ex illorum Theologorum numero, qui emendando Gratiani Decreto operam ſuam contulerunt. Thomas Herrera in Alphabeto Auguſtiniano.

Albertus de Cataro iiſdem annis Theologiam publice profitebatur, ſtipendio florenorum viginti ſeptem ſupra ducentos. Is fuit Albertus Duemius de Gliricis, Ordinis Prædicatorum, qui ab ejus patria in Dalmatia, vulgo dictus eſt *de Cattaro*. Dicitur a Jacobo Echard *eximiæ vir eruditionis, & religionis, qui magnum ſibi fecit in Concilio Tridentino nomen, cujus & Palavicinus in Hiſtoria Concilii non ſemel cum laude meminit*. Atque teſtatur Palavicinus, cum de communione ſub utraque ſpecie, & infantium ageretur, ſtuduiſſe

ne

ne uſus ſervatus a Græcis InſularumCypri &Cretæ adhærentibus Eccleſiæ damnaretur . A Paulo III.anno MDXLV. delectus eſt ex quinque Theologis unus , qui efformatum a Patribus Tridentinis decretum *de Juſtificatione* , miſſumque ad Pontificem, auctoritate Sedis Apoſtolicæ probarent , antequam promulgaretur . Creatus deinde eſt a Paulo III. Epiſcopus Modruſienſis , deinde ad Veglenſem in Sclavonia ſedem ſuffraganeam Jaderenſi Metropolitæ translatus : quo titulo ſub Pio IV. interfuit ſeſſionibus XVII. & ſequentibus Concilii Tridentini , Orationemque habuit ad Patres in ſolemnitate S. Dominici anno MDLXII. Ejus cura editus eſt Tractatus de Conceptione B. M. Virginis a Joanne de Turrecremata compoſitus cum hoc titulo: *Tractatus de Conceptione B. M. Virginis a Joanne deTurrecramata Ord. Prædic. anno* 1437. *inConc. Baſileenſi juſſu Patrum ſcriptus, atque Romæ editus* 1547. *curante J. Alberto Duimio tunc in Collegio Romano vulgo* La Sapienza *S. T. & Scripturæ interprete , & Profeſſore publico juſſu Pauli Papæ III.* Unde patet ab anno MDXLVII. Albertum fuiſse publicum Profeſſorem . Plura de eo Echard.

THEOPHILUS Ordinis Prædicatorum legitur in Catalogis Profeſſorum anno MDXLIX. Profeſſor Theologiæ Paulo III. Pontifice. Is fuit Theophilus de Tropea, de quo Fontana in Theatro Dominicano de Commiſſariis S. Inquiſitionis hæc refert: *Primus Generalis Commiſſarius a Papa Paulo III. cum Sacræ Cardinalium Congregationis inſtitutione creatur ad inſtantiam Cardinalis Joannis Petri Carafæ P.F. Theophilus de Tropeia anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo . Fuit Theophilus natione Calaber, in Regio Conventu S. Dominici de Neapolis ad Ordinem receptus , in ſacris Litteris , ac Theologia verſatiſſimus , unuſque ex Doctoribus Collegii Theologorum Neapolitanæ Univerſitatis , ab eodem Cardinale Carafa in Theologum aſſumptus, qui demandatam*

ſibi Generalis Commiſſarii provinciam ſummo zelo, ac pietate adimplevit annis novem. Tandem humanæ fragilitatis debitum perſolvit, menſe Junio, anno a Virgineo partu milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo ad noſtram S. Mariæ ſuper Minervam Eccleſiam pro ſepultura delatus.

Matthæus Guerra Theologiam profitebatur anno MDXLIX. Pontifice Paulo III. Is patria Conſentinus, doctus Theologus dicitur a Toppio in Bibliotheca Neapolitana, quique in Concilio Tridentino claruit, electus eſt Epiſcopus Fundanus anno MDLXVII. tum anno MDLXXVI. translatus ad Eccleſiam S. Marci in Calabria, ubi deceſſit poſt duos annos.

Gregorius Patavinus Procurator generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Theologiæ Profeſſor ſub Julio III. de quo ita ſcribit Pamphilus in Chronica: *Gregorius Patavinus ita cum ſacræ Theologiæ ſtudiis, ſcientiarum omnium ſuppellectilem, & eloquentiæ ornamenta conjunxit, ut Romæ, ubi multas coram Sanctiſſimo Senatu habuit orationes, ingentem ſibi ſapientiæ, & eloquentiæ gloriam adeptus ſit. Is licet excellentis ingenii vir, multarumque ſcientiarum copia præditus, ut per omnium noſtræ familiæ dignitatum gradus ab Ordinis uſque in Romana Curia procurationem, ſummum pene in Religione magiſtratum aſcenderit, quibuſdam tamen ſui genii miſeris conditionibus cum in eo munere vix quadriennio permanſiſſet, ex auctoritate P. G. Chriſtophori Patavini in Comitiis Arimini congregatis magiſtratus ei abrogatus eſt. Clarus fuit in Concilio Tridentino ſub Pont. Max. Paulo III. Romæ in Accademia, quam Sapientiam vocant, Divinas Litteras edocuit. Scripſit orationes aliquot, Romæ, & alibi habitas. Deceſſit Romæ die 27. Auguſti 1555. in Templo S. Auguſtini ſepultus.* A Scardeon in Hiſt. Patav. dicitur celeleberrimus Concionator. Fuſe de eo ſcribit Thomas Her-

Digitized by Google

Herrera in eruditiſsimo ſuo Alphabeto Auguſtiniano.

Joannes Baptista Rubeus Ravennas Ordinis Carmelitarum, Græce, & Latine doctus, publicus Profeſſor Theologiæ, cujus cum multa laude meminit Hieronymus Rubeus in Hiſt. Rav. L. 9. Electus eſt ſuorum Prior Generalis anno MDLXIV. Scripſit Commentaria in libros Sententiarum, atque in Epiſtolam Pauli ad Galatas, & in libros Phyſicorum Ariſtotelis, & plura Theologica Conſilia, uti teſtatur Lucius Belga in Bibliotheca Carmelitarum. Obiit MDLXVIII.

Hieronymus Vielmus Venetus ex Ordine Prædicatorum, dicitur a Jacobo Echard *vir ætate ſua ſingulari eruditionis laude conſpicuus, plurimiſque animi dotibus ornatus, & virtutibus, quibus & clarum ſibi nomen fecit, nec vulgarem attulit Ordini ſuo, patriæque claritatem*. Docuit in Patavino Gymnaſio Metaphyſicam, ac Theologiam, tanta fama, ut eum Pius IV. ad Sacras Scripturas in Romano Gymnaſio interpretandas accerſiverit anno MDLX. Ejus ſtipendium aureis ducentis conſtabat. Viros eximios habuit Patavii, Romæque diſcipulos, in quibus & ipſe fuit Carolus Borromæus Summi Pontificis ſororis filius, qui Hieronymum amore ſingulari proſequebatur, & apud Pontificem egit, ut Argolicenſis Epiſcopus in Peloponenſo crearetur die 17. Martii MDLXIII. Tum interfuit Concilio Tridentino. Deinde reverſus in patriam, egit Vicarium generalem Epiſcopi Patavini, rurſumque ſacras Scripturas interpretari cœpit in Patavino Gymnaſio anno MDLXV. eoque munere functus eſt uſque ad annum MDLXX. cum ad Æmonienſem Eccleſiam translatus eſt. Obiit Venetiis anno MDLXXXII. Ejus extant: *Oratio apologetica contra obtrectatores Theologiæ præſertim Scholaſticæ habita Patavii*: *De optimo Epiſcopi munere* Oratio *Patavii habita*: *De ſex diebus conditi orbis liber*. Dicitur ms. reliquiſſe *de D. Thomæ doctrina libros duos*: *De Epiſcopo Titulari Lucubrationem*:

De reſidentia Epiſcoporum. Laudatur a Scriptoribus Dominicanis, & a Ghilino in Theatro Litteratorum, & Pappadopoli de Gymnaſio Patavino Lib. 3. Sect. 2. Cap. 17.

Hieronymus Politus Ordinis Prædicatorum ſub Pio Papa IV. Theologiam profitebatur, ejuſque ſtipendium aureos quinquaginta conficiebat. Is patria Cremonenſis geſſerat primum in patria Inquiſitoris munus, cum a Michaele Cardinale Ghiſlerio Summo Inquiſitore Romam accerſitus eſt, aſſumptuſque in ſocium ſibi demandatæ præfecturæ, Theologum, ac Confeſſarium. A Pio IV. conſtitutus eſt Theologus Cardinalis Caroli Borromæi, tum anno MDLXIV. Epiſcopus Trevicanus. Obiit anno MDLXXV. De eo Fontana, & Ughellus.

Vincentius Spinola anno MDLXIII. Theologiam profitebatur Pontifice Pio IV. Rectore Camillo Peruſco Epiſcopo Alatrino.

Felicianus Capitonus Narnienſis, Ordinis Servorum B. M. Virginis profitebatur Theologiam anno Salutis MDLXIIII. ſtipendio quinquaginta aureorum. Is apud ſuos Definitoris Generalis, Viſitatoris Apoſtolici, & Procuratoris Generalis muneribus functus, a Pio V. anno MDLXVI. per reſignationem Cardinalis Alexandri Farneſii adlectus eſt Archiepiſcopus Avenionenſis. Librum edidit *de Jubilæo* anno MDLXXVI. quo anno in patria ſupremum diem obiit. Scripſit etiam contra Hæreticos *Explicationes Catholicas*, uti Gianus in Annalibus tetatur. Sammarthani To. I. Galliæ Chriſtianæ in Archiepiſc. Avenion. referunt hoc cœnotaphium ei in patria excitatum. *Magiſtro Feliciano Capitono Narnienſi Ordinis Servorum B. M. V. Archiepiſcopo Avenionenſi a Pio V. Pont. Opt. Max. creato, Concionatori eloquentiſſimo, Carolo IX. Francorum Regi gratiſſimo, in omni virtutum, & diſciplinarum genere eruditiſſimo, qui adverſus hæreſes egregium volumen ſcripſit tamquam de Eccleſia bene merito Fr. Proſperus Boncombius Sacræ Theol.*

Theol.Doctor Pos. A Giano dicitur Felicianus Amuccius & a Jacobillo in Bibliotheca Umbriæ dicitur Felicianus Scoſta .

Antonius Pelotius de Monte Ilcino, Procurator Generalis Ordinis S. Franciſci , ſtipendio aureorum quinquaginta publicus extitit Theologiæ Profeſſor ab anno MDLXIII. uſque ad annum MDLXXVII.

Gaudiosus Floridus de Peruſia Procurator Generalis Ordinis Servorum B. M. Virginis , & publicus Profeſſor Theologiæ anno MDLXVII. ſtipendio quinquaginta aureorum, obtinuit, ut vices ſuas in Gymnaſio ageret Benedictus de Burgo S. Sepulchri , ejuſdem Ordinis, quemadmodum Archangelus Gianus in Annalibus ad annum hunc teſtatur .

Pompeus Raguseus Procurator Generalis Carmelitarum , eodemque ſtipendio , eodem anno Theologiam profitebatur . Is patria Mazarienſis in Sicilia , dicitur vir doctiſſimus a Lucio Belga in additionibus ad Bibliothecam Carmelitarum , qui Neapoli , Papiæ , Romæ , & Patavii apud ſuos Regentis munere functus eſt, & in Academia Papienſi Metaphycam publice docuit . Eumdem plurimum commendat Mongitore in Bibliotheca Sicula , aitque reſpuiſſe illum Tropeenſem Infulam, & ſupremam ſui Ordinis dignitatem , tandemque in patrium Mazariæ Cœnobium ſeceſſiſſe , ibique mortuum anno MDC. ac ſcripſiſſe quædam Philoſophica , & Theologica , & Commentaria in Joannem Bacchonum . Laudatur etiam a Rocco Pirro in notitia Eccleſiæ Mazarienſis .

Thadæus Perusinus Ordinis S. Auguſtini Profeſſor Theologiæ , Pontifice Pio V. ſtipendio quinquaginta aureorum . Is cognomento Guiſtellus , diu apud ſuos docuit , tum etiam in Gymnaſio Peruſino , electuſque ſui Ordinis Procurator generalis , mox anno MDLXX. ſupremus Ordinis Moderator , ſucceſſit Chriſtophoro Patavino , præfuitque uſque ad annum MDLXXXI. deinde a Sixto

to

Digitized by Google

toV. anno MDLXXXVI. conſtitutus eſt ſui Ordinis Vicarius generalis. De quo ita ſcribit Pamphilus in Chronica: *Thadæus Peruſinus Philoſophus, & Theologus, ſumma auctoritate, & doctrina, qui multos annos in Academiis dinis, & publice in Gymnaſio Peruſino, & Romana, Sapientia utiliter legit, claruit Tridenti in publico Patrum, qui ad Concilium Oecumenicum convenerant conſeſſu, ubi vota dixit, & in feſto Sanctiſſimæ Aſcenſionis concionem habuit doctam, & elegantem, Lovanii, & alibi impreſſam. Hoc viro uſus ſum præceptore cum Patavii Dialecticis, & Phyſicis, & Romæ Theologiæ operam darem. Qui deinde per omnium noſtræ familiæ dignitatum gradus ad Ordinis in Romana Curia procurationem, & ad ſummum uſque in Religione magiſtratum aſcendit.* Edidit Commentaria in Iſaiam, & alia Opuſcula. De eo Thomas Herrera in Alphab. Auguſtin. & Jacobillus in Bibliot. Umbriæ.

Benedictus de Monteregali Aprutinus Ordinis Prædicatorum Theologus egregius a Leandro in libro de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, & a Toppio in Bibliotheca Neapolitana laudatus, anno MDLXVIII. Theologiam publice docuit, & aureos quinquaginta loco ſtipendii accepit.

Joannes Baptista Surianus Neapolitanus Carmelita, & anno MDLXX. Procurator generalis, circa hæc tempora publicum egit Theologiæ Profeſſorem, de quo in Speculo Ordinis Carmelitarum mentio fit. Anno vero MDLXXVI electus eſt Epiſcopus Vigilienſis, hancque Eccleſiam annis ſeptem adminiſtravit.

Constantius Buccafocus Ordinis Minorum Conventualium Picenus, Philoſophiam, ac Theologiam publice docuit Peruſiæ, Patavii, ac Romæ, & concionibus etiam claruit. A Sixto V. cujus familiaritate utebatur renunciatus eſt Cardinalis, anno MDLXXXVI. & Epiſcopus Vercellenſis. Obiit Romæ anno MDXCV. ætatis ſuæ ſexa-

ſexageſimo quarto. Scripſit *Summam Theologicam*: *Commentaria in epiſtolam Pauli ad Hebræos*: *Directorium Theologicum*: *Locorum communium Theologiæ librum*: *Commentaria in prolegomena Porphyrii*. *Commentaria in univerſalia Scoti*: *De conciliandа doctrina S. Thomæ & Scoti librum*: *De ſecundis intentionibus*. Præterea edidit Opera S. Bonaventuræ, Antonii Andreæ, & Franciſci Mayronis. De eo Ciacconius in vitis Card. Ughellus, Wadingus, Jongelinus.

Alexius Seradella Fivizanenſis in Etruria, Procurator generalis Ordinis S. Auguſtini, & publicus Profeſſor Theologiæ anno MDLXX. deinde a Gregorio XIII. evectus eſt ad Epiſcopatum Sutrinum, miſſuſque Nuncius ad Carolum Archiducem Auſtriæ, quo in itinere obiit anno MDLXXX. Edidit Concionum libros duos, & Dialogos de miſeria humana, de Divino amore, de gloria Paradiſi. De eo Pamphilus in Chronica, & Herrera in Alphabeto Auguſtiniano.

Sixtus Fabri Lucenſis Procurator generalis Ordinis Prædicatorum occurrit inter Profeſſores Theologiæ anno MDLXXVI. Gregorio XIII. Pontifice, ſtipendio aureorum quinquaginta. Is anno ſequenti egit Vicarium generalem ſui Ordinis uſque ad annum MDLXXX. cum Paulus Conſtabilis Magiſter Sacri Palatii electus eſt Magiſter Generalis Ordinis, cui in Magiſterio Sacri Palatii Sixtus ſubrogatus eſt a Gregorio XIII. Pontifice. Sed anno Salutis MDLXXXII. Paulo Conſtabili e vivis ſubtato, Sixtus ad ſupremum Ordinis regimen accerſitus eſt, cui præfuit annis ſeptem, cum a Sixto V. Pontifice ob infirmam corporis valetudinem juſſus eſt officio ſe abdicare. Obiit Romæ anno MDXCIV. De eo Jacobus Echard, Fontana, Joſephus Catalanus, aliique.

Spiritus Angosciolus Vicentinus Procurator geralis Eremitarum S. Auguſtini, eodem anno, eodemque ſtipendio Theologiam in Gymnaſio profitebatur. A Johanne

ruit. Dicitur a Jacobo Echard *vir non eruditione tantum, ſed morum etiam facilitate, humanitate, modeſtia, & humilitate, regulariſque diſciplinæ ſtudio merito commendandus, æque ſuis acceptus in vita, gratuſque domeſticis, & alienis*. Obiit Neapoli anno MDXCI. Ejus extant hæc Opera: *Oratio de excellentia Theologiæ*, quam habuit Taurini cum munus publicum auſpicaretur: *In primam Philoſophiam lectionum principium in Gymnaſio Neapolitano habitum*: *Dilucidationes in xij. libros primæ Philoſophiæ Ariſtotelis*: *Additiones ad Franciſci Ferrarienſis Commentaria in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis*: *Additiones ad ejuſdem Ferrarienſis Commentaria in tres libros de anima*: *Diſputatio de ideis*: *Diſputationes quatuor Philoſophicæ*: *Formalitates juxta doctrinam S. Thomæ*: *Tractatus de memoria, & reminiſcentia*: *Epitome Logicæ*. Præterea Commentaria Joannis Capreoli in quatuor libros Sententiarum illuſtravit notis, & additionibus. De eo Jacobus Echard to. 2. pag. 303.

Timotheus Girardus ſeu Berardus, Januenſis Carmelita, Theologicis rebus edocendis vacabat in Romano Gymnaſio, ſtipendio aureorum quinquaginta, Pontifice Gregorio XIII. Is a Lucio Belga in additionibus ad Bibliothecam Carmelitarum dicitur magnæ eruditionis, & virtutis, quique Papiæ Metaphyſicam docuerat. E generali Procuratore ſui Ordinis a Sixto V. electus eſt Epiſcopus Naulenſis anno MDLXXXVII. præſuit huic Eccleſiæ uſque ad annum MDCXVI.

Laurentius Lauretus Venetus Procurator generalis Carmelitarum, Theologus Cardinalis Sfondrati, poſtea Gregorii XIV. atque ex illorum numero, qui Tridentino Concilio interfuere, Sixto V. Pontifice, Romæ publice profitebatur, tum electus eſt Epiſcopus Adrienſis, anno MDXCI. hancque Eccleſiam ſeptem annis adminiſtravit. Scripſit in libros Phyſicorum, & Metaphyſi-

Digitized by Google

eorum Ariſtotelis, in libros Sententiarum, in Epiſtolam ad Romanos, in Epiſtolam ad Galatas, Tractatum de Contractibus, Tractatum de Cenſuris, Orationem habitam in Concilio Tridentino, Orationes alias, Scholia in Sicardum Epiſcopum Cremonenſem, Cenſuram in Opera Tertulliani, Conſulta, & Reſponſa, uti teſtatur laudatus Lucius Belga in Bibliotheca Carmelilitarum.

Hieronymus Urbanus de Monte Politiano Procurator Generalis Ordinis S. Franciſci, & publicus Theologiæ Profeſſor ſtipendio aureorum quinquaginta, temporibus Gregorii XIII. Pontificis Maximi, Rectore Cæſare de Graſſis.

Augustinus de Corneto Procurator generalis Eremitarum S. Auguſtini, eodem tempore, eodemque ſtipendio, legitur publicus Theologiæ Profeſſor. Diu apud ſuos docuit Senis, Mediolani, & Romæ, ubi Cardinali Franciſco Sfortiæ fuit a rebus Theologicis. Electus eſt Procurator Generalis anno MDLXXXII. tum Vicarius Generalis anno MDLXXXVII. obiitque anno MDXCII. de quo videndus eſt Thomas Herrera in Alphabeto Auguſtiniano. His temporibus, ut plurimum Procuratores Ordinum Cathedra donabantur. Hinc Conſtit. Auguſtinianorum ſub Tadæo Peruſino anno MDLXXX. Cap. 3. de Capit. gen. ſtatuunt Procuratorem Ordinis doctum, ac facundum eligi, cum ad ejus officium ſpectet *SacramTheologiam in Romano Gymnaſio publice profiteri: & ſermonem in Capella D. N. Papæ in Adventu, & Quadrageſima facere*.

Joannes Baptista Micholla Mediolanenſis Procurator generalis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, anno MDLXXXII. Theologiam publice profitebatur, atque pro ſtipendio aureos quinquaginta percipiebat.

Octavianus Ravennas OrdinisMinorum Conventualium

tualium Sacram Theologiam profitebatur ſub Sixto V. Pontifice anno MDLXXXVII. ſtipendio aureorum centum, hora veſpertina. Dicitur a Wadingo in libro de Scriptoribus Ordinis Minorum Conventualium ediddiſſe Commentaria in quatuor libros Joannis Scoti.

BARTHOLOMÆUS DE MIRANDA Cordubenſis, Ordinis Prædicatorum, eodem anno, eodemque ſtipendio profitebatur Theologiam, hora matutina. Dicitur a Jacobo Echard *vir ſanctitate vitæ, regulari diſciplina, eruditione, & eloquentia clariſſimus*. Hunc e Procuratore Generali ſui Ordinis Gregorius XIV. anno MDXCI. conſtituit Magiſtrum Sacri Palatii, quod miniſterium, recuſata Eccleſia Viglebanenſi a Philippo II. Catholico Rege ei oblata, ad mortem uſque tenuit. Obiit Neapoli, quo ſe contulerat valetudinis recuperandæ cauſa MDXCVII. tribus annis major quinquagenario. Scripſiſſe dicitur *Conciones* Hiſpano ſermone, & *Orationem* habitam in prima Dominica Adventus coram Sixto V. Pontifice. De eo Echard.

JOANNES BAPTISTA DE PLUMBINO Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, anno MDLXXXVII. Sacram Scripturam in Gymnaſio feriatis diebus interpretabatur, ſtipendio aureorum ſexaginta, deinde profeſſus eſt hora veſpertina, uſque ad MDCXII. cum ejus ſtipendium ad aureos centum, & quinquaginta pervenerat. Is docuerat apud ſuos Senis, & Piſis, tum MDXCVIII. electus eſt ſui Ordinis Procurator generalis, eoque munere functus eſt uſque ad MDCVIII. Obiit vero anno MDCXIII. Thomas Herrera in Alphabeto Auguſtiniano.

JULIUS SANTUCCIUS de Monte Filatrano, Ordinis Minorum Conventualium, ab anno MDLXXXVIII. Profeſſor Theologiæ in Cathedra veſpertina, ſtipendio aureorum centum, & viginti, uſque ad MDXCV. cum auctus eſt Sacerdotio S. Agathæ Gothorum, vixitque in Epiſcopatu uſque ad MDCVII.

Digitized by Google

Joannes Vincentius Aſturicenſis, Ordinis Prædicatorum ab anno mdxc. Theologiam hora matutina docuit uſque ad mdxcv. cum aureos centum, & viginti pro ſtipendio accipiebat; eoque anno, a Philippo III. Rege Catholico ſelectus, qui Alberto Cardinali Archiduci Auſtriaco eſſet a ſacris conſcientiæ arcanis, antequam itineri ſe committeret, obiit. Egerat in Univerſitate Salamantina publicum Profeſſorem, tum etiam ſui Ordinis Procuratorem, & Vicarium generalem. Dicitur a Jacobo Echard *vir magnarum partium*, *primi nominis Theologus*, *rerumque agendarum peritus*. Edidit *Prælectionem*, quam habuit inRomano Gymnaſio *de habituali Chriſti Salvatoris noſtri ſanctificante gratia*. Scripſit etiam *Tractatum de origine gratiæ*. De eo Fontana, & Echard.

Joseph Pisculus Melphienſis, Ordinis Minorum Conventualium mdxcix. Cathedram obtinuit Theologiæ, hora veſpertina, ſtipendio aureorum centum, docuitque uſque ad mdcii. Fuit ſui Ordinis ſupremus Moderator, & mdcvii. Epiſcopus Catacenſis, atque in hac ſede vixit uſque ad mdcxviii.

Paulus Isaresius Mirandulanus, Ordinis Prædicatorum ſucceſſit mdxcv. Joanni Vincentio Aſturicenſi in Cathedra Theologiæ, ſtipendio centum, & viginti aureorum; tum etiam in munere Procuratoris Generalis Ordinis, uti Fontana in Theatro Dominicano teſtatur. Sed mdci. electus eſt Squillacenſis Epiſcopus, obiit ſequenti anno in ſua Eccleſia. De eo Vincentius Fontana & Ughellus.

Marcus Marcianesius ex Ordine Prædicatorum ſucceſſit Iſareſio uſque ad annum mdcviii. ſtipendio aureorum quinquaginta. De quo ita ſcribit Fontana in Dominicano Theatro agens de Procuratoribus generalibus: *Deligitur a Beccario* (Magiſtro generali) *Ordinis Procurator P. F. Marcus de Marcianiſio*, *vir vitæ ſanctitate*

tate venerabilis, *ex Conventu*, *atque Congregatione Sanctæ Mariæ Sanitatis de Neapoli*, *qui poſtquam per aliquot annos ſingulari vitæ exemplo Romanam Curiam tractaſſet*, *religioſæ quietis deſiderio actus*, *dimiſſo munere*, *Neapolim ſe recepit*, *electione facta Galaminii in Magiſtrum Ordinis anno* 1608. *Fuit Marcus in orationibus*, *jejuniis*, *atque auſteritatibus Ordinis excultiſſimus*, *vitæ ſanctitate venerabilis*, *Conſtitutionum Ordinis obſervantiſſimus*, *ſalutiſque animarum ſitientiſſimus*. *Vicarius generalis Congregationum S. Catharinæ de Aprutio*, *ac S. Mariæ Sanitatis de Neapoli effectus*, *obſervantiam regularem in eiſdem ſuo exemplo conſtabilivit*. *Tandem jejuniis*, *ac vigiliis fractus anno ætatis* 74. *Salutis* 1616. *die* 15. *Martii miraculis clarus obdormivit in Domino Neapoli in Conventu Sanctæ Mariæ Sanitatis*, *maximo populi concurſu ad ejus corporis venerationem confluente*, *veſtiumque particulas pro magno munere eflagitantis*.

Stephanus Venusinus Ordinis Minorum Conventualium ab MDCII. profiteri cœpit, hora veſpertina ſtipendio aureorum centum, & uſque ad MDCXLI. profeſſus eſtis tuncque aureos triginta quinque ſupra centum accipiebat.

Seraphinus Siccus Ticinenſis, Ordinis Prædicatorum ab anno MDCVIII. uſque ad MDCXII. Profeſſor Theologiæ, ſtipendio aureorum octoginta. Hunc ex Inquiſitore Mantuano, Auguſtinus Galaminius Generalis Ordinis Prædicatorum, conſtituerat Procuratorem Ordinis in locum Marci de Marcianeſio. Galaminio ad Cardinalatum evecto, e Vicario Generali electus eſt ad ſupremum Ordinis regimen, quod quidem adminiſtravit uſque ad MDCXXVIII. cum obiit prope Avenionem, ætatis ſuæ ſexageſmo octavo. Scripſit *Commentarium in tres libros Ariſtotelis de anima*: *Tractatum de S. Trinitate*

ad

ad mentem S. Thomæ. Jacobus Echard de Script. Ord. Prædicautorum.

Guilelmus Vertecchius Fulginas, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſucceſſit Joanni Baptiſtæ de Plumbino in Sacrarum litterarum Interpretatione MDCXII. ſtipendio aureorum quinquaginta, & uſque ad MDCXXIII. profeſſus eſt, obiitque ſequenti anno. Bis ſui Ordinis electus eſt Procurator Generalis, nempe MDCVIII. & MDCXX. uti Thomas Herrera in Alphabeto Auguſtiniano teſtatur.

Lucas Castellinus Faventinus, Ordinis Prædicatorum, Seraphini Sicci Cathedram occupavit, ſtipendio aureorum quinquaginta, anno MDCXII. atque in ea docuit uſque ad MDCXXIX. cum ejus ſtipendium fere ad ſeptuaginta aureos pervenerat. Is in Theologia, & Sacris Canonibus verſatiſſimus, annis ſeptemdecim egit ſui Ordinis Procuratorem generalem, deinde MDCXXVIII. ſupremum Ordinis Prædicatorum Magiſtrum, denique anno ſequenti Epiſcopum Catacenſem. Obiit MDCXXXI. Edidit: *Tractatum de electione & confirmatione Canonica Prælatorum quorumcumque, præſertim Regularium*: *Tractatum de certitudine gloriæ Sanctorum Canonizatorum*: *De Inquiſitione miraculorum in Sanctorum Martyrum Canonizatione*: *De dilatione in longa annorum tempora magni, arduique negotii Canonizationis Sanctorum*: *Diſputationes Theologicas de Sacramentis*. Celebratur a Jacobo Echard Tomo 2. Scriptorum Ord. Prædic. & ab Ughello in Epiſcopis Catacenſibus.

Andreas Gelsuminus Cortonenſis, Procurator generalis Ordinis S. Auguſtini, Cathedram Sacræ Scripturæ aſſecutus eſt MDCXXII. ſtipendio aureorum quinquaginta; ſimulque Guilelmo Vertecchio ſucceſſit in munere Procuratoris generalis. Docuit uſque ad MDCXXV. cum ab Urbano VIII. electus eſt Epiſcopus Aſculanorum. Obiit

Digitized by Google

Obiit MDCXXIX. Edidit; *Theſaurum cœleſtis devotionis Mariæ Virginis*. De eo Thomas Herrera in Alphabeto Auguſt. Marraccius in Bibl. Marian. Ughellus in Epiſ. Aſculan.

GASPAR PAGANUS Romanus, Ordinis S. Auguſtini, in Andreæ Gelſemini locum ſubrogatus eſt, ſtipendio aureorum quinquaginta, docuitque annis tribus. Laudatur a Proſpero Mandoſio in Bibliotheca Romana, ac dicitur docuiſſe ſumma cum laude in variis ſuæ Religionis Scholis, Concionatorem quoque eximium fuiſſe, ac reliquiſſe volumen Concionum.

PAULUS DE CERIA Venetus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Sacras Litteras in Gymnaſio profiteri cœpit MDCXXVIII. ſtipendio aureorum quinquaginta, & uſque ad MDCXLII. profeſſus eſt, quo anno electus eſt Epiſcopus Veſtanus. Sed poſt duos annos ſe abdicavit, fuitque ſuffraganeus Epiſcopi Cardinalis Oſtienſis. Obiit Velitris MDCXLVIII. Edidit *Tractatum apologeticum pro ſtatu Romanæ Urbis, & Curiæ*: *Tractatum de Jure Principum*: *Reſponſiones & Quæſita omnia de Trinitate, & de Divinis Attributis*. Laudatur ab Allatio in libro de viris illuſtribus, & Ughello in Epiſcopis Veſtanis.

VINCENTIUS MACULANUS de Florentiola Procurator generalis Ordinis Prædicatorum anno MDCXXX. Profeſſor Theologiæ, ſtipendio aureorum quinquaginta, Is ex Inquiſitore Januenſi ſucceſſit Lucæ Caſtellino in munere Procuratoris Ordinis Prædicatorum. Tum anno MDCXXXII. ab Urbano VIII. conſtitutus eſt in Urbe Commiſſarius Generalis S. Inquiſitionis. Deinde anno MDCXXXIX. mortuo Nicolao Riccardi Sacri Palatii Magiſtro in ejus locum ſuffectus eſt. Tandem an. MDCXLI. Cardinalis, & Archiepiſcopus Beneventanus creatus eſt. At Epiſcopatu ſe abdicavit MDCXLIII. Romamque reverſus, ibi vixit uſque ad MDCLXVII. quo vivis exceſſit, natus annis octo ſupra octoginta. De eo Jacobus

bus

Digitized by Google

bus Echard To. 2. Scrip. Ord. Prædic. pag. 622. Ughellus in Archiepiſcopis Beneventanis, & Catalanus de Mag. Sac. Palat.

Franciscus Galasinus S. Angeli in Vado Procurator generalis Ordinis Prædicatorum, ſucceſſit Maculano MDCXXXII. eodem ſtipendio, atque docuit in Cathedra Theologiæ, hora matutina, uſque ad MDCXLIII. cum Peruſiam rediit ad Inquiſitoris munus, quo antea functus fuerat, obeundum. Rediit deinde ad Urbem, Vicariuſque generalis Ordinis, deceſſit major octogenario. De eo Fontana in Theatro Dominicano.

Antonius Cellius, Romanus Ordinis Prædicatorum, Sacræ Scripturæ Profeſſor hora matutina, ſtipendio aureorum quinquaginta, ſimul cum Paulo Ciera Auguſtiniano, Profeſſore veſpertino, ab anno MDCXXXIX. uſque ad MDCXLI. cum illum Urbanus VIII. præfecit Epiſcopatui Inſulanenſi. Vixit in ea ſede annis quatuor. Laudatur a Leone Allatio in libro de viris illuſtribus, ac dicitur edidiſſe: *Sacros flores de gratia ex univerſa Sancti Thomæ Theologia decerptos.* Memoratur etiam a Fontana in Theatro Domin. in Epiſcopis Inſulanenſibus.

Vincentius Bartolus Procurator generalis Ordinis Prædicatorum, ab anno MDCXLIV. per annos tres Profeſſor Theologiæ, ſtipendio aureorum ſexaginta. De quo Fontana in Theatro: *Fuit Bartholus in Conventu S. Mariæ adgradus de Viterbio ad Ordinem receptus, magni nominis Prædicator, in Baſilica Liberiana Papæ Pœnitentiarius, Vicarius Romanæ Provinciæ, in Sicilia ſemel, atque iterum Provincialis. Deceſſit autem anno* 1647. *menſe Septembris.*

Bartholomæus Ferrius ab Argenta, Ordinis Minorum Conventualium ab anno MDCXLI. uſque ad annum MDCLII. profeſſus eſt, cum aureos centum pro ſtipendio acciperet. Obiit anno MDCLIII. Laudatur a Franchino in Biblioſophia, pag. 391.

Sal-

Salvator Severinus Fabrianenſis, Procurator generalis Ordinis Eremitarum S.Auguſtini Sacras Litteras interpretatus eſt ab anno MDCXLII. ſtipendio ſexaginta aureorum per annos decem.

Franciscus Maria Campana Florentinus, Procurator generalis Ordinis Prædicatorum ab anno MDCXLVII. publicum egit Theologiæ Profeſſorem per annos quatuor ſtipendio ſexaginta aureorum; quem Fontana in Theatro ita deſcribit: *vir a Deo bonorum omnium largitore ſingulari gratia in prædicando ornatus, ita ut communi voce Prædicatorum pater dictus ſit, in Italia tota famoſus, ac perpetuus poſtmodum Concionator in Baſilica Vaticana electus, munuſque concionandi nunquam quoad vixit intermiſit. Deceſſit in Curia ex apoplesia anno 1651. ætatis ſuæ 67. in noſtra Eccleſia maximo populi concurſu terræ datus prout vidimus.*

Joannes Baptista Nisius a Monte Granario, Ordinis Minorum Conventualium ab anno MDCL. Moralem Theologiam, tum Controverſias Dogmaticas pertractavit uſque ad annum MDCLXII. ſtipendio aureorum ſexaginta. Obiit 1663.

Petrus Passerinus de Sextula, Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, in Theologia, Sacriſque Canonibus verſatiſſimus anno MDCLI. Gymnaſii Romani Cathedram obtinuit, ac poſt annos viginti rude donatus eſt. De quo hæc ſcribit Jacobus Echard To. 2. pag. 674. *Petrus Maria Paſſerinus de Sextula Longobardus, Cremonæ ad ordinem adſcitus adoleſcens, magnarum virtutum evaſit, pietate, diſciplinæ regularis ſtudio, eruditione conſpicuus. Exactis Bononiæ ſtudiis, apud ſuos Cremonenſes, tum & apud Boſcbenſes Sacras Litteras e ſuperiori loco docuit, Sacræ Theologiæ Magiſter renunciatus, ſuo quidem aliquando præfuit nativo Conventui, ſed litterarum amore captus, ſtudiis ſe totum dedit. Hinc Magiſtro Ordinis F. Thomæ Turco, qui vi-*

ros doctos eximie colebat, apprime acceptus, ab eodem ſocius, ac laborum, & ſollicitudinum particeps allectus eſt: quem Italiam, Galliam, Belgium, Hiſpaniam viſitantem comes indivulſus ſecutus, in caſibus, & negotiis ubique emergentibus, conſiliis ſuis, nam erat Juris etiam peritiſſimus, non parum ſublevavit. Eodem paulo poſt ſuum in Urbem reditum anno 1649. *mortuo, titulum Provincialis Terræ ſanctæ, quo decoratus fuerat depoſuit, & anno* 1650. *Inquiſitor Bononienſis a Summo Pontifice Innocentio X. inſtitutus eſt. Sed non diu munus hoc ſuſtinuit, nam anno ſequenti* 1651. *Procurator generalis in Aula Romana a Magiſtro* Ordinis *Fr. Joanne Baptiſta de Marinis poſitus, & datus, graviſſimam hanc provinciam reliquum vitæ, ideſt xxvj. annis cum ſibi invicem ſuccedentium, Purpuratorum patrum, ac Magnatum omnium, ſummo* Ordinis *bono ingentique ſui nominis fama continuo geſſit: Cathedræ matutinæ in Sapientia Romana una moderator, quam xxii. annis rexit, & amplius, & a morte dicti de Marinis anno* 1669. *menſis Maij ſexta ad Pentecoſten ſequentem electionemque ſucceſſoris Vicarius generalis Ordinis a Clemente IX. conſtitutus. Supervixit autem pluribus annis, libris ſcribendis, ac edendis operam dans, & in ſenectute bona integris ad ultimum uſque ſpiritum uſus ſenſibus, placida morte quievit in Domino menſe Junio* 1677. *ætatis* LXXXII. *ad Minervam ſepultus*. Ejus Opera idem Jacobus Echard recenſet, eaque ſunt: *De hominum ſtatibus, & officiis inſpectiones morales ad ultimas ſeptem quæſtiones Secundæ Secundæ S. Thomæ: Commentaria in primum, ſecundum, & tertium librum Sexti Decretalium: De electione Canonica Tractatus: De electione Summi Pontificis Tractatus: Tractatus de Indulgentiis: Regulare Tribunal, ſeu Praxis formandi proceſſus: Commentaria Theologica* volumina tria: *Sermones*.

Paulus

Paulus Lucchinus Piſaurenſis, Procurator Generalis Ordinis S. Auguſtini, Sacram Scripturam interpretabatur anno MDCLIII. perque annos tres huic muneri incubuit. Præfuit univerſo Ordini.

Laurentius Brancatus de Lauræa Lucaniæ Oppido, Ordinis Minorum Conventualium, præclariſſimus Theologus, poſtquam Neapoli, Averſæ, Ferrariæ, & Florentiæ, atque Bononiæ apud ſuos docuiſſet, claruit in Urbe anno MDCLII. publicus Theologiæ Profeſſor, & deinde Conſultor S. Inquiſitionis, Præfectus Studiorum Collegii de Propaganda Fide, Conſultor Congregationis Rituum, & Congregationis Conſiſtorialis, Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ, & in locum Clariſſimi Antonini Dianæ Teatini Examinator Epiſcoporum, & Cleri Romani. Virum itaque tot muneribus de Sede Apoſtolica optime meritum, librîſque editis clariſſimum Innocentius XI. MDCLXXXI. die prima Septembris inter Cardinales adſcripſit, atque Vaticanæ Bibliothecæ præfecit. Uſque ad eum annum egit Prefeſſorem, & aureos ſupra ducentos percipiebat. Vixit in hac dignitate uſque ad trigeſimum diem Novembris MDCXCIII. cum e vivis deceſſit tumulatus in ſua Eccleſia SS. Apoſtolorum, atque in funere ejus Hyacinthus Serri orationem habuit. Ejus vitam edidit Bartholomæus Comandus ejuſdem Ordinis Minorum Conventualium, ex qua conſtat Brancatum claruiſſe nedum doctrina, verum etiam pietate. Edidit plura Volumina rerum Theologicarum, nempe: *De Sacramentis in genere, & in ſpecie: De quatuor Noviſſimis, & ſtatu parvulorum: De Incarnatione: De virtutibus Cardinalibus, & cæteris ſpiritualibus Donis, gratiis gratis datis, & præcipue de miraculis: Epitome Canonum omnium ordine alphabetico ad commodum ſtudioſorum uſque ad annum quartum Alexandri VIII. Opuſcula tria de Deo, quoad opera prædeſtinationis, & reprobationis: Opuſcula octo de oratione Chriſtiana.*

 Alia

Alia plurima manu exarata reliquiſſe laudatus Comandus teſtatur.

JOANNES BAPTISTA PENNE Peruſinus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Cathedram obtinuit Sacræ Scripturæ MDCLVII. ſtipendio aureorum ſaxaginta, atque in ea docuit, uſque ad MDCLXII. Is ex illorum Theologorum numero fuit, qui in celebri Janſenii cauſa ſuam dixere ſententiam. Is etiam Card. Romæ in adminiſtrando Epiſcopatu Tiburtino magnam operam contulit. Unde Ughellus laudans Card. Romam: *illuſtrat*, inquit, *cæteras ejus laudes virum religioſum, doctumque adſciviſſe, quem ſuum Coadjutorem vocat, qui continuo Diæceſim luſtret, populos inſtruat, atque informet ad pietatem, Eccleſias adeat, iiſque providcat*. Edidit *Inſtructionem pro erudiendis rudibus*.

FRANCISCUS MACEDO Conimbricenſis, Ordinis Minorum Obſervantiæ, clariſſimus Scriptor, primus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Romano Gymnaſio Profeſſor ab anno MDCLX. per annos octo. Is e Societate Jeſu, ubi triginta annis vixit, ac Rhetoricam, Philoſophiam, & Chronologiam docuit, ad Franciſcanum Ordinem migraverat, variiſque in Europæ Academiis publice docuerat, tum ad Urbem veniens, donatus eſt Cathedra Controverſiarum in Collegio de Propaganda Fide, atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in publico Gymnaſio. Tum ad Patavinam Cathedram Moralis Philoſophiæ tranſiit, atque in ea docuit aliquot annis. Obiit vero anno MDCLXXXI. nonagenarius. Edidit libros quamplures, quorum aliqui ſunt: *Scholæ Theologicæ poſitivæ*: *Aſſertor Romanus adverſus calumnias Heterodoxorum Anglorum*: *Collationes doctrinæ S. Thomæ, & Scoti*: *Diſquiſitio Theologica de ritu azimi, & fermentati*: *Schema S. Congregationis S. Officii Romani*: *Mens divinitus inſpirata Innocentio X. circa damnationem quinque propoſitionum Janſenii*: *De clavibus Petri, & poteſtate Romani Pontificis*: *Commenta-*

mentationes Polemicæ: *De adventu S. Jacobi in Hiſpania*: *Conventus Euchologicus Sanctæ matris Eccleſiæ in Breviario*, *& D. Auguſtini libris*: *Theatrum meteorologicum*: *De jure ſuccedendi in regnum Luſitaniæ*: *Propugnaculum Luſitano-Gallicum contra calumnias Hiſpano-Belgicas*, *in quo ferme omnia utriuſque Regni tum domi*, *tum foris præclare geſta continentur*: *Theſes Rhetoricæ*: *Theſaurus eruditionis pro Sole Zodiacum percurrente*: *Viridarium Eloquentiæ*: *Epitome Chronologiæ*: *Volumen de arte Poetica*: *Carmina*, *& Orationes*. Et ſunt qui ſcribunt editos ab hoc auctore libros fere quinquaginta. Magnis laudibus celebratur a Gregorio Leti in libro cui titulus *Italia regnante*. Fuſe de eo Nicolaus Antonius in Bibl. Hiſpana, Bayle in Diction. & Niceronius in vitis virorum illuſtrium, & Pappadopoli de Patav. Gymn.

Hieronymus Perus a Burgo S. Laurentii in Etruria Ordinis Minorum Conventualium, MDCLXII. profiteri cœpit Theologiam Dogmaticam, ſtipendio aureorum ſexaginta, atque annis ſex profeſſus eſt. Docuit apud ſuos Venetiis, atque Piſanæ Univerſitatis Theologum egit. Ejus meminit Bonaventura Theuli in libro, cui Titulus eſt: *Triomfo Serafico del Collegio di San Bonaventura*.

Josephus Eusanius Aquilanus, Ordinis S. Auguſtini, natus anno MDCXV. docuit apud ſuos Tarviſii, Anconæ, Senis, Florentiæ, & Neapoli, & conciones etiam pluribus in locis habuit. Anno MDCLXVII. Procurator generalis, & publicus Sacræ Scripturæ Profeſſor electus eſt. Sed MDCLXIX. a Pontifice præficitur Sacrario Pontificio, quem Sacriſtam vocant, & creatur Epiſcopus Helenopolitanus in locum Ambroſii Landuccii Senenſis vita functi. Deinde a Clemente X. cui fuit a ſacris confeſſionibus, donatus Titulo Epiſcopi Porphyrienſis. Præclare meruit de ſuo Auguſtiniano Ordine, & de Cœnobio Aqui-

lano

lano, atque in Eccleſia S. Auguſtini de Urbe Sacellum excitavit in honorem B. Ritæ de Caſſia, ubi ejus extat monumentum. Obiit MDCXCII.

JOANNES BAPTISTA BELTRAMIUS de Riparolio in Provincia Pedemontana, Ordinis Minorum Conventualium ſucceſſit Hieronymo Pero in Cathedra Controverſiarum, ſtipendio aureorum ſexaginta, atque MDCLXXXIX. ejus ſtipendium ſuperabat aureos centum. Claruit doctrina, & pietate, uſus familiaritate Ven. Joſephi de Copertino ejuſdem Ordinis; & a ſacris Confeſſionibus Ven. Mariæ de Sabaudia, dum Romæ commorata eſt. Obiit die 17. Auguſti MDCXCVII.

MARTIALIS PELLEGRINUS de Caſtrovillaro in Calabria Ordinis Minorum Conventualium, MDCLXVIII. obtinuit Cathedram Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, feriatis diebus ſtipendio aureorum quinquaginta. Tum in munere habuit Coadjutorem Balthaſſarem Melatium a Naro ejuſdem Ordinis. Anno MDCLXXVII. e Miniſtro generali ſui Ordinis, renunciatus eſt Archiepiſcopus Nazarenus, vixitque uſque ad MDCLXXXIV. De eo Acetus in notis ad Barrium Lib. 5. Cap. 17. & Coletus in ſuis additionibus ad Ughellum.

MICHAEL HEKIUS Gandavenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Profeſſor Sacræ Scripturæ ab anno MDCLXIX. per annos quatuordecim. Is Auguſtini doctrinam vindicavit, uti teſtatur Noriſius in præfat. ad Hiſt. Pelag. his verbis: *A priorum quidem impoſturis S. Doctorem ſolide vindicandum ſuſcepit P. Michael Hekius Doctor Duacenſis, ac in Romana Academia Sacrarum Litterarum interpres, vir doctiſſimus, & in Auguſtini libris ſumma cum laude verſatus, qui nuper a Summo Pontifice pro Auguſtinianis Superioris, & inferioris Germaniæ Provinciis Aſſiſtens deſignatus fuit.*

LAURENTIUS FABRI Bononienſis, Ordinis Minorum Conventualium, ſucceſſit MDCLXXXI. Laurentio Bran-

Brancato ad Cardinalatus Ordinem evecto in Cathedra Theologiæ, anniſque pluribus docuit, ſtipendio aureorum quinquaginta, ſupra centum. Docuit apud ſuos Bononiæ, & Pragæ tum etiam in publico Bononienſi Gymnaſio egit Metaphiſicæ Profeſſorem. Romæ functus eſt muneribus Regentis Collegii S. Bonaventuræ, Procuratoris generalis, Conſultoris S. Officii, Examinatoris Epiſcoporum. Denique ab Innocrntio XII. creatus Epiſcopus Foroſempronii, hanc Eccleſiam ſanctiſſime adminiſtravit. De quo laudatus Coletus in additionibus.

Julius Maria Bianchi Venetus, Ordinis Prædicatorum, Conſultor Congregationis Rituum, & Indulgentiarum, ſucceſſor datus eſt Paſſerino MDCLXXXVII. ab Innocentio XI. Hunc vero Scyllatienſem Infulam ab Alexandro VII. oblatam detrectaſſe, tum etiam Spalatenſem, Corcyrenſem, & Juſtinopolitanum Epiſcopatus ab Innocentio XI. oblatos, Jacobus Echard teſtatur. Anno MDCLXXXIV. ab eodem Pontifice Secretarius Indicis Jacobo Ricci Procuratori generali Ordinis inſtituto ſuffectus eſt, quo in munere vixit uſque ad MDCCX. De eo Echard.

Jacobus Riccius Romanus, Procurator generalis Ordinis Prædicatorum, Cathedram Theelogiæ adeptus eſt MDCLXXXIV. e qua docuit uſque ad MDCCIII. cum ſupremo fato functus eſt. Is a Jacobo Echard dicitur *vir pietate, doctrina, diſciplina regulari, rerum agendarum peritia, morum ſuavitate commendatus, qui pluribus annis apud ſuos docuerat, & Congregationi Indicis fuerat a ſecretis, ac Romanæ Provinciæ Ordinis ſui præerat*. Edidit vitam S. Philippi Nerii Italico ſermone, & Epitomem ſingularium geſtorum S. Ludovici Bertrandi; ſcripſitque brevem Inſtructionem pro iis, qui promovendi ſunt ad Ordinem, & ad animarum curam, uti Mandoſius reſtatur in Bibl. Rom.

Petrus

Petrus Lambertus Ledrou Huyenenſis in Diœceſi Leodienſi, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, natus anno MDCXLI. docuit primum in patria, tum Bruxellis, ac Lovanii, ubi inter Doctores Lovanienſis Academiæ adſcitus eſt, atque in celebri Lovanienſi Abbatia Præmonſtratenſium, quam *de Parco* nuncupant, res Theologicas tradidit. Romam venit MDCLXXVII. una cum doctiſſimo Chriſtiano Lupo, nomine Lovanienſis Academiæ, ob celebrem Janſenii cauſam. Rurſus Romam rediit MDCLXXXVII. tuncque, mortuo Michaele Ekio donatus eſt Cathedra Gymnaſii Romani, ſimulque præfectus eſt rei litterariæ in Collegio Urbano de Propaganda Fide, At MDCLXXXIX. cum ab Academia Lovanienſi inter illos primos Doctores adlectus eſſet, qui univerſam Academiam adminiſtrant, diſceſſit Urbe, neque rediit, niſi mortuo Euſanio, MDCXCII. cum a Summo Pontifice, conſtitutus eſt Præfectus Sacrarii Pontificii, & Epiſcopus Porphyrienſis, ac deinde Præpoſitus S. Stephani Moguntiæ, & Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Leodienſis. Anno MDCCXII. abdicavit ſe eo munere, atque Urbe diſceſſit, ut Vicarium Generalem ageret Clementis Bavari Epiſcopi Leodienſis, quo in munere, clariſſimus vir obiit MDCCXXII. Edidit Diſſertationes quatuor *de Attritione*, *& Contritione*, quas etiam a nonnullorum cenſura vindicavit.

Balthassar Melatius a Naro in Sicilia, Ordinis Minorum Conventualium, primo Coadjutorem egit Martialis Pellegrini in Cathedra Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ab MDCLXXI. ipſoque abſente, Ludovicus Vertua Taurinenſis, ejuſdem Ordinis, ejus vices geſſit, tum anno MDCLXXVII. Pellegrino ad Epiſcopatum evecto, ſucceſſit in eodem munere, tum ad Cathedram tranſiit Sacræ Theologiæ, ſtipendio aureorum centum viginti, Natus eſt MDCXLI. & annorum ſexdecim Franciſcanæ familiæ nomen dedit. Docuit Philoſophiam, ac Theologiam

giam Meſſanæ, & Romæ in Collegio S. Bonaventuræ Studiorum Regens electus. Conciones in Quadrageſima habuit Panormi, Meſſanæ, Neapoli, Florentiæ, Venetiis, Mediolani, Bononiæ, & Romæ. Variis quoque functus eſt muneribus Provincialis Siciliæ, Moderatoris Romani Cœnobii, Procuratoris generalis, Cenſoris S. Officii Florentiæ, Conſultoris Congregationis Indicis, Examinatoris Cleri Romani, Theologique Cardinalis Carpinei. Ordinis ſui vetera privilegia vindicavit, atque augeri, ac roborari curavit. Collegium Sancti Bonaventuræ in Urbe novis ædificiis, proventibus, & Bibliotheca auxit. Jura ſui Ordinis, Collegiique S. Bonaventuræ ſimul collecta ſtuduit cuſtodiri. Regni Poloniæ Procurator electus impetravit B. Cunegundam inter Beatas adſcribi. Narenſe Cœnobium pluribus Sanctorum Reliquiis ditavit. Obiit Romæ MDCCIX. magnifico funere tumulatus. Scripſit *Synodum Diœceſanam Albanenſem*, atque ſex reliquit volumina Theologiæ Dogmaticæ. Magnis laudibus celebratur a Mongitore in prima Appendice ad Bibliothecam Siculam, a quo dicitur *Theologus numeris omnibus abſolutus, vir æque benemeritiſſimus, ac laudatiſſimus.*

Nicolaus Fridericus Gavardi Mediolanenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſucceſſit Lamberto Ledrou, anno MDCXC. ac pluribus annis in Gymnaſio Sacras Litteras interpretatus eſt. Ejus doctrinæ teſtes ſunt libri ab eo editi: *Philoſophia vindicata ab erroribus Philoſophorum Gentilium juxta doctrinam S. Auguſtini & Beati Ægidii Columnæ*: *Quæſtiones de Hierarchia Eccleſiæ militantis*: *Theologia exantiquata juxta Sancti Auguſtini doctrinam ab Ægidio Columna expoſitam, Tomi ſex.*

Joannes Damascenus Bragaldo de Caſtro Bononienſi, Ordinis Minorum Conventualium, Cathedram Theologiæ Dogmaticæ aſſecutus eſt MDCXCVI. ſtipendio

aureorum centum, & duodecim. Magnam ſibi in Urbe conciliavit æſtimationem, adeo ut omnia geſſerit munia quæ doctis Theologis e Regularium Ordine ſolent in Aula Romana committi. Fuit namque Conſultor S. Officii, & Sacrarum Congregationum Rituum, Indicis, & Indulgentiarum, & Viſitationis Apoſtolicæ; Examinator Epiſcoporum, Clerique Romani; Theologus Congregationis Conſiſtorialis, atque a ſecretis Congregationi, quæ examinandis Epiſcopis recens electis imminet; tum etiam inter Aulicos Pontificios adſcitus, quos Cubicularios Partecipantes nuncupant. Majores aſſequuturus honores obiit immatura morte, die 26. Auguſti anno MDCCXV.

Ludovicus Maille Gallus, initio hujus ſæculi, ac deinceps per plures annos, ſtipendio aureorum centum tradidit e Cathedra Hiſtoriam Eccleſiaſticam, iis diebus, quibus cæteri omnes Profeſſores a Scholis abſtinebant.

Angelus Gulielmus Molus Comenſis, Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, MDCCVII. obtinuit in Romano Gymnaſio Cathedram Theologiæ, hora matutina. Quem hoc Elogio Jacobus Echard Tomo 2. Script. Ord. Prædic. pag. 800. deſcribit: *vir eximiis dotibus ornatus, annis pluribus Sacras Litteras variis in ſuæ Provinciæ locis, & ſtudiis jam docuerat, cum in Gymnaſio Bononienſi inſtitutus eſt Regens, quo munere cum inſigni laude fungebatur anno* MDCCI. *Romam poſtea a Magiſtro Ordinis vocatus, ab eodem Procurator generalis Ordinis in Aula Romana inſtitutus eſt menſe Octobri* MDCCVII. *& Fr. Joſepho Mariæ Tabaglia iſtud munus ob infirmam valetudinem abdicanti ſuffectus. Eo vero in officio ita ſe Clementi XI. regnanti probavit, ut mortuo xxvj. Februarii hujus anni* MDCCXX. *Magiſtro Ordinis Antonino Cloche, ab eodem Summo Pontifice mox Vicarius generalis datus, & præfectus fuerit, qui Ordinem*

dinem ad proximam electionem anno ſequenti MDCXXI. *faciendam regat, & adminiſtret*. Obiit anno Chriſti MDCCXXXVI.

Bernardus Desirant Flander, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, publicus Sacræ Scripturæ Profeſſor ab anuo MDCCXV. optime meruit de Sede Apoſtolica, editis his libris: *Auguſtinus vindicatus contra centum, & unam damnatas Paſchaſii Queſnellii propoſitiones, & contra Joannem Frighium, Joannem Volfangum Jegerum: Conſilium pietatis pro corrigendis erroribus contra appellantes ad futurum Concilium: Epiſtola familiaris Guilelmo Vynaris: Epiſtola familiaris Martino Steyaert: Judicium in Opuſcula poſthuma Chriſtiani Lupi*.

Joseph Maria Baldrati Ravennas, Ordinis Minorum Conventualium aſſecutus eſt Cathedram Theologiæ, hora veſpertina, MDCCXVI. ſtipendio centum aureorum, cumque ad ſupremum ſui Ordinis regimen pervenit, ejus vices in Gymnaſio geſſit Henricus Vaccari ejuſdem Ordinis. Legitur ejus Elogium in Faſtis Academiæ Florentinæ, e cujus cœtu fuit, Auctore Cerrachinio, his verbis: *Fr. Joſeph Maria Baldratus Ravennas Miniſter generalis* LXXXII. *Poſt Philoſophiam, ac Theologiam Faventiæ, Arimini, Ferrariæ, Bononiæ xij. annis ſumma cum ingenii, ac doctrinæ laude traditam, Bononienſi Cœnobio præfuit, mox Ravennatenſis Metropolitanæ Eccleſiæ Examinator Synodalis, ac duodecim annorum ſpatio Tarviſii, Senis, Florentiæ, Generalis Sancti Officii Inquiſitor. Poſtremo Romam a Clemente XI. evocatus Conſultoris S. Officii munere functus eſt, ac in Romano Sapientiæ Archigymnaſio Theologiæ Lector inſtitutus. Mortuo per id tempus Reverendiſſimo Burgheſio, Vicarius Generalis Apoſtolicus a Pontifice invitus renunciatus, ſimul & ad Epiſcopatum promovendorum Examinator, Vicariatus anno exacto, ne*

Generalis eligeretur omni ſtudio contendit. Supremam tandem univerſi Ordinis Præfecturam ſexennio poſt omnium ſuffragiis delatam Benedicto XIII. Comitiis præſente, fruſtra reluctans glorioſius cœpit. Obiit Romæ die 2. Februarii MDCCXXXII.

VINCENTIUS DE COMITIBUS Bergomas, Ordinis Minorum Conventualium, Baldrati Cathedram occupavit, cui in Cœnobio SS. Apoſtolorum excitatum eſt monumentum, cum hac inſcriptione: *Fr. Vincentio de Comitibus Bergomati ſpectatæ doctrinæ, prudentiæ, dexteritatis, ac morum elegantiæ viro, qui cum pluribus muneribus egregie abſolutis, Commiſſarii præſertim, dein Miniſtri provincialis, ac diu pro S. Officio Inquiſitoris Senis, Florentiæque, recurrentibus in Urbe Franciſcanæ Religionis Comitiis anno* MDCCXXXI. *omnium votis, omniumque plauſu Miniſter Generalis poſt Seraphicum Patriarcham octogeſimus tertius renunciatur. Tum vero ab Clemente XII. P. O. M. publicus in Romano Archigymnaſio Theologiæ Profeſſor, S. R. Univ. Inquiſitionis Conſultor, ac ejuſdem Minoritici Ordinis Præſul ſupremus inſtituitur, confirmatur. Poſtremo annis, laboribus, meritiſque plenus, altero tamen ſui regiminis ſexennio nondum exacto ceſſit e vita Kal. Martiis* MDCCXL. *& in hac Conſtantiniana SS.* XII. *Apoſtolorum Baſilica magnum diem expectat.*

COELESTINUS GALIANUS Foggianus, Abbas Congregationis S. Petri Cœleſtini, anno MDCCXVII. Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſimul & Theologiam Dogmaticam in Romano Gymnaſio pertractare cœpit. Is vir doctiſſimus, atque graviſſimus, cum diu apud ſuos docuiſſet, functuſque eſſet muneribus Procuratoris, Abbatiſque Generalis, a Carolo VI. Imperatore, MDCCXXXI. nominatus eſt Archiepiſcopus Tarentinus, & paulo poſt Major Capellanus Regni Neapolitani, unde abdicavit ſe Tarentino Epiſcopatu, donatus Titulo Archiepiſcopi Theſſanicen-

nicenſis. Nunc vero temporis apud Sereniſſimum Regem utriuſque Siciliæ Carolum Borbonium fungitur officio Majoris Capellani, magna cum ſui nominis gloria. De eo diximus in noſtro libro *de Capella Regis utriuſque Siciliæ, & aliorum Principum*, edito anno Chriſti MDCCXLIX.

HIERONYMUS AUGUSTINUS ZAZZERI Aretinus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ab anno MDCCXXV. Sacram Scripturam in Gymnaſio interpretari cœpit. Anno vero Chriſti MDCCXLVII. rude donatus eſt, obiitque anno MDCCXLIX.

JOANNES BOTTARI Florentinus, MDCCXXXI. donaeſt Cathedra Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, tum obtinuit muneris vacationem, adſcituſque eſt inter Aulicos Pontificios quos Capellanos Secretos vocant, & inter Cuſtodes Vaticanæ Bibliothecæ. Scripſit de Muſæo Capitolino, de Roma ſubterranea, & alia plurima ad antiquitates ſpectantia.

VINCENTIUS MARIA FERRETTI Anconitanus, Ordinis Prædicatorum, e Theologo Caſanatenſi, Priore Romani Cœnobii, Provinciali Romanæ Provinciæ, & Inquiſitore Peruſino, Procurator generalis Ordinis, & publicus Theologiæ Profeſſor, MDCCXXXVI. tum Vicarius generalis Ordinis Prædicatorum, mortuo Thoma Ripoll Magiſtro generali. Ejus vices in Gymnaſio gerit Thomas Boninſegnius, Senenſis, ejuſdem Ordinis.

CAROLUS DOMINICUS DE MOIA Mediolanenſis, Ordinis Minorum Conventualium, Regens Collegii Sancti Bonaventuræ, Cenſor Academiæ Theologicæ, ac publicus in Romano Gymnaſio Profeſſor Theologiæ ad mentem Scoti ab anno MDCCXXXVI.

JOANNES GENESIUS BARRIN Gratianopolitanus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, obtinuit Cathedram Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, MDCCXXXVII. tum ipſius muneris vacationem. Is Sacræ Facultatis Pariſienſis Theologus,

atque

atque inter ejus ſelectos Deputatos pro dirimendis occurentibus negotiis, & præparandis deciſionibus, ac ſtatutis, Theologiam profeſſus eſt in magno ſui Ordinis Collegio Pariſienſi Univerſitati aggregato. Et in Urbe bis Aſſiſtentis Galliæ, Ex-Generalis, Qualificatoris Sancti Officii honores aſſecutus eſt.

Fridericus de Judice Teatinus, Abbas Congregationis Sancti Petri Cœleſtini, Galiano ad ſupremum ſui Ordinis regimen evecto, anno Salutis MDCCXXX. ejus vices geſſit in Romano Gymnaſio, tum vero anno MDCCXXXVIII. præfectus eſt Cathedræ Dogmaticæ Theologiæ, quæ nuper conjuncta cum Eccleſiaſtica Hiſtoria fuerat, a qua olim fuerat diſtincta. Sed, conceſſa Joanni Geneſio Barrino vacatione muneris, utramque Cathedram rurſus ſimul conjunctam occupavit, uſque ad annum Chriſti MDCCXLVIII. Nunc vero temporis pertractandis controverſiis Dogmaticis dumtaxat incumbit. Diu etiam apud ſuos docuit, & novæ editioni Bullarii Romani magnam operam contulit.

Augustinus Antonius Georgi Bononienſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, e Schola ſui Ordinis Bononienſi, ubi Regentis officium geſſit, ad Romanam Scholam, Saeramque Scripturam in Almæ Urbis Gymnaſio intepretandam electus eſt anno MDCCXLVI.

Bartholomæus a Valle e Savedra Cordubenſis, Carmelita, pluribus annis Metaphyſicam profeſſus eſt in locum Polycarpi de Burgos, ejuſdem Ordinis. Nunc vero temporis Moralem Theologiam expendit.

Callixtus Palombella ex Oppido Iſclæ in Pontificia Ditione, Ordinis Servorum B. M. Virginis, poſtquam apud ſuos munera obiiſſet Regentis in Cœnobio S. Marcelli, & Procuratoris Generalis, & inter Conſultores Sacrorum Rituum adſcitus eſſet, disjuncta Cathedra

thedra Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a Theologia Dogmatica anno MDCCXLVIII. delectus eſt Profeſſor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Sed anno ſequenti renunciatus Epiſcopus Tarracinenſis, huic Eccleſiæ nunc temporis meritiſſime præeſt.

JOSEPH CARAFA Neapolitanus, Clericus Regularis, Summi Pontificis BENEDICTI XIV. electione, Profeſſor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ab anno Salutis MDCCXLIX.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

ADVOCATI CONSISTORIALES.

BENEDICTUS CAJETANUS primus occurrit ex antiquis Advocatis Sacri Conſiſtorii, quorum ſupereſt memoria, qui cum excelleret Juriſprudentiæ, ac rerum agendarum peritia, a Martino IV. MDCCLXXXI. cooptatus eſt inter Cardinales, tum Cœleſtino V. ſe ſe abdicante, Summus Pontifex electus, MCCXCIV. nomine Bonifacii VIII. difficillimis temporibus Eccleſiam impavide adminiſtravit, uſque ad MCCCIII. Dicitur a S. Antonino in Chron. Parte 3. Tit. 20. Cap. 8. *Vir utique prudens, & litteratus & magni animi, zelator magnus, & Conſervator jurium Eccleſiæ*. Ejus vitam Joannes Baptiſta Rubeus conſcripſit.

ROLANDINUS DE ROMANTIIS Bononienſis, donatus Laurea MCCLX. e numero fuit Advocatorum Sacri Conſiſtorii, uti Cartharius aſſerit ex manuſcripto opere Valerii Rinerii de viris claris Bononienſibus. Et Alidoſius in libro de Juriſconſultis Bononienſibus teſtatur ſcripſiſſe illum de ordine agendi in cauſis criminalibus, de Penſionibus, Quæſtioneſque, obiiſſe vero MCCLXXXIV. Memoratur etiam a Panzirolo in libró de Claris Legum Interpretibus, his verbis: *Præter Rolandinum Paſſagerium alter fuit Rolandinus ex Romanicea familia, & ipſe* Bononienſis*, eximiuſque cauſarum Patronus, qui de Ordine Maleficiorum Tractatum compoſuit, Dino Bononiæ docente, & Gandino ibidem quæſtionis judicia exercente claruit. A civibus Conſul ad agendam Rempublicam creatus eſt &c.*

COMES ARCHIDIACONUS Mediolanenſis, ANGELUS de

de Urbe, & Pero de Senis Advocati Conſiſtoriales anno MCCLXXVII. Pontifice Joanne XXI. conſulti, an juxta decreta Conciliorum Lateranenſis, & Lugdunenſis, quibus novi Regularium Ordines inſtitui prohibebantur, Ordo Servorum Beatæ Mariæ Virginis eſſet abrogandus ſuffragium tulere, cum Ordinem decretis illis minime complecti, nec prohiberi, quemadmodum fuſe narrat Archangelus Gianus in Annalibus Servorum Cap. 6. Centur. I. Lib. 4.

Andreas de Gandolfis, & Porrina de Caſulis anno MCCLXXXVI. Honorio IV. Pontifice, Advocati Conſiſtoriales, qui & *Advocati Romanæ Curiæ* dicebantur, ſuffragium pariter tulere, Conſtitutionem Gregorii X. in Concilio Lugdunenſi editam Ordini Servorum minime obſtare; eorumque Conſilium legitur apud eumdem Gianum Lib. 5. Cap. 4.

Oldradus de Ponte Laudenſis, Advocatus Conſiſtorialis, ſæculo decimo quarto, de quo diximus, cum de Profeſſoribus Legum.

Bonifacium de Vitalinis inter Advocatos Conſiſtoriales recenſet Cartharius, quia ipſe in Clem. *Dudum*, De Judic. num. 9. ait ſe ſub Clemente VI. egiſſe Advocatum Fiſci. At munus hoc jampridem nonniſi Advocatis Conſiſtorialibus demandari conſueviſſe conſtat ex Fulgoſio in *L. Binos*, C. de Advoc. diverſ. judic. ajente morem eſſe Curiæ Romanæ, ut antiquior Advocatus Conſiſtorialis ſit Advocatus Fiſci. Porro Bonifacius fuit etiam Protonotarius Apoſtolicus, & Auditor Romanæ Rotæ, ſcripſitque *Commentaria in Clementinas Conſtitutiones*.

Albericus de Rosate Bergomas, Advocatus Conſiſtorialis medio ſæculo decimo quarto, vir magnæ auctoritatis, *magnuſque Practicus* nuncupatus, qui patriæ Statuta ordinavit, & quem Luchinus Vicecomes Mediolanenſium Princeps miſit Oratorem ad Benedictum

Papam XII. obiit in patria MCCCLIV. ac reliquit *Commentaria ſuper Digeſtis, & Codice: De Statutis volumen: Dictionarium in Jure Civili*. De eo Ficardus & Pancirolus.

Lapus de Castiglione Oppido Diœceſis Aretinæ, quem alii Florentinnm aſſerunt, celeberrimus Juriſconſultus, & Advocatus Conſiſtorialis medio fere ſæculo decimo quarto floruit, vertitque e Græco plurimas illuſtrium virorum vitas a Plutarcho ſcriptas, tum edidit *Commentaria in Sextum Librum Decretalium: Allegationes: Additiones ad Tractatum de Beneficiorum permutatione Federici Petruccii de Senis: Tractatum De Hoſpitalibus: Tractatum de Canonica portione, & de quarta: Tractatum de Imperatoribus*. Diverſus ab altero Lapo Florentino, Abbate S. Miniatis, viro etiam clariſſimo. Verum Ponciantius de Scrip. Floren. hunc Lapum Abbatem inter Advocatos Conſiſtoriales recenſet. E contra Pancirolus Lapum Abbatem ab Advocato diſtinguit.

Simon Columbi, & Petrus de Sanctacruce Advocati Conſiſtoriales memorantur ab Ægidio Bellamera Conſ. 9. num. 17. & 23. Tum etiam Joannes de Armone ab eodem Bellamera Conſil. 23. num. 2. dicitur Advocatus Conſiſtorialis; itemque Bonifacius de Amantis; Conſil. 26. n. 12.

Petrum de Garsis, ſive Ubaldinum egiſſe Advocatum Sacri Conſiſtorii, vergente ad finem ſæculo decimo quarto Alidoſius de Juriſconſultis Bonon. in Appendice teſtatur.

Jacobus de Sena, & Joannes de Janua apud Gregorium XI. Pontificem fungebantur Advocati officio anno MCCCLXXVII. uti colligitur ex Ægidio Bellamera Deciſ. 411. & Deciſ. 688. ſimulque cum Cardinalibus, & Auditoribus ſententiam dixere.

Jacobum de Cuticis Mediolanenſem, ſæculo decimo

cimo quarto inter Advocatos fuiſſe Conſiſtoriales, colligitur ex ejus Reſponſo edito inter Conſilia Oldradi Conſil. 272. ubi ait ſe voluiſſe verba facere, & allegare in Conſiſtorio.

Bartholomæus Forteguerra Lucenſis, ab Urbano VI. MCCCLXXXXVI. cum Lucæ moraretur adſcitus eſt inter Advocatos Conſiſtoriales, uti ex Chronica inedita Petri Tuccii Lucenſis eruit vir diligentiſſimus Cartharius.

Bonifacium de Boziis, & Nicolaum de Calvis Advocatos Conſiſtoriales Urbanus VI. MCCCLXXXVII. juſſit examen inſtituere de rebus a Senatore, ejuſque Officialibus geſtis, quod examen vocant *Sindicatum*, uti ex Regeſto Vaticano reſcivit laudatus Scriptor Carolus Cartharius.

Petrus de Ubaldis Peruſinus, Advocatus Conſiſtorialis, & inſignis Canonum Profeſſor, ut Cæſar Chriſpoltus in Hiſt. Peruſ. & ut diximus, cum de Profeſſoribus Legum egimus.

Bartholomæo de Novaria Advocato Conſiſtoriali, & Nuncio Apoſtolico in Anglia Bonifacius IX. MCCCXCI. conceſſit ex Beneficiorum Angliæ proventibus certam portionem, uti ex Regeſto Vaticano teſtatur laudatus Cartharius.

Anselmus Bosius ſeu de Rociis Mediolanenſis, & Dominicus de Viterbio Advocati Conſiſtoriales, ſimul cum Bartholomæo de Novaria, aliiſque, teſtes fuere, MCCCXCIV. cum Bonifacius IX. Civitatem Bertinorii oppignoravit Carolo de Malateſtis. Item Anſelmo Boſio Advocato Conſiſtoriali Bonifacius IX. ædes quaſdam conceſſit in regione S. Euſtachii ſub annuo cenſu unius floreni aurei de Camera.

Julianus Bini de Julianis Peruſinus, MCCCXCV. Advocatus Conſiſtorialis a Bonifacio IX. ad ſex menſes præficitur Oppido Corneti.

Symeonem de Peruſio Advocatum Conſiſtorialem Bonifacius IX. mcccxcviii. conſtituit in Urbe Judicem appellationum. Hunc etiam Innocentius VII. ſimul cum Antonio de Vinea Milite Capuano ablegavit Nuncium ad Archiepiſcopum Piſanum, ad Senenſes, & ad populos Thuſciæ, & Lombardiæ pro Eccleſiæ pace concilianda. Ab Alexandro V. conſtitutus eſt Advocatus Fiſci. Anno mcdxi. Pontifice Joanne XXIII. in Conſiſtorio retulit, quæ crimina Ladislao Neapolitano Regi opponebantur. Anno vero mcdxv. interfuit Concilio Conſtantienſi.

Joannes de Monte Politiano mcdiii. erat Advocatus Conſiſtorialis, Vicariuſque Summi Pontificis Urbeveteri; quem eumdem Provinciarum Campaniæ, & Maritimæ Vicerectorem Joannes XXIII. mcdxiv. Conſtantiam miſit cauſa celebrandi Concilii. Ex Vatic. Reg. Carharius.

Augustinus de Lante Piſanus Advocatus Conſiſtorialis a Joanne XXIII. ablegatus eſt in Angliam, ut opem Pontifici imploraret contra Ladislaum Regem. Is idem ſub Gregorio XII. Pontifice, anno Salutis mcdxi. rurſumque ſub Martino Papa Quinto egit Advocatum Fiſci

Franciscus de Ubaldis Peruſinus, Baldi filius, qui in patria, & Ticini Jus docuit, inter Advocatos Conſiſtoriales ſub Gregorio XII. ex Vatic. Reg. numeratur a Carthario.

Sanctus de Vivianis Canonicus Ferentinus, Scriptor Litterarum Apoſtolicarum, Pœnitentiariæ, & Abbreviatoriæ in hoc Collegium mcdviii. a Gregorio XII. eſt cooptatus. Interſuit Concilio Florentino ſub Pontifice Eugenio IV.

Cola Magni Anagninus, Advocatus Conſiſtorialis a Martino V. Pontifice mdxxii. conſtitutus eſt Urbis Viceſenator. De eo Cartharius,

Joan-

Joannes de Æmiliis Brixianus, fungebatur hoc officio ſub Martino V. ſcripſitque *Juris Repertorium*. Laudatur ab Elia Cauriolo in Hiſt. Brix. Lib. 7. & a Mariano Socino in Tract. de Citat. art. 5. Sed ab aliis dicitur Nicolaus.

Nicolaus Benuccius Senenſis e Præpoſito Cathedralis Senenſis Advocatus Conſiſtorialis a Martino V. electus, teſte laudato Ugurgerio in libro de Pompis Senenſibus.

Antonius Venectinus Romanus, Miles, Comes, & Advocatus Conſiſtorialis, ex inſcriptione ſepulcrali, quæ Romæ in Eccleſia S. Franciſcæ nuncupata legitur. Hunc Martinus V. præfecit Bononiæ, quem *Poteſtatem* nuncupant.

Gratiolus Accarisius Bononienſis a Joanne XXII. MCDXIV. inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitus, docuit in patria, obiitque medio fere ſæculo decimo quinto, uti Alidoſius teſtatur in libro de Juriſconſultis Bononienſibus.

Ardicinus de Porta Novarienſis Advocatus Conſiſtorialis, tum Clericus Cameræ Apoſtolicæ, & a Martino V. anno MCDXXVI. Cardinalis creatus, obiit anno MCDXXXIV.

Gulielimus de Masculis Ariminenſis Advocatus Conſiſtorialis, nomine Caroli Malateſti Ariminenſium Principis præſtitit fidelitatis ſacramentum Martino V. Pontifici, uti narrat Clementinus in Hiſt. Arim. Lib. 8. Part. 2. Eumdem Sigiſmundus Imperator conſtituit Comitem Palatinum ex eodem Clementino Lib. 9. ad annum 1433.

Joannes Tomasius Senenſis, eximius Juriſconſultus, docuit Patavii, & Senis circa MCDXVIII. tum inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitus, ex Ugurgerio de Pomp. Senenſibus.

Ricardus Cardensis Archidiaconus Roffenſis Advoca-

voca-

vocatus Conſiſtorialis Palatii Apoſtolici , abſolvitur a Cenſuris MCDXXIV. quod pro ſuo Archidiaconatu denarium S. Petri minime ſolverit. Ex Reg. Vatic. Cartharius.

Ivo Coppolus Peruſinus, publicus in Urbe Profeſſor, & Advocatus Conſiſt. de quo diximus cum de Profeſs. Legum egimus.

Ludovicus Pontanus dictus Romanus, inſignis Juriſconſultus, publicus Profeſſor, & Advocatus Conſiſtorialis, de quo etiam diximus, cum egimus de Profeſſoribus Legum.

Joannes de Baroncellis Romanus, hujus Collegii Decanus, interfuit Concilio Florentino, & an. MCDLXIII. egit Advocatum Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ, tum Auditorem Rotæ Romanæ.

Justinus de Planca Romanus Advocatus Conſiſtorialis memoratur in Conſtitutione Eugenii IV. anno Salutis MCDXXXII. qua Profeſſoribus Gymnaſii Romani conceſſit ſtipendia ex vectigali vini. Is interfuit Concilio Florentino, atque Patribus ſignificavit, quæ a Baſilienſi Concilio contra Pontificem geſta fuerant, uti liquet ex Hiſtoria Concilii Florentini ab Horatio Juſtiniano conſcripta.

Genesius de la Porta Advocatus Conſiſtorialis, una cum Juſtino de Planca, Joanne de Baroncellis, Antonio de Roſellis, Angelo de Boncianis, Bruno de Bononia, Advocatis etiam Conſiſtorialibus interfuit Concilio Florentino.

Ludovicus de Grassis Bononienſis, Canonicus Cathedralis Bononienſis, & Vicarius Thomæ Sarzana Epiſcopi Bononienſis, tum Romæ Advocatus Conſiſtorialis, Clericus Cameræ Apoſtolicæ, ejuſdemque Auditor, denique MCDXLIX. Epiſcopus Ariminenſis. Memoratur ab Alidoſio in libro de Juriſconſultis Bononienſibus.

An-

Digitized by Google

Angelus Perillius Peruſinus, teſte Pancirolo de Clar. Leg. Interpr. cum aliquamdiu in patria profeſſus eſſet, Romæ electus eſt Advocatus Conſiſtorialis, mox Patavium conductus, docuit ibi ſimul cum Paulo Caſtrenſi, ibique MCDXXXI. Opuſculum *De Suitate*, & alterum *De Societate*, & aliquot *Commentaria in Jus Civile* ſcripſit, demum reverſus in patriam, dum ibi publici Profeſſoris munere fungitur, obiit MCDXLVI. Addit Pancirolus, dici neminem eo ſubtilius docuiſſe, aut acrius Patavii diſputaſſe. Laudatur a Cæſare Criſpolto in Hiſt. Peruſ. & Angelo Portinario Lib. 7. Cap. de felicitate Patav.

Antonius Rosellus Aretinus, Roſelli de Roſellis celebris Juriſconſulti filius, & Joannis Baptiſtæ Roſelli eximii Profeſſoris Patavini pater, Advocatus Conſiſtorialis, Advocatus pauperum, Comes, & Miles, docuit Jus Canonicum in Patavino Gymnaſio, interfuit Concilio Florentino, & conditionibus pacis inter Apoſtolicam Sedem & Dominos de Malateſtis MCDXXXVI. ſancitæ, ab Eugenio bis Legatus miſſus ad Sigiſmundum Imperatorem, ad Albertum Cæſarem, & ad Carolum VII. Regem Galliæ pro arduis Eccleſiæ negotiis, dejectus ſpe aſſequendi ſummos Eccleſiæ gradus, quod bigamus eſſet, Urbe diſceſſit, Pataviumque ſe contulit, ubi per annos viginti octo docuit Jura ſumma cum laude ſtipendio aureorum quingentorum. Obiit MCDLXVI. Scripſit *Monarchiam*, librum nempe de Pontificis, & Imperatoris poteſtate: *De Conciliis*: *De Indulgentiis*: *De Uſuris*: *De Succeſſionibus ab inteſtato*: *Commentaria in Jus Pontificium*.

Angelum de Boncianis Florentinum Advocatum Conſiſtorialem, Militem, Scriptorem Apoſtolicum, & Pontificis familiarem, Eugenius IV. MCDXXXVIII. conſtituit ad annum Senatorem Urbis, ut ex Regeſto Vatic. Cartharius. Is egerat Fiſci, & Cameræ Procuratorem.

Ni-

Nicolaus de Lapis Bononienſis e Canonico Archipresbytero, & Vicario Eccleſiæ Bononienſis Advocatus Conſiſtorialis obiit anno mcdli. uti ex Alidoſio in citato libro conſtat.

Antonius de Cafarellis Romanus, Advocatus Conſiſtorialis interfuit Concilio Florentino, & clari nominis in Urbe fuit, ſub Eugenio Quarto Summo Pontifice.

Andreas de Sanctacruce Romanus, Sacri Conſiſtorii Advocatus interfuit Concilio Florentino, ſcripſitque diſputationes inter Græcos, atque Latinos habitas, ut refert Juſtinianus in Hiſt. Conc. Flor. Anno mcdxxxiii. e numero erat Reformatorum Studii, ſub Eugenio IV. Sub Pio II. erat Advocatus Fiſci. Denique ſub Paulo II. Pontifice Statuta Urbis ordinavit. Obiit anno Salutis mcdlxxi.

Joannes de Tibure mcdxlvi. inter Advocatos Sacri Conſiſtorii numerabatur, ut ex antiquo documento eruit Cartharius.

Orlandus de Bernardis Advocatus Conſiſtorialis ſubſcriptus legitur cum Joanne de Anania, aliiſque Doctoribus cuidam Conſilio edito in volum. i. Conſil. crimin. diverſ.

Georgius Tomasius Senenſis, poſtquam in patria publice Jura docuiſſet. Romæ inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitus eſt mcdl. teſte Ugurgerio de Pompis Senenſibus.

Laurentius de Liliis Senenſis, Advocatus Sacri Conſiſtorii ſub Pio II. uti ex Reg. Vatic. compertum fuit Carthario.

Ludovicus Petruccianus Interamnenſis e publico Profeſſore Legum in Senenſi Gymnaſio Advocatus Conſiſtorialis, teſte Franciſco Angelono in Hiſt. Interam. mcdlx.

Paulus de Venetinis Romanus in Conſtitutioni-

bus

Digitized by Google

bus Advocatorum Conſiſtorialium legitur hoc officio functus.

Nicolaus de Ubaldis Peruſinus, clariſſimus Juriſconſultus, publicus in patrio Gymnaſio Profeſſor, Adcatus Conſiſtorialis, & deinde a Paulo II. Romanæ Rotæ Auditor conſtitutus, a Sixto IV. Orator miſſus ad Ludovicum Galliarum Regem, antequam ſummos Eccleſiæ honores aſſequeretur, obiit, relictis duobus libris: *De ſucceſſionibus ab inteſtato*. De quo Alexius de Perus. Et Pancirolus.

Joachinus de Narnia Advocatus Conſiſtorialis ſub Paulo II. ordinavit Urbis Statuta, & anno MCDLXVIII. Advocatus Fiſci, obiit anno MCDLXXV. tumulatus in Aracelitana Eccleſia.

Lælius de Valle Romanus Advocatus Conſiſtorialis, & Advocatus pauperum ſub Paulo II. cujus meminit Platina in hujus Pontificis vita, dicitur edidiſſe in nonnullas Leges *Commentaria*.

Paulus de Tuscanella Advocatus Conſiſtorialis quem Paulus II. in Galliam Nuncium ſuum miſit, ſedit deinde inter Auditores Romanæ Rotæ.

Joannes Baptista de Brendis Romanus Advocatus Conſiſtorialis ſub Paulo II. ſæpe cum laude memoratur a Corneo in ſuis Conſiliis.

Vivianus de Vivianis Advocatus Conſiſtorialis memoratur a Ludovico Gomeſio in Reg.Cancell. de annali poſſeſſore.

Paulus Pontanus Romanus celebris Advocatus Conſiſtorialis dicitur a Blondo Flavio in Italia illuſtrata, ubi agit de Ducatu Spoletano.

Seraphinus de Sutrio occurrit in Conſtitutionibus Advocatorum Conſiſtorialium, teſte Carolo Carthario in Syllabo.

Augustinus Bonfranciscus Ariminenſis, Advocatus Conſiſtorialis, auxit Tractatum de maleficiis ab An-

Angelo Gambilione Aretino compoſitum, uti in hujus vita teſtatur Diplobatacius.

Joannes Bertacchinus Firmanus, præſtantiſſimus Juriſconſultus, diſcipulus Friderici Capiliſtii, & Antonii Roſelli, pluribus in Civitatibus jus reddidit, medio ſæculo decimo quinto, Advocatus Conſiſtorialis, ſcripſit *Repertorium legale* in quinque partes diſtributum: *De gabellis*, *tributis*, *& vectigalibus*. Laudatur a Pancirolo, aliiſque.

Sigismundus de Ubaldis Peruſinus, Baldi junioris filius, fraterque Nicolai Advocati Conſiſtorialis, & ipſe etiam hoc officio functus dicitur a Pancirolo.

Marianus Socinus Senenſis, natus anno MCDI. Græcis, Latiniſque litteris, Poeſi, Muſicis, Mathematicis, Juriſprudentia doctiſſimus, diu Jura docuit Patavii, & in Patria, a ſuis Civibus Orator ad Pium II. Pontificem miſſus, ab eo inter Advocatos Conſiſtoriales cooptatus eſt, cujus familiaritate uſus fuerat, & a quo in quadam ſua epiſtola ita deſcribitur. *Vir eſt eloquens, Juris utriuſque conſultus. Hiſtorias omnes novit. Poetice peritus eſt, carmen facit & latinum, & tuſcum. Philoſophiæ tam ſcius quam Plato. Geometer quaſi Boethius. In numeris Macrobio ſimilis. Nullum inſtrumentum ignorat muſicum. Agriculturam quaſi Virgilius novit. Nihil civile ignotum viro. Quaſi alter Apelles ſic pingit. Nihil emendatius eſt, nihil lucidius, quam ſua manu ſcripti Codices. Sculpſit ut Praxiteles. Nec Medicinæ ignarus eſt. Adde virtutes morales, quæ alios regunt, ducuntque. Hic perliberalis eſt, plena illi ſemper domus eſt honeſtis hoſpitibus. Nulli adverſus eſt. Populos tuetur, ægros ſolatur, pauperibus ſubvenit, viduas juvat, nulli indigenti deeſt.* Obiit anno MCDLXVII. Scripſit *Repetitiones in Decretales*: *De citationibus*: *De juramento calumniæ*: *De foro competenti*:

Digitized by Google

ti: *De libelli oblatione*: *De litis conteſtatione*: *Ut lite non conteſtata*: *De mutuis petitionibus*: *De oblationibus*: *De teſtibus*: *De viſitatione*: *De fortibus*: *Conſilia*. De eo fuſe Ugurgerius, Pancirolus, aliique.

Seraphinus Urbinatenſis, Advocatus Conſiſtorialis memoratur a Blondo Flavio in Italia illuſtrata, ubi agit de Marchia Anconitana.

Petrus Laurentius de Lutis Senenſis, coævus Mariani Socini, poſtquam in patria publice profeſſus eſt, Romæ fuit Sacri Conſiſtorii Advocatus, teſte Ugurgerio.

Zenobius de Guasconibus Florentinus, inter Conſilia Mar. Socini Conſ. 152. legitur Sacri Conſiſtorii Advocatus.

Garsias de Hispania pariter inter Conſilia Mariani Socini Conſ. 110. legitur Advocatus Conſiſtorialis.

Joannes Gozadinus celeberrimus Advocatus Conſiſtorialis ſub Nicolao Pontifice V. anno MCDL. nominatur a Ludovico Gomeſio in Compendio utriuſque Signaturæ.

Valesius Advocatus Conſiſtorialis occurrit inter Conſilia Mariani Socini Conſ. 88. & 89.

Antonius de Gratianis Advocatus Conſiſtorialis indicatur a Ludovico Gomeſio in Reg. Cancel. de triennali poſſeſſore.

Bartholomæus Cepolla Veronenſis, celebris Juriſconſultus, Palatina, & Equeſtri dignitate donatus, diu docuit Patavii magna cum gloria medio ſæculo decimo quinto, & a Venetis Orator miſſus una cum Paulo Mauroceno ad Imperatorem in Conventu Ratiſponenſi contra Turcas inito, inter Advocatos Conſiſtoriales cooptatus, obiit circa annum MCDLXXVII. relictis hiſce ingenii ſui monumentis: *De cognitione librorum Juris Canonici*: *De Imperatore militum deligendo*: *De ſervitu-*

Digitized by Google

tutibus urbanorum prædiorum : *De ſervitutibus ruſticorum prædiorum* : *De uſucapione* : *De contractibus emptionum & locationum cum pacto de retrovendendo ſimulatis* : *De interpretatione legis extenſiva* : *De verborum ſignificatione* : *Conſilia civilia* : *Conſilia criminalia* : *Repetitiones*. De eo Pancirolus, Mantua, Pappadopoli.

Angelus de Caſtro Eques, Comes, Advocatus Conſiſtorialis, & publicus in Patavino Gymnaſio Profeſſor per annos quadraginta, Pauli de Caſtro filius, floruit circa annum MCDLXXX. ac ſcripſiſſe dicitur doctiſſima Conſilia. De quo Mantua in lib. de vir. illuſtr. Portinarius de felic. Patav. Lib. 7. Cap. 5. & Pancirolus in Paulo Caſtrenſi.

Joannes Aloysius Tuscanus Mediolanenſis, Advocatus Conſiſtorialis ſub Sixto IV. deinde Apoſtolicæ Cameræ Auditor ſæpe memoratur a Gomeſio in Reg. Cancell. tum etiam a Morigia in libro de Mediolanenſi Nobilitate. Cujus tanta fuit gloria, ut ænea quædam numiſmata excuſa fuerint, in cujus priori facie Tuſcani effigies laureato capite cernitur, cum hac inſcriptione *Joannes Aloyſius Tuſcanus Advocatus*; in altera Palladis ſimulacrum cum his verbis: *Quid non Pallas*.

Bartholomæus Socinus Senenſis, Mariani filius, magni nominis Juriſconſultus Senis, Piſis, Patavii, Bononiæ publice docuit, variiſque in legationibus a Senenſibus adhibitus, ad Alexandrum VI. Pontificem Orator miſſus, territus Pontificia dignitate obmutuit, & a Pontifice in Advocatorum Conſiſtorialium ordinem adlectus, obiit in patria anno MDVII. publico Senenſium ære tumulatus. Scripſit *Commentaria in Digeſtum vetus*, *Infortiatum*, *Digeſtum novum*, *& Codicem*; *Regulas Juris*, *& earum fallentias* : *Conſilia* : *Additiones ad Repetitiones*, *& Tractatus Mariani Socini*. Fuſe de eo Ugurgerius, & Pancirolus.

Ni-

Digitized by Google

Nicolaus Bufalinus de Caſtello, publicus in Urbe Profeſſor, & Advocatus Conſiſtorialis, uti diximus cum de Profeſſoribus Legum.

Andreas Bencius Senenſis cum in pluribus Italiæ Gymnaſiis utrumque Jus per annos triginta quatuor publice docuiſſet, Romæ vixit Advocatus Conſiſtorialis, Patronuſque Fiſci ſub Pio II. Pont. Obiit anno MCDLXXII. ſepultus in Eccleſia Sancti Euſtachii. De eo Ugurgerius.

Monaldus de Paradisis Interamnenſis, Advocatus Conſiſtorialis circa annum MCDLXXV. uti teſtatur Franciſcus Angelonus in Hiſt. Interamnenſi.

Coronatus de Planca Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro VI. in publicis Conſiſtoriis, die XXI. Decembris MCDXCIV. cum Fredericus de Aragonia nomine patris ſui Ferdinandi Neapolitani Regis obedientiam Pontifici exhibuit; & die XXV. Februarii anno MCDXCIII. cum Marchiones Montiferrati idem obſequium Pontifici præſtitere, verba fecit, uti conſtat ex Joannis Burchardi Diariis. Laudatur ab Alphonſo Soto in Reg. Innocentii VIII.

Baldus de Bartolinis Peruſinus, ob inſignem Juris peritiam, *Baldus novellus* appellatus, diu docuit in patria, & Piſis, inter Advocatos Conſiſtoriales cooptatus, obiit in patria, anno MCDXXVIII. editis *Commentariis* in Leges nonnullas, & Tractatum *De dotibus, & dotatis mulieribus, earumque juribus, & privilegiis*. De eo Jacobillus, Chriſpoltus, Panciroluſ.

Octavianus de Martinis Sueſſanus, Advocatus Conſiſtorialis ſæpe nominatur in Diariis Burchardi, qui in publicis Conſiſtoriis ſub Alexandro VI. verba fecit, pro Oratoribus Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Navarræ, cumque Cardinales donandi fuere inſignibus ſuæ dignitatis. Obiit a ſuis domeſticis occiſus anno MD. Laudatur a Gomeſio in Reg. Cancell.

An-

Digitized by Google

Angelus de Ubaldis Peruſinus natus ex Alexandro filio Angeli Ubaldi ſenioris, diu Peruſiæ, Ferrariæ, & Patavii publice docuit, tum a Sixto IV. Romam vocatus, auctuſque eſt dignitate Advocati Conſiſtorialis, & a Friderico Imperatore Comitis, Militiſque, obiit anno MCDXCII. Scripſit *Commentaria in Leges*: *Conſilia*. De eo Criſpoltus, & Alexius in Hiſt. Peruſ.

Franciscus Patavinus Advocatus Conſiſtorialis ſub Innocentio VIII. anno MCDLXXXIV. in publicis Conſiſtoriis diſſeruit de Leopoldo Auſtriaco in Sanctorum Album referendo. Ejus Oratio extat apud Surium Tom. v. die xv. Novembris. Memoratur a Voſſio de Hiſtoricis Latinis.

Hector de Flisco Januenſis, Balionus de Balionibus Peruſinus, Ricchus de Ricchis Senenſis, Ludovicus de Albertonibus Romanus, Advocati Conſiſtoriales anno MCDLXXXV. nominantur in Conſtitutione Innocentii VIII. a Carthario relata, qua confirmavit Sixti IV. Conſtitutionem de duodenario numero Advocatorum.

Dominicus de Jacobatiis Romanus, anno MCDLXXXV. ab Innocentio VIII. fit Advocatus Conſiſtorialis, tum poſt annos quinque Auditor Romanæ Rotæ, deinde Canonicus S. Petri, Epiſcopus Nucerinus, tandem a Leone X. anno MDXVIII. Cardinalis, & a Clemente VII. Epiſcopus Groſſetanus. Obiit anno MDXXVIII. Scripſit *De donatione Conſtantini Imperatoris*: *De utroque gladio in Eccleſia*: *De Concilio*, anno MDXIII. præerat Gymnaſio, ſimulque erat Pontificis in Urbe, quoad Spiritualia, Vicarius, uti conſtat ex adducta Conſtitutione Leonis X. Quæ duo deinde munera Andreas ejus frater geſſit.

Paulus de Planca Romanus, erat hujus Collegii Decanus ſub Innocentio VIII. anno MCDLXXXV. uti patet ex hujus Pontificis Conſtitutione apud Cartharium, qua con-

confirmavit Sixti IV. Conſtitutionem, ut duodecim eſſent numero Advocati Conſiſtoriales, ut Advocatorum filii, & Romani Cives reliquis adſcribendis in hunc Cœtum præferrentur, declaravitque Advocatorum filios excludi minime debere a Collegio, eo prætextu, quod duodenarius numerus abſolutus eſſet, ſed admitti debere ultra numerum, qui deinde defunctis parentibus ſuccedant. Fuit & Canonicus Vaticanæ Baſilicæ, ſæpe diſſeruit in publicis Conſiſtoriis, ac ſæpe etiam objectiones ex Jure depromptas propoſuit Auditoribus Rotæ, in publicis diſputationibus, cum ſuum munus auſpicarentur, uti ex Diariis Burchardi. Interſuit Concilio Lateranenſi ſub Julio II. egitque Advocatum Populi Romani.

Guilelmo Ritio Avenionenſi Advocato Conſiſtoriali Innocentius VIII. anno MCDLXXXVI. dedit in mandatis, ut inquireret de quibuſdam oppidis occupatis a Rege Francorum. Ex Regeſto Vaticano Cartharius.

Joannes Campegius Bononienſis Advocatus Conſiſtorialis, Juriſconſultus magni nominis, & auctoritatis, & publicus Legum Profeſſor circa an. MCDLXXXIX. in Gymnaſio Patavino, tum etiam Bononiæ, & Ticini, ſcripſit *De dote*, *De Statutis*, *De Teſtibus*, *& Conſilia* obiitque in patria anno MDXI. Dicitur a Mantua in libro de viris illuſtribus *Juriſperitorum eloquentiſſimus*, *& eloquentium Juriſperitiſſimus*. De eo Alidoſius in libro de Juriſconſ. Bonon. & fuſe Pancirolus de claris Legum Interpretibus.

Joannes Baptista Caccialupus de Sancto Severino in Piceno, Clariſſimus Juriſconſultus, docuit Jus Civile in Senenſi Gymnaſio, ubi etiam jus dixit, circa annum MCDLXIV. tum Romæ floruit Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro VI. ſcripſit *Repetitiones* quampluriinas in Digeſtum, & Codicem, & Tractatus *De Advocatis*: *De debitore ſuſpecto*, *& fugitivo*: *De pactis*, *& con-*

Digitized by Google

& conſtituto: *De tranſactionibus*: *De feudis*: *De ludo*: *De penſionibus*: *De unionibus Eccleſiarum*, *& Beneficiorum*: *De modo ſtudendi in utroque jure*: *Defenſorium juris*: *Diſputationes*. De eo memoratus Pancirolus.

Angelus Cæsius Romanus, Petri Senatoris Urbis filius, & Pauli, & Friderici Cardinalium pater, Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro VI. pluries nominatur in Diariis Burchardi, qui in publicis Conſiſtoriis, cum Oratores Regum Summo Pontifici obedientiam præſtitere, verba fecit. Interfuit Concilio Lateranenſi ſub Julio II. Obiit anno MDXXVIII. tumulatus in Eccleſia S. M. de Pace.

Fabianus de Monte ex oppido S. Sabini in agro Aretino, Antonii Cardinalis pater, & Julii III. avus, doctus Juriſconſultus, & Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro VI. Scripſit *De emptione*, *&*, *venditione*, *ac de omnibus contractibus in genere*: *De pactis inter emptorem*, *& venditorem*: *De periculo & commodo rei venditæ*.

Justinus Carosius Veliternus, Advocatus Conſiſtorialis, & Advocatus Fiſci ſub Alexandro VI. Leone X. Julio II. pluries in publicis Conſiſtoriis, cum agebatur de obedientia Summo Pontifici præſtanda ab Oratoribus Principum, vel de Cardinalibus conſtituendis, diſſeruit.

Laurentius de Caparellis erat Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro VI. uti ex quodam hujus Pontificis Diplomate obſervavit Cartharius.

Burgundius Leolus Piſanus Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro VI. ſæpe diſſeruit in publicis Conſiſtoriis, & Cardinali Eſtenſi Romam venienti obviam ivit, cum aliis Aulæ Romanæ Prælatis, & Urbis Magiſtratibus, uti legitur in Diariis Burchardi. Obiit anno MDI. jacetque in Eccleſia S. Auguſtini.

An-

Anselmus Bitontus Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro VI. in publico Conſiſtorio, cum novi Cardinales promovebantur, verba fecit, uti ex Diariis Burchardi.

Alphonsus Recenatus Neapolitanus, Hieronymi Cardinalis, & Nicienſis Epiſcopi pater, Advocatus Conſiſtorialis ſub Alexandro Papa VI. uti ex Diariis Burchardi colligitur.

Antonius de Leonibus Advocatus Conſiſtorialis anno mcdxcvi. ſimul cum Bernardino Card. Caravagial Apoſtolico Legato, aliiſque Aulæ Romanæ Præſulibus obviam ivit Maximiliano Cæſari ad Urbem venienti, ut Imperiale Diadema acciperet, ex Diariis Burchardi.

Ludovicus Bologninus Bononienſis, *ingenii elegantia omnes ſui temporis Interpretes viſus eſt ſuperaſſe, qui quantum illa ſæcula patiebantur, a barbarie diſcedens bonas litteras coluit*, ut ait Pancirolus. Publice docuit Bononiæ, & Ferrariæ. Sub Innocentio Papa VIII. donatus Equeſtri honore jus reddidit. A Carolo VIII. Francorum Rege adſcitus eſt in ſuum Conſilium, uti etiam a Ludovico Sfortia Mediolanenſium Duce. Florentiæ juri dicendo præfuit, & Prætorem egit. Ab Alexandro VI. Senator Romanus, & Advocatus Conſiſtorialis electus, tum a Julio II. declaratus Patriæ Senator, miſſuſque Orator ad Ludovicum XII. Gallorum Regem, peracta Legatione, in patriam reverſus obiit anno mdviii. Scripſit *Repetitiones plures*: *Interpretationes legum*: *Conſilia*. *Tractatum de Indulgentiis*: *Tabulam in Decretales concordantem Decretales cum Decreto*: *Epitomen Decretorum*: *Collectionem florum in Jus Canonicum*: *Singularia*: *Additiones ad Conſilia Joannis de Anania*: *Additiones ad Tractatum Nicolai de Ubaldis de ſucceſſionibus ab inteſtato Clericorum Regularium, & ſecularium*: *Additiones ad opuſculum Signeroli de Homodeis, utrum præferendus ſit*

Digitized by Google

Doctor, an Miles: Additiones ad Tractatum Matthæi Matheſilani de ſucceſſionibus ab inteſtato: Additiones ad Tractatum Guidonis de Sazaria de tormentis, ſive de indiciis, & tortura: Additiones & Correctiones ad Tractatum Cataldini de Boncompagnis de translatione Sacri Concilii Baſileæ ad inclitam Civitatem Ferrariæ. De eo Alidoſius, & Pancirolus.

Cataldinus de Boncompagnis de Viſſo, Advocatus Conſiſtorialis ſcripſit *Conſilia* quædam inter Conſ. Crimin. diverſ. & opuſculum *De translatione Sacri Concilii Baſileæ ad inclitam Civitatem Ferrariæ, ac de viribus, & importantia literarum ejuſdem, & de poteſtate Papæ: Tractatum de Syndicatu*.

Franciscus Maria Plotus de Novaria Advocatus Conſiſtorialis, cujus *Conſilia* nonnulla leguntur impreſſa inter Conſ. Crim. diverſ.

Franciscus Gerona & Joannes Bartholomæus de Dossis anno MD. fuere in Collegium Advocatorum adſciti. Is poſtremus ſæpe memoratur in Diariis Burchardi, & in publico Conſiſtorio anno MDVII. cum Oratores Regis Aragoniæ cunctarentur, ex tempore diſſeruit.

Vincentius de Monte e Monte S. Sabini, filius Fabiani, ejuſque in munere Advocati Conſiſtorialis Coadjutor, & ſucceſſor, parens Julii III. egregiuſque Juriſconſultus.

Cenninus Venninis Senenſis a Pio Papa III. anno MDIII. inter Advocatos Conſiſtoriales adſcriptus, in pluribus Reipublicæ negotiis adhibitus a Senenſibus, & Orator miſſus ad plures Principes, teſte Ugurgerio de Pompis Senenſibus. Nonnulla ejus Conſilia edita ſunt inter Conſilia Mariani Sociani.

Jacobus Simonetta Mediolanenſis anno MDV. a Julio II. fit Advocatus Conſiſtorialis, tum Auditor Romanæ Rotæ, denique Cardinalis, & Epiſcopus Peruſinus a Paulo III. renunciatus, de Eccleſia optime meritus, obiit

obiit anno MDXXXIX. Edidit Tractatum *Reſervationum Beneficiorum*. De eo Ciacconius, & Ughellus.

BALIONUS MONTEVIBIANUS Peruſinus, publicus Legum Profeſſor in patria, & in Urbe, magnæque in patria auctoritatis, ſepties Orator miſſus ad Summos Pontifices, inter Advocatos Conſiſtoriales adſcriptus, obiit anno MDXI. De eo Criſpoltus, Alexius, & Oldoinus de Peruſinis.

JOANNES BAPTISTA PAULINUS nominatur Advocatus Conſiſtorialis in Conſtitutione Leonis X. Papæ anno MDXIII. favore Populi Romani edita, & a Fenzonio relata, ſcripſit *Repetitiones* in Cap. *Cum ex eo* De Pœnit. & Remiſs.

JULIUS DE ALBERTISCHIS Romanus, Advocatus Conſiſtorialis memoratur in Conſtitutione citata Leonis Papæ X.

JOANNES BAPTISTA RICCI dictus CASULANUS ab ejus patria in Senenſi ditione, a Clemente VII. in Collegium Advocatorum Conſiſtorialium adſcitus obiit ex lue, ſepultus deinde Senis anno MDXXIX. teſte Ugurgerio.

HORMANUTIUS DE DETIS Florentinus, Advocatus Conſiſtorialis legitur inter Conſilia Socini junioris, Conſ. 128. edidit *Repetitiones in Leges nonnullas*.

VINCENTIUS DE HERCULANIS Peruſinus, dictus *Friſius* ob vulnus in facie inflictum, in eodem Conſilio Socini junioris legitur Advocatus Conſiſtorialis, diu docuit in patria, licet ætate gravis oculorum lucem amiſiſſet, conſultuſque fuit anno MDXXVIII. a Pontifice, & ab Oratoribus Anglis circa matrimonium Henrici VIII. Regis Angliæ, & Catharinæ de Aragonia, obiit anno MDXXXIX. ſcripſitque *Commentaria in Digeſtum & Infortiatum*: *Reſponſa*. De eo Mantua in libro de viris illuſtribus, Chriſpoltus in Hiſt. Peruſ. Cæſar Alexius in elogiis Peruſinorum.

JACOBUS DE NIGRIS Bononienſis, publicus in Ur-

 be

Digitized by Google

be Profeſſor, & Advocatus Conſiſtorialis, teſte Alidoſio, uti diximus, cum de Profeſſoribus Legum.

Petrus Guicciardinus Florentinus, & Vincentius Paleottus Bononienſis, a Leone X. in hoc Collegium adſciti ſunt anno mdxv. Florentiæ.

Lancellottus Politus Senenſis, eodem anno a Leone X. fit Advocatus Conſiſtorialis, qui in Senenſi Gymnaſio docuerat, & Joannem de Monte, poſtea Julium III. Summum Pontificem diſcipulum habuerat, ac in variis Italiæ Academiis publice diſſeruerat. Is idem anno mdxvii. Ordini Prædicatorum nomen dedit, notiſſimuſque eſt nomine Ambroſii Catarini Theologi eximii, deinde Archiepiſcopi Compſani. Obiit anno mdliii. Scripſit *Tractatum ſubſtitutionum* : *Repetitiones*, & plurima Theologica opera, quæ recenſet Jacobus Echard de Scriptoribus Ord. Prædicat. De eo Ugurgerius, & Pancirolus.

Camillus de Balionibus Peruſinus, in patria publicus Legum Profeſſor, tum Romæ Advocatus Conſiſtorialis, & Auditor Romanæ Rotæ obiit anno mdxxxiv. De eo Chriſpoltus in Hiſt. Peruſ. & Cæſar Alexius in elogiis Peruſinorum.

Melchior Baldassinus Neapolitanus, Advocatus Aulæ ſacri Conſiſtorii, & Pauperum, pius, doctus, & integerrimus dicitur a Cârthario, qui Concilio Lateranenſi ſub Julio II. interfuit, & ſæpe in publicis Conſiſtoriis diſſeruit, obiit anno mdxxv. ſepultus in Eccleſia S. Auguſtini.

Galeottus Ferracciolus anno mdxvii. Julius Stephanellus anno mdxix. Tarquinius de Sanctacruce anno mdxxi. leguntur Advocati Conſiſtoriales, uti refert Cartharius.

Bernardum de Sanctis Reatinum Carolus V. Imperator anno mdxx. commendavit Leone X. ut inter Advocatos Conſiſtoriales adſcriberetur. Sub Clemente Pa-

pa

Digitized by Google

pa VII. Gubernator Urbis ſcripſit doctum Conſilium, ne diſſolveretur conjugium inter Henricum VIII. Regem Angliæ, & Catharinam Reginam. Anno Chriſti MDXXXVIII. electus eſt Epiſcopus Aquilanus, tum in Belgium, & in Germaniam Nuncius Apoſtolicus ablegatus. De eo Ughellus in Ep. Aquil.

Jacobus Bovius Bononienſis, pluribus Legationibus pro patria ad Summos Pontifices functus a Leone Pontifice X. inter Advocatos Conſiſtoriales cooptatus, ac Senator Urbis, obiit anno MDXXII. De eo Alidoſius.

Alexander Paleottus Bononienſis, pater Gabrielis Cardinalis, anno MDXXV. erat Advocatus *Sacri Lateranenſis Palatii*, ſeu Conſiſtorialis, & publicus in Bononienſi Gymnaſio Juris Canonici Profeſſor. Obiit Senator patriæ anno MDXXVII. teſte Alidoſio.

Joannes Bernardinus Scottus Sabinus ex Oppido Maliani, Advocatus Conſiſtorialis, ſocium ſe dedit S. Cajetano Thienæo, & Joanni Petro Carafæ poſtea Paulo IV. in Clericorum Regularium Ordine inſtituendo. Eum deinde Paulus IV. conſtituit Archiepiſcopum Tranenſem, tum anno MDLV. Cardinalem, & Pius IV. Epiſcopum Placentinum. Obiit vir eximiæ pietatis, & doctrinæ Romæ anno MDLXVIII. tumulatus in Baſilica Sancti Pauli. De eo Silos in Hiſtoria Clericorum Regularium & Ciacconius in vitis Cardinalium.

Antonius quidam e publico Legum Profeſſore in Gymnaſio Patavino, a Clemente Pontifice VII. adſcitus inter Advocatos Conſiſtoriales memoratur a Ferreto Conſ. 240.

Joannes Baldassinus Neapolitanus, patrem habuit Antonium Neapoli Præſidem Cameræ, patruum Melchiorrem, cui ſucceſſit in munere Advocati Conſiſtorialis, cum in Neapolitano Gymnaſio aliquamdiu Jura profeſſus eſſet.

Ma-

Marius Salomonius de Albertiſchis Romanus, publicus in Urbe Profeſſor Jurium, & Advocatus Sacri Conſiſtorii, uti diximus, cum de Profeſſoribus Legum.

Petrus Paulus Martinus de Riccis Senenſis e publico in Senenſi Gymnaſio Profeſſore Legum, a Clemente VII. Advocatus Conſiſtorialis delectus eſt, teſte Ugurgerio.

Joannes Aloysius de Aragonia Romanus, Advocatus Conſiſtorialis in pluribus publicis Conſiſtoriis anno Chriſti mdxxxii. diſſeruit validum, firmumque eſſe conjugium inter Catharinam & Henricum VIII. Regem Angliæ.

Joannes Andreas Fata de Corinalto in Umbria, Ariminum, Fulgineum, Urbinum nomine Sedis Apoſtolicæ moderatus eſt, a Januenſibus ad Galliæ Regem Orator miſſus, ab eo donatus dignitate Equitis aurati, ſub Leone X. Advocatus Conſiſtorialis, variiſque in Reipublicæ negotiis adhibitus laudatur a Vincentio Cimarello in Hiſtoria Corinalti.

Antonius Gabrielius Romanus, Advocatus Conſiſtorialis ſub Clemente VII. interfuit Coronationi Caroli V. Imperatoris Bononiæ peractæ, fuit Advocatus Fiſci, & Cameræ, ſcripſit *Communium Concluſionum* volumen in ſeptem libros diſtributum, obiitque anno mdlv.

Joannes Franciscus Burla, & Galeatius, anno mdxxx. Advocati Conſiſtoriales, pariterque anno mdxxxi. Sigismundus Dondolus Piſtorienſis, Hieronymus de Justinis de Caſtello, Vespasianus Cæsius Romanus, Gaspar Argolus de Talleacotio, Pompilius de Sanctacruce Romanus.

Fabius Mignanellus Senenſis, Advocatus Conſiſtorialis, a Clemente VII. & Paulo III. ad Carolum V. Imperatorem Orator miſſus, Piceni Moderator, Bononiæ

niæ Vicelegatus, tum Epiſcopus Lucerinus, deinde Groſſetanus, denique Cardinalis a Julio III. anno MDLI. creatus, miſſuſque ad Senenſes Legatus, obiit in Urbe anno MDLXVII. de quo Ciacconius, Ughellus, & Ugurgerius.

Petrum Franciscum Robbium Januenſem anno MDXXXVI. Ferdinandus Rex Romanorum commendavit Paulo III. ut inter Advocatos Conſiſtoriales adſcriberetur.

Prosper Sanctacrucius Romanus, ſub Clemente Papa VII. Advocatus Sacri Conſiſtorii, ſub Paulo III. Auditor Romanæ Rotæ, & Epiſcopus Chyſanenſis in inſula Cretæ, ſub Paulo IV. variis Legationibus functus, a Pio IV. Nuncius in Gallia ad Carolum IX. ac denique Cardinalis renuntiatus, anno MDLXV. obiit MDLXXXIX. ſepultus in Baſilica Liberiana. De quo Ciacconius, & Ughellus in Epiſc. Alban.

Fabius Accorambonus Eugubinus, docuit Patavii, & Romæ, fuitque Advocatus Conſiſtorialis, & Auditor Romanæ Rotæ, uti diximus cum de Profeſſoribus Legum.

Joannes Baptista Ferrettus Vicentinus, publicus Juris Civilis in Patavino Gymnaſio Profeſſor, & Advocatus ſacri Conſiſtorii, medio circiter ſæculo decimoquinto, ſcripſit *Repetitiones in Jure Canonico: Conſilia*.

Joannes Baptista Castaneus natus anno MDXXI. e Coſmo Caſtaneo Januenſi, & Conſtantia Ricci Romana, in Urbe humanioribus litteris, Peruſiæ, Patavii, Bononiæ Juriſprudentia inſtructus, primo egit Auditorem Cardinalis Veralli avvunculi ſui, tum Advocatus Conſiſtorialis, Præfectus obſignandis libellis, Archiepiſcopus Roſſanenſis, quo nomine interfuit Concilio Tridentino, variiſque publicis muneribus functus, a Gregorio XIII. anno MDLXXXIII. inter Cardinales adſcitus, de-

defunᴄto Sixto V. anno MDXC. ſupremus Eccleſiæ Pontifex nomine Urbani VII. electus, poſt duodecimum ab electione ſua diem, magno cum omnium luctu obiit. In ejus funere Pompejus Ugonius Profeſſor Rhetoricæ in Romano Gymnaſio habuit Orationem editam ab Oldoino in additionibus ad Ciacconium.

Achilles Maffeus Romanus, Advocatus Conſiſtorialis, anno MDXLIV. & Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, & publicus in Romano Gymnaſio Profeſſor.

Archangelus Patritius Senenſis Advocatus Conſiſtorialis, obiit anno MDLV.

Achilles de Grassis Bononienſis, ex Advocato Conſiſtoriali a Paulo III. anno MDXLVII. delectus eſt Auditor Rotæ Romanæ, deinde anno MDLI. Epiſcopus Montis faliſci, & Corneti, tum Nuncius apud Neapolitanum Proregem, & Venetam Reipublicam, obiit in Urbe anno MDLV. editis *Sacræ Romanæ Rotæ Deciſionibus*. Præfuit Romano Gymnaſio.

Petrus Paulus Sanguineus Romanus, Advocatus Conſiſtorialis obiit anno MDXLIX.

Burgundius Leolus de Gripiis Piſanus, ſe ſe abdicavit munere Advocati Conſiſtorialis anno MDLIV.

Nicolaus Eremitanus Bononienſis, Protonotarius Apoſtolicus, & Advocatus Sacri Palatii, anno Domini MDLII. ſupremo fato functus, memoratur ab Alidoſio de Juriſconſultis Bononienſibus.

Marcus Antonius Burghesius Senenſis, Pauli Papæ V. pater, poſtquam in patria aliquot annis publice docuiſſet, turbatis publicis rebus, Romam venit, uxoremque duxit Flaminiam Aſtalliam, atque in Advocatorum Collegium adſcitus, anno MDLV. ejus Collegii Decanus extitit, & anno MDLXVII. Pauperum Defenſor. Quo anno Pius V. Conſtitutionem tulit a Carthario relatam, qua veterem conſuetudinem, ut Advocatus Pauperum ex hoc Collegio ſemper deligeretur, confirmavit, ſta-

ſtatuitque, ut Advocati Sacri Conſiſtorii patrocinandis ſine ulla mercede cauſis pauperum aſſidue incumberent. Obiit anno MDLXXIV. jacetque in Eccleſia SS. Trinitatis in Monte Pincio. De eo Ugurgerius.

Alexander Ferreus Ursinus Romanus, defuncto Marco Antonio Burgheſio, antiquior ſeu Decanus erat Collegii, obiitque anno MDLXXVI.

Carolus Baldassinus Neapolitanus, ſucceſſit anno MDXLIX. Carolo fratri in munere Advocati Conſiſtorialis, tum Ferreo mortuo, hujus Collegii Decanus vivis exceſſit anno MDXCI.

Scipio Lancellottus Romanus, ſub Paulo III. Advocatus Conſiſtorialis, a Pio IV. miſſus ad Concilium Tridentinum, variiſque in legationibus adhibitus, tum inter Romanæ Rotæ Auditores adſcriptus, a Gregorio Papa XIII. anno MDLXXXIII. Cardinalis renunciatus, obiit anno MDXCVIII. ſepultus in Baſilica Lateranenſi.

Marcus Antonius Maffæus Romanus, Achillis Advocati, & Bernardini Cardinalis frater, perfunctus muneribus Advocati Conſiſtorialis, Canonici Baſilicæ Vaticanæ, & Lateranenſis, Advocati Senatus Populique Romani, Vicarii Pontificis in Urbe, & Apoſtolici apud Polonos Nuncii, denique Archiepiſcopus Teatinus, & Cardinalis obiit anno MDLXXXIII.

Silvester Aldobrandinus Florentinus, Clementis VIII. pater, eximius Juriſconſultus, fuit primum a ſecretis Reipublicæ Florentinæ, tum a Mediceis pulſus, a Conſilio fuit Ducibus Ferrariæ, & Urbini, demum Advocatus Conſiſtorialis, & Fiſci obiit anno MDLVIII. Scripſit *Annotationes ad Inſtitutiones Juſtiniani*: *Commentaria ad Inſtitutiones Juſtiniani*: *Tractatum de optima filiorum inſtitutione*. De eo Pancirolus, & Poccinatius de Script. Florent.

Annibal Sanguineus Romanus, Petri parentis ſupremo fato functi locum occupavit anno MDXLIX. ſed

 poſt

poſt annos quinque ſe ſe hoc munere abdicavit.

Antonius Vellius Romanus, publicus in Romano Gymnaſio Legum Interpres, & Advocatus Conſiſtorialis a Julio III. anno MDL. conſtitutus.

Fabritius Gabrielius Romanus, Antonii parentis in munere Advocati Conſiſtorialis Coadjutor fuit.

Marianus Socinus Senenſis, dictus junior ut ab altero Mariano Socino diſtinguatur, clariſſimus Juriſconſultus docuit magnis ſtipendiis in Gymnaſiis Senenſi, Piſano, Patavino, Bononienſi; dumque Bononiæ profiteretur, anno MDLI. a Julio III. cooptatus eſt inter Advocatos Conſiſtoriales. Obiit Bononiæ anno MDLVI. Edidit *Conſilia*: *Communes juridicas Concluſiones*: *Repetitiones in Leg. ſciendum ff. de Leg.* De quo fuſe Panciroluſ ejus diſcipulus, & Ugurgerius.

Honuphrius Camajanus Aretinus, Abbreviator Parci majoris, Advocatus Conſiſtorialis, Patronus Fiſci, Conſiliarius Sanctæ Inquiſitionis, & Sacræ Conſultat. Protonotarius Apoſtolicus, Præſes Cameræ Apoſtolicæ obiit anno MDLXXIV.

Antimus Marchesanus de Caſtello, anno MDLIV. ſubrogatus eſt Annibali Sanguineo, ſed poſt annos duodecim ſe hoc munere abdicavit, egitque Datarium ſub Pio Papa V. tum patriæ ſuæ Epiſcopum. Obiitque anno MDLXXXII.

Alexander Oliva Aquilanus, in locum Burgungii Leoli adſcitus eſt in hoc Collegium, obiitque anno MDLXV.

Petrus Paulus de Justinis de Caſtello, Hieronymi filius, anno MDLV. locum Archangeli Patritii occupavit, ſed poſt annos viginti, munus dimiſit.

Angelus Cæsius Romanus, a Julio III. in locum Veſpaſiani Cæſii fit Advocatus Conſiſtorialis anno MDLIV. tum poſt annos duodecim præficitur Eccleſiæ Tudertinæ, denique Clericus Cameræ Apoſtolicæ obiit anno

anno MDCVI. Laudatur a Ferdinando Ughello in Epiſcopis Tudertinis.

JOANNES ALDOBRANDINUS Florentinus, Silveſtri filius, Clementis VIII. germanus frater, a patre ſucceſſor in hoc munere nominatus, deinde anno MDLXVI. Auditor Romanæ Rotæ, tum a Pio V. Epiſcopus Imolenſis, & Cardinalis, obiit anno MDLXXIII.

MARIUS GABRIELIUS Romanus, Antonii filius, ſucceſſit patri in hoc munere, ſimulque fuit Senatus, Populique Romani Advocatus.

PETRUS ALDOBRANDINUS Florentinus, Silveſtri filius, Clementis VIII. frater, cum Joannes alter ejus frater adlectus eſt Romanæ Rotæ Auditor, ipſe Collegio Advocatorum adſcriptus eſt, ſcripſit *Repetitiones* plures, & Summam Rolandinam *Additionibus* locupletavit.

JOANNES BAPTISTA FLISCUS RITIUS Albiganenſis, hoc officio fungebatur anno MDLIX.

FANCISCUS BOSSIUS Mediolanenſis, a Pio IV. in hoc Collegium cooptatus, ſub Pio Papa V. Protonotarius Apoſtolicus, Utriuſque Signaturæ Referendarius, Vicelegatus Peruſiæ, Umbriæ, ac Bononiæ, & Epiſcopus Gravinenſis; ſub Gregorio XIII. Epiſcopus Peruſinus, tum Novarienſis, obiit anno MDLXXXIV.

BONSIGNORUS FINETTUS Senenſis, publicus in Romano Gymnaſio Profeſſor, anno MDLXV. Advocatus Conſiſtorialis, tum poſt duos annos Auditor Romanæ Rotæ, Umbriam adminiſtravit, obiit anno MDLXXII. De eo Ugurgerius.

HIERONYMUS MAGGIOLINUS Mediolanenſis in locum Alexandri Olivæ fit Advocatus Sacri Conſiſtorii a Pio IV. anno MDLXV. cum is Pontifex decreviſſet anno MDLX. ut in hoc Collegio ſua ſemper eſſet ſedes Civi Mediolanenſi.

JOANNES BAPTISTA ASTALLIUS Romanus, anno

Digitized by Google

MDLXVI. deligitur Advocatus Conſiſtorialis, in locum Antimi Marcheſani.

HYPPOLYTUS ALDOBRANDINUS Florentinus, Advocatus Sacri Conſiſtorii, Auditor Romanæ Rotæ, Pontificius Datarius, Cardinalis, denique anno MDXCII. ſupremus Eccleſiæ Pontifex Clemens VIII. confirmavit hujus Collegii jura, edita Conſtitutione a Carthario relata, obiit anno MDCV.

FABRITIUS LAZZARUS Dertonenſis, Auditor Cardinalis Friderici Cæſii, Advocatus Conſiſtorialis, & Senatus, Populique Romani, obiit anno MDLXXXV.

MARCUS ANTONIUS BIZZONUS Romanus, publicus in Gymnaſio Urbis Interpres Legum, Finetto inter Auditores Rotæ adſcripto, hoc munus obtinuit a Pio V. anno MDLXVII. tum a Sixto V. Epiſcopus Fulginatenſis, & Apoſtolicus Nuncius in Neapolitano Regno delectus eſt. Obiit in ſua Eccleſia MDCVI.

CAMILLUS BURGHESIUS Romanus, Marci Antonii filius, patris Coadjutor in hoc munere deſignatus eſt anno MDLXIX. ſed poſt aliquot annos ceſſit huic juri ſuo, tum Vicarius Liberianæ Baſilicæ, Vicelegatus Bononienſis, Auditor Cameræ Apoſtolicæ, Nuncius ad Regem Hiſpaniæ, Cardinalis, Epiſcopus Æſinus, Vicarius Urbis, denique Summus Pontifex electus eſt, anno MDCV. nomine Pauli V. præfuit Eccleſiæ annis fere ſexdecim.

OCTAVIANUS VESTRIUS BARBIANUS Imolenſis, Advocatus Sacri Conſiſtorii MDLXXII. & pauperum Patronus, edidit librum, cui titulus: *Practica in Romanæ Aulæ actionem, & judiciorum mores introductionem continens*.

HORATIUS BURGHESIUS Romanus, Pauli V. frater, MDLXXII. Coadjutor Marci Antonii parentis, Advocatus Senatus, Populique Romani, tum etiam Fiſci, & Cameræ, MDLXXXVII. primus Gymnaſii Romani Rector ele-

Digitized by Google

electus eſt a Collegio, cui Sixtus V. perpetuo jure id regimen commiſerat. Sed anno ſequenti Auditor Cameræ Apoſtolicæ conſtitutus, diſceſſit ex hoc munere, & e vivis anno MDXC.

LAURENTIUS CAMPEGIUS Bononienſis, MDLXXIII. ex Archidiacono Bononienſi, & publico in patria Profeſſore, Advocatus Sacri Conſiſtorii, Defenſor Pauperum, tum Epiſcopus Cervienſis, Nuncius in Neapolitano Regno, & apud Venetam Rempublicam. Obiit anno MDLXXXV.

VINCENTIUS PARENTIUS Lucenſis, an. MDLXXVI. locum Petri Pauli Juſtini occupavit, & una cum aliis Advocatis Conſiſtorialibus ordinavit Statuta Urbis, obiitque MDXC.

HORATIUS ARIGONUS Romanus, Pompei Cardinalis frater, Advocatus Conſiſtorialis, cujus nonnulla Conſilia edita typis leguntur apud Clariſſimum Farinacium.

HIERONYMUS DE BOBUS Bononienſis, MDLXXVI. ſedit inter Advocatos Sacri Conſiſtorii, Defenſor Pauperum, Canonicus Vaticanæ Baſilicæ, deinde MDLXXX. Epiſcopus Camerinenſis, Piceni Moderator, Nuncius apud Poloniæ Sereniſsimum Regem, obiit in Urbe anno Chriſti MDXCVI.

ALOYSIUS TERZAGUS Mediolanenſis, MDLXXVII. huic Collegio adſcriptus, deinde vero munere ſeſe abdicavit.

ULYSSES BOVIUS Bononienſis, publicus in patrio Gymnaſio Profeſſor, Advocatus Sacri Conſiſtorii, & Abbreviator Parci majoris obiit in Urbe, anno Chriſti MDLXXVIII.

PETRUS ALDOBRANDINUS Romanus, Clementis VIII. fratris filius, Sacri Conſiſtorii Advocatus, Protonotarius Apoſtolicus, Præfectus Molis Adrianæ, & Cardinalis a Clemente VIII. renunciatus, obiit anno MDCXXI.

SI-

Sigismundus Zannettinus Bononienſis, e publico in patrio, Maceratenſi, Senenſi, & in Romano Gymnaſio Profeſſore per annos viginti ſeptem, anno Chriſti MDLXXIX. Advocatus Conſiſtorialis, & Defenſor Pauperum, tum anno MDLXXXIV. primus Archiepiſcopus Firmanus, obiit anno MDXCV.

Joannes Romeus Barbatius Bononienſis, locum Hieronymi de Bobus electi Camerinenſis Epiſcopi occupavit, eodemque anno MDLXXX. Romanæ Rotæ Auditor electus, ſupremo fato functus eſt.

Petrus Franciscus Gypsius Bononienſis, docuit publice in patria, Aſſiſium moderatus eſt, Romæ in Foro Capitolino jus dixit, tum anno MDLXXX. ſedem Joannis Romei Barbatii occupavit, ſequente anno Auditor Romanæ Rotæ, edidit ſuas *Deciſiones*, obiitque anno MDXCIX.

Cæsar Marsilius Bononienſis, ſex annis in patrio Gymnaſio Jura profeſſus, a Gregorio XIII. ſubrogatur Petro Gypſio, tum etiam Zannettino in Patrocinio pauperum. Anno MDLXXXVIII. cum Ferdinandus Mediceus ſe ſe Cardinalatu vellet abdicare, verba ad hanc rem fecit in publico Conſiſtorio. Obiit Decanus Collegii anno MDXCIV.

Flaminius Platus Mediolanenſis, anno MDLXXXIII. Advocatus Sacri Conſiſtorii, ſub Sixto V. Auditor Romanæ Rotæ, a Gregorio XIV. in Cardinalium Ordinem relatus, obiit anno MDCXIII.

Pompeus Arigonius Romanus, in locum Horatii fratris Advocatus Conſiſtorialis anno MDLXXXIV. tum Auditor Rotæ Romanæ, a Clemente VIII. Cardinalis, a Paulo V. Archiepiſcopus Beneventanus electus, obiit prope Neapolim, anno MDCXVI.

Vincentius Baldinaccius Eugubinus, anno Chriſti MDLXXXV. ſedebat inter Advocatos Conſiſtoriales.

Hieronymus Gabrielius Eugubinus, anno MDLXXXV.

in hoc

Digitized by Google

in hoc Collegium adſcitus, duo *Conſiliorum* volumina evulgavit, obiitque anno MDLXXXVII.

Cinus Campanus Auximanus, publicus in Urbe Profeſſor Legum, & Advocatus Sacri Conſiſtorii in locum Sigiſmundi Zannettini anno MDLXXXV. vivis diſceſſit anno MDXCVI.

Alexander Litta Mediolanenſis, anno MDLXXXV. Advocatus Conſiſtorialis, deinde ſub Gregorio XIV. Auditor Romanæ Rotæ, obiit anno MDCVI.

Joannes Garsia Millinus Romanus, ſub Sixto V. anno MDLXXXVI. Advocatus Conſiſtorialis, ſub Gregorio XIV. Auditor Romanæ Rotæ, ſub Paulo V. Archiepiſcopus Rhodienſis, Nuncius apud Hiſpaniæ Regem, Cardinalis creatus anno MDCVI. Legatus a latere in Germaniam miſſus, Epiſcopus Imolenſis, Pontificis in Urbe Vicarius, obiit anno MDCXXIX. Ejus vitam Decius Memmolus ſcripſit.

Coronatus Planca de Coronatis Romanus anno MDLXXXVII. Sacri Conſiſtorii, & Populi Romani Advocatus, tum Collegii Decanus, præfuit Romano Gymnaſio, obiitque anno MDXCIX.

Mutius Vellius Romanus, patris Coadjutor, anno MDLXXXVII. ſedem in hoc Collegio obtinuit, ſexies electus Gymnaſii Romani Rector, obiit anno MDCVIII.

Rutilius Alterius Romanus, publicus in Gymnaſio Romano Legum Profeſſor, a Sixto Papa V. anno MDLXXXVII. inter Advocatos Conſiſtoriales adſcriptus, Defenſor Pauperum, ac ſemel Romani Gymnaſii Rector, obiit anno MDC.

Tiberius Cerasius Romanus, anno MDLXXXIX. in hoc Collegium receptus, Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Patronus, bis Gymnaſii Romani Rector, deinde Clericus Cameræ Apoſtolicæ, ejuſdemque Theſaurarius obiit anno MDCI.

Bernardinus Biscia Romanus, Lælii Cardinalis pa-

biſ præfuit Romano Gymnaſio. Eccleſiam Tuſculanam Deiparæ conſecratam, & Teatinis conceſſam extruxit, ubi & ei monumentum excitatum viſitur.

Julium Benignum Romanum, in Gymnaſio Urbis Profeſſorem, Clemens VIII. anno mdxcvii. elegit, ut Cini Campani defuncti ſedem in hoc Collegio occuparet. Quo auctus honore, adhuc Jura publice docuit, tum Patronus Pauperum, Rector Gymnaſii Romani anno mdcxiv. & Secretarius Congregationis Rituum ſimulque Archiepiſcopus Theſſalonicenſis anno mdcxxiii. adhuc percipiebat Profeſſoris ſtipendium ex munificentia Gregorii XV. Sed anno mdcxxv. abdicavit ſe muneribus Advocati Conſiſtorialis, & Defenſoris Pauperum. Obiit anno mdcxxviii. jacetque in Eccleſia S. Mariæ de Pace.

Joannes Beninus Florentinus, donatus eſt hoc munere anno mdxcix. deinde Advocatus Populi Romani, & Locumtenens Auditoris Cameræ, poſtea Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarius. Sed anno mdcxxii. adſcriptus eſt inter Clericos Cameræ Apoſtolicæ, & præfectus Palatio Pontificio. Mox Archiepiſcopus Andrinopolitanus, poſtquam Urbem, Marchiam Anconitanam, & Romandiolam moderatus eſſet, obiit anno mdcxxxvi.

Julius Pheus Hortanus, Civiſque Romanus, Advocatus Conſiſtorialis obiit anno mdcxi.

Laudivius Zacchias Januenſis, Commiſſarius Cameræ Apoſtolicæ anno mdc. in hunc Cœtum cooptatur; ſed poſt poſt annos quinque Montisflaſconenſi Eccleſiæ præficitur, tum Nuncius ad Venetos mittitur, deinde Palatii Apoſtolici præfectura ei commendatur, denique anno mdcxxvi. inter Cardinales adſcribitur, quam dignitatem annis fere undecim geſſit.

Joannes Baptista Pamphilius Romanus, anno mdci. ſedem Lælii Biſciæ inter Advocatos obtinuit, & annis tribus in hoc munere exactis, inter Auditores Ro-

Digitized by Google

tæ jus reddidit, ſub Gregorio XV. Nuncius in Neapolitano Regno, ſub Urbano VIII. in Hiſpania Nuncius, de Sede Apoſtolica meruit. Anno MDCXXIX. Cardinalatus dignitatem, & anno MDCXLIV. ſupremum Eccleſiæ Pontificatum ſub Innocentii X. nomine aſſecutus eſt. Præfuit Eccleſiæ annis decem.

Aloysius Guicciardinus Florentinus, ab anno MDCII. in hoc Collegium adſcitus, egit etiam Locumtenentem Auditoris Cameræ Apoſtolicæ, & ſemel, iterumque Rectorem Gymnaſii Romani. Obiit in patria anno MDCXXV.

Nicolaus Zambeccarius Bononienſis, Lapio ad Epiſcopatum Fanenſem evecto, in ejus locum ſubrogatus anno MDCIII. ter Gymnaſio Romano præfuit, Examinator Epiſcoporum, & Secretarius Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium obiit anno MDCXXII.

Bernardinus Bonjoannes Romanus, anno MDCV. ſedem accepit Laudivii Zachiæ ad Epiſcopatum evecti, quater præfuit Gymnaſio, & Examinator Epiſcoporum, Sanctique Officii Conſultor obiit anno MDCXX.

Bernardinus Theophilus Romanus, Sertorii filius, & Coadjutor anno MDCVI. bis egit Romani Gymnaſii Rectorem, obiitque anno MDCXXI.

Diomedes Varesius Romanus, anno MDCVIII. Mutii Vellii loco adlectus inter Advocatos Conſiſtoriales, Romanum Gymnaſium quinquies eſt moderatus. Inter Prælatos, qui criminalia Ditionis Eccleſiaſticæ negotia diſcutiunt, ſedit. Paulo V. defuncto, egit Conclavis Legatum. Sub Gregorio XV. Congregationi Boni Regiminis fuit a ſecretis. Sub Urbano VIII. Latium, & Picenum adminiſtravit. Obiit anno MDCLII.

Julius Roma Mediolanenſis, anno MDCIX. a Collegio Juriſconſultorum Mediolanenſium nominatus eligitur a Pontifice Conſiſtorialis Advocatus. Pluribus Civitatibus Pontificiæ ditionis præfuit, dumque Peruſiam, Umbriam-

Digitized by Google

briamque adminiſtraret, anno MDCXXI. Cardinalis renunciatus eſt. Deinde Lauretanus, tum Epiſcopus Tiburtinus, ac denique Sacri Collegii Decanus extinctus eſt anno MDCLII.

LAURENTIUS PIIEUS Romanus, Julii filius, & anno MDCXI. Coadjutor, Cæſenam, Imolamque gubernavit, & anno MDCXXVII. cum Decanus eſſet Collegii traductus eſt ad Eccleſiam Cariatenſem in Calabria.

JOANNES BAPTISTA MILLINUS Romanus, anno MDCXVI. in locum Hieronymi de Rubeis ſubrogatus, Romano Gymnaſio ſemel, atque iterum præfuit, & Decanus obiit anno MDCXXVII.

FAUSTUS CAFARELLUS Romanus, cum inter Cives Ferrarienſes eſſet adſcriptus, declaratur anno MDCXVII. Advocatus Conſiſtorialis a Clemente VIII. qui, Ferraria ad Apoſtolicæ Sedis imperium redacta, ſtatuerat, ut in Collegiis Auditorum Rotæ, & Advocatorum, perpetuo eſſet ſedes Civi Ferrarienſi. Ab Urbano VIII. electus Archiepiſcopus S. Severinæ in Calabria, tum Nuncium egit apud Sabaudiæ Ducem. Obiit anno MDCLI.

JOANNES BAPTISTA SPADA Lucenſis, Joannis Baptiſtæ Spada ſenioris fratris filius, & anno MDCXII. Coadjutor in hoc munere, deinde Advocatus Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ, Secretarius Congregationis Boni Regiminis, Secretarius Sacræ Conſultationis, Primus Pontificis Miniſter, Gubernator Urbis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Præſes Romandiolæ, denique anno MDCLIV. Cardinalis ab Innocentio X. renunciatus eſt.

PETRUS FRANCISCUS DE RUBEIS Romanus, Bernardini Bonojannis anno MDCXX. locum aſſecutus eſt, ac bisRomano Gymnaſio præfuit, egitque Advocatum Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ, Promotorem Fidei, & S. Inquiſitionis Conſultorem.

DOMINICUS CECCHINUS Romanus, in locum Bernar-

Digitized by Google

nardini Theophili, anno MDCXXI. Advocatus Sacri Conſiſtorii, officium Rectoris Gymnaſii Romani quater adminiſtravit. Patronum egit Populi Romani, Auditorem Cardinalis Ludoviſii, Referendarium utriuſque Signaturæ, Canonicum Baſilicæ Vaticanæ, Conſultorem S. Officii. Sub Urbano VIII. Auditor Sacræ Rotæ, ſub Innocentio X. Datarius, & anno MDCXLV. Cardinalis, vixit in hac dignitate annis undecim. De eo Oldoinus in Athenæo Romano & Mand. Bibl. Rom.

Hieronymus Meltius Mediolanenſis, ſucceſſit Julio Romæ ad Cardinalatum evecto, anno MDCXXI. & bis officio Rectoris functus eſt. Tum inter Auditores Romanæ Rotæ ſedit.

Julius Cincius Romanus anno MDCXXI. Coadjutor datus eſt Joanni Benino, tum plura munera geſſit, nempe Rectoris Gymnaſii, Advocati Populi Romani, Locumtenentis in civilibus Cardinalis Vicarii, Secretarii Congregationis Rituum, & ſententiam dixit in pluribus Prælatorum Congregationibus, quæ imminent negotiis Eccleſiaſticæ Ditionis. Obiit MDCLIX.

Franciscus Cultellus Bononienſis, anno Chriſti MDCXXII. ſedem Nicolai Zambeccarii aſſecutus, pluries præfuit Romano Gymnaſio, Decanuſque Collegii, obiit anno MDCXLVII.

Antonius Cerrus Papienſis, poſtquam in patria publice docuiſſet, Romæ egit Cauſarum Patronum, & Franciſci Cardinalis Barberini Auditorem. Hunc Urbanus VIII. anno MDCXXIV. juſſit, veluti Ferrarienſem Civem, locum inter Advocatos occupare Fauſti Caſarelli ad Epiſcopatum evecti, tum ei addidit munera Advocati Fiſci, & Cameræ, & Promotoris fidei. Obiit MDCXLII.

Joseph Bayla Pedemontanus de Monte Regali, anno MDCXXV. huic Collegio adſcriptus eſt, & Patrocinium Pauperum ei commiſſum, loco Julii Benigni. Obiit anno MDCXLV.

An-

Antonius Montecatinus Ferrarienſis, anno Domini mdcxxv. obtinuit ſedem vacuam obitu Aloyſii Guiceiardini. Quo anno Urbanus VIII. decrevit, ut locus in hoc Collegio e Clementis VIII. beneficio, addictus Civi Ferrarienſi, nonniſi veris Civibus concederetur. Præfuit Romano Gymnaſio. Deinde anno mdclii. electus eſt Epiſcopus Fulginatenſis.

Joannes Camillus Mascambrunus Beneventanus anno mdcxxvii. Joannis Baptiſtæ Millini locum obtinuit, Gymnaſio præfuit, & ſupremo fato functus eſt anno mdxli.

Franciscus Ferrettus Anconitanus, ab Urbano Papa VIII anno mdcxxvii. in locum Laurentii Phei electi Epiſcopi Cariatenſis, adſcitus in Collegium Advocatorum Sacri Conſiſtorii, poſtquam Romanum Gymnaſium ter moderatus eſſet, vivis exceſſit anno mdcxlvii.

Carolus Cerrus Romanus, Antonii filius, ei Coadjutor datus eſt anno mdcxxxvii. functuſque muneribus Canonici Baſilicæ Vaticanæ, Referendarii Utriuſque Signaturæ, Auditoris Card. Franciſci Barberini, Examinatoris Epiſcoporum, inter Romanæ Rotæ Judices adſcriptus eſt. Tum a Clemente IX. anno mdclxxii. Cardinalis R. E. renunciatus, & Epiſcopus Ferrarienſis, ac Urbini Legatus. Edidit *Deciſiones*, quas in Romana Rota pronunciaverat. Obiit in Urbe mdcxc.

Julius Donatus Romanus, ex Auditore Cardinalis Antoni Barberini, & Secretario Congregationis Boni Regiminis, anno mdcxli. Advocatus Sacri Conſiſtorii Maſcambruno ſubrogatus, vixit uſque ad annum mdcliv.

Carolus Cartharius Urbevetanus, Julivi Senatoris Urbis, & Laviniæ Beccoli Eugubinæ filius, natus eſt Bononiæ an. mdcxiv. Hieronymum Lampugnanum Profeſſorem Juris in Romano Gymnaſio audivit, Barberinorum patrocinio uſus anno mdcxxxiii. præficitur Archi-

Digitized by Google

chivo Apoſtolico in Arce S. Angeli, & anno MDCXLII. fit Advocatus Conſiſtorialis in locum Antonii Cerri, bis præfuit Romano Gymnaſio, & anno MDCXLVII. mortuo Cultello extitit hujus Collegii Decanus. Vir multæ doctrinæ, induſtriæ, & laboris evulgavit *Deciſiones criminales Fori Archiepiſcopalis Mediolanenſis* auctore Julivo patre ſuo, quas etiam notis, & ſummariis auxit: *Diputationem de Foro competenti adverſus Judices, adminiſtros, alioſque Eccleſiaſticos laicam juriſdictionem perturbantes*, eodem Julivo auctore: Tractatum Mutii Cartharii patrui ſui *De Legitima ſolvenda per patrem pro filio condemnato*: *Notitiam Cardinalatus* a Jacobo Cohellio Urbevetano conſcriptam: *Commentaria in Bullam x. Clementis VIII. de Bono Regimine rerum ad Univerſitates ſpectantium*, eodem Cohellio auctore. Sua vero hæc edidit: *Syllabum Advocatorum Sacri Conſiſtorii*, quorum ſeriem duxit uſque ad annum MDCLVI. Alexandro VII. Pontifice: *La Roſa d'Oro*, eſt is eruditus Tractatus anno MDCLXXXI. Innocentio XI. nuncupatus: *Biblioteca dell'Opuſcoli manoſcritti, che ſi conſervano nella Biblioteca Altieri*: *Vita del B. Vincenzo Armanni*. Obiit MDCXCVI. jacetque in Eccleſia Aracelitana, ubi Julivus pater, Antonius Stephanus Caroli filius, & Magdalena Marabottina Caroli uxor jacent. Scripſit *De Romanæ Rotæ Auditoribus*: *De Clericis Cameræ*: *De Senatore Urbis*: *Ephemerides Romanæ Curiæ*: *Athenæum Romanum, ſeu de Profeſſoribus Gymnaſii Romani*. Sed hæc imperfecta reliquit. Legitur ejus vita Tomo 2. Vitarum Arcadum illuſtrium.

CAROLUS MONTECATINUS Ferrarienſis, anno MDCXLIII. datus eſt Coadjutor Antonio fratri in munere Advocati Sacri Conſiſtorii. Gymnaſium Romanum quater Rector adminiſtravit. Urbem, extincta lue, Commiſſarius generalis curavit expurgari.

JOANNES BAPTISTA RAINOLDUS Mediolanenſis, e Ca-

e Canonico Cathedralis Mediolanenſis, & Vicario Archiepiſcopi Cardinalis Montii, anno MDCXLIII. adlectus eſt Advocatus Conſiſtorialis, qui Hieronymi Meltii Auditoris Rotæ ſedem occuparet, ſed poſt annos duos datus eſt Epiſcopus Eccleſiæ Lucenſi. Obiit MDCXLIX.

Joseph Hortensius de Rubeis Romanus, anno MDCXLIII. Petro Franciſco patri Advocato Conſiſtoriali Coadjutor, tum etiam Julio Cincio in munere Advocati Senatus, Populique Romani, obiit, florente ætate, anno MDCL. Scripſit librum, cui titulus: *Defenſor redivivus, ſeu de Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatorum origine, ac munere*. Mandoſ. in Bibliot. Rom.

Marcus Antonius Burattus Romanus, Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, anno MDCXLIII. Dominici Cecchini Advocati Conſiſtorialis extitit Coadjutor, tum Rector Gymnaſii Romani, Præfectus ejuſdem Bibliothecæ, Referendarius Utriuſque Signaturæ, a Clemente IX. Bononiam Prolegatus miſſus, Congregationi Boni Regiminis a Clemente X. addictus, & unus ex Votantibus in Signatura Juſtitiæ renunciatus. Dicitur a Mandoſio in Bib. Rom. *vir rerum civilium cognitione præſtans, nec non literarum notitia inſtructus*.

Carolus Gualterius Urbevetanus, anno MDCXLIV. in Julii Donati locum ſubrogatus, tum pauperum Defenſor, Gymnaſii Romani Rector, & Utriuſque Signaturæ Referendarius, deniqne anno MDCLIV. Cardinalis, & Archiepiſcopus Firmanus ab Innocentio X. creatus, de quo Ciacconius, & Coletus in additionibus ab Ughellum. Eccleſiam dimiſit anno MDCLXVIII.

Camillus Aſtallius Romanus, ab Innocentio X. anno MDCXLV. ſubrogatus in locum Joſephi Baylæ, & poſt annos duos inter Clericos Cameræ Apoſtolicæ adſcribitur, deinde anno MDCL. Cardinalis declaratur. Obiit Epiſcopus Catanenſis anno MDCLXIII. De eo Ciacconius, Oldoinus, Mandoſius.

Bar-

Digitized by Google

Bartholomæus Capra Mediolanenſis, anno mdcxlv. locum Rainoldi occupavit; ſed poſt annos octo ſe ſe munere abdicavit, quod adverſa valetudine in Urbe uteretur, patriæque Archipresbyter domum rediit.

Joannes Maria Vermigliolus Peruſinus, egit Bononiæ Legationis Auditorem, & in Urbe Cauſarum Patronum, antequam anno mdcxlvii. in Collegium Advocatorum, loco Ferretti, cooptaretur. Egit Patronum Cameræ Apoſtolicæ. Edidit *Reſponſorum criminalium volumen*: & alterum quoque volumen *Conſiliorum Civilium*. Nonnulla ejus Reſponſa leguntur apud Farinacium. Obiit anno mdclvii. jacetque in Eccleſia S. M. de Pace. Laudatur ab Oldoino in Athenæo Peruſino.

Nicolaus Severolus Faventinus, anno mdcxlvii. ſucceſſor datus eſt Camillo Aſtallio inter Clericos Cameræ adſcripto, mox Auditor generalis Ditionum Columnenſis Familiæ, Advocatus Fabricæ Baſilicæ Vaticanæ.

Joannes Andreas Calderinus Bononienſis, ſedem Franciſci Cultelli e vivis ſublati in hoc Collegio obtinuit anno mdcxlix. ſed poſt duos annos, florente ætatæ, obiit in patria.

Carolus Emmanuel Vizzanius Bononienſis, Græce, & Latine doctus, Philoſophus, ac Juriſconſultus eximius, primo docuit in patria, tum in Patavino Gymnaſio Philoſophiam, nondum triginta annis natus. Deinde ob domeſticas curas Romam veniens, anno mdclii. eligitur Advocatus Conſiſtorialis, loco Calderini defuncti. Tum Aſſeſſor Sanctæ Inquiſitionis, Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, Rectorque Gymnaſii Romani aliquot annis, præclariſſime de eo meruit; cum ſub eo Rectore, Gymnaſii ædificium fuerit abſolutum, & magnis ſolemniis, præſente Alexandro VII. Pontifice, dedicatum, & novis quibuſdam Cathedris auctum. Obiit anno Chriſti mdclxi. ætatis ſuæ quadrageſimo quarto. *Ocellum Lucanum Philoſophum de Univerſi natura* e Græco in

La-

Latinum tranſtulit, & Commentariis illuſtravit: Præterea vertit, & Commentariis auxit alterum *Ocelli Lucani de Legibus fragmentum*: Tum etiam edidit librum *De mandatis Principum, ſeu de Officio eorum qui in Provincias cum imperio mittuntur*. Laudatur a Pappadopoli in Hiſtoria Gymnaſii Patavini.

Eusebius de Eusebiis Reatinus, Civiſque Romanus, in foro cauſis patrocinabatur, cum ab Innocentio Papa X. anno MDCLII. ſubrogatus eſt in locum Diomedis Vareſii vita functi, & deinde Defenſor Pauperum conſtitutus in locum Caroli Gualterii ad Cardinalatum evecti, obiit anno MDCLXXII.

Marcus Antonius Eugenius junior, Peruſinus ab Alexandro VII. adſcriptus eſt inter Advocatos Conſiſtoriales, uti teſtatur Oldoinus in Athenæo Peruſino, qui eum plurimum commendat. Obiit anno MDCLVII. antequam muneris poſſeſſionem iniret. Ejus locum occupavit Saracenus.

Franciscus Glussianus Mediolanenſis, locum Bartholomæi Capræ ad patriam reverſi occupavit anno MDCLIII. Obiit anno MDCLXXII.

Julius Cæsar Fagnanus de Cæsarinis e Civitate S. Angeli in Vado, poſtquam in pluribus Ditionis Eccleſiaſticæ oppidis, præſertim Urbini, jus Moderator dixiſſet, anno MDCLIII. ſucceſſor nominatur Joannis Baptiſtæ Spadæ in munere Advocati Conſiſtorialis. Obiit ſub Clemente X.

Dominicus Salomonius de Albertischiis Romanus, Cauſarum in Urbe Patronus, ab Innocentio X. anno MDCLIII. fit Advocatus Conſiſtorialis, qui Carolo Gualterio inter Cardinales adſcripto ſuccederet. Obiit anno MDCLXIII. De eo Mandoſius in Bibl. Rom.

Jacobus Gregorius de Rubeis Romanus, Petri Franciſci filius, & Joſephi Hortenſii frater, Coadjutor parenti ſuo datus eſt anno MDCLV. vixitque uſque ad

annum MDCLXXXV. Ad hunc uſque Cartharius ſuam Advocatorum Conſiſtorialium ſeriem duxit. Quos autem ſubjungimus, hos ex Albo a Julio Cæſare Fagnano Advocato Conſiſtoriali meritiſſimo elaborato excerpſimus.

Carolus Saracenus Peruſinus, Lucæ Alberti, & Athanaſiæ de Pontanis filius, publicum egit in patria Juris Civilis Profeſſorem, adſcriptuſque eſt Peruſino Juriſconſultorum Collegio, tum in Urbe cauſis patrocinabatur, cum ab Alexandro VII. anno MDCLVIII. adjunctus eſt Collegio Advocatorum Conſiſtorialium, Vermigliolo defuncto. Anno MDCLXII. præfuit Romano Gymnaſio. Obiit MDCLXVI. nondum quadragenarius.

Prosper Bottinius Lucenſis, Philippæ Deodatæ, & Proſperi filius, Julio Cincio vita functo ſubrogatus ab Alexandro VII. anno MDCLIX. Canonicus Baſilicæ Lateranenſis primum, deinde Vaticanæ, Clementis X. Pontificis Auditorem egit, a quo ſuffectus eſt Petro Franciſco de Rubeis in muneribus Advocati Fiſci, & Promotoris Fidei, auctuſque dignitate Archiepiſcopi Myrenſis. Cumque indecorum videretur, ut Archiepiſcopus Fiſci rebus patrocinandis incumberet, obtinuit id muneris a Joanne Baptiſta Bottinio fratris filio, quem ſibi Coadjutorem adſciverat, exerceri. Ipſe vero Promotoris Fidei officio diu functus eſt; tum oppreſſus ætate, & morbo, Clemente Papa XI. veniam faciente, hoc quoque munus tranſtulit in Joannem Baptiſtam fratris filium. Anno MDCLXXV. præfuit Romano Gymnaſio. In Congregationibus Sanctæ Inquiſitionis, Immunitatis Eccleſiaſticæ, & aliis pluribus ſuffragium tulit; magnæque fuit in Urbe exiſtimationis, & auctoritatis. Deinde ætate gravis, & adverſa valetudine utens, præmortuo Joanne Baptiſta Coadjutore ſuo, a Clemente XI. Pontifice Coadjutores accepit in munere Advocati Fiſci Philippum Sacripantem, & in munere Promotoris Fidei PROSPERUM LAMBERTINUM nunc

nunc Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. Plures ejus extant Lucubrationes, quas Promotor Fidei, de iis ſcripſit, qui in Sanctorum numerum ſunt referendi, quarum nonnullæ editæ ſunt in Actis Sanctorum Bollandianis. Obiit MDCCXII.

Alexander Caprara Bononienſis, Catharinæ Bentivolæ, & Maximi Capraræ filius, dum in Urbe munus Auditoris Signaturæ obiret, ab Alexandro VII. anno MDCLXXII. Vizzanio vivis erepto ſucceſſor datus eſt. Præclare de Collegio Advocatorum Conſiſtorialium meruit, utpote qui, edito Scripto, priſtinum ei jus vindicavit, ut Patronus Fiſci ſemper ex illorum cœtu ſeligeretur. Deinde jus dixit inter Romanæ Rotæ Auditores, auctuſque eſt muneribus Datarii & Regentis Pœnitentiariæ. Demum prope octogenarius a Clemente XI. inter Cardinales adſcriptus, obiit anno MDCCXI. jacetque in Eccleſia S. Mariæ de Suffragio, cum hac inſcriptione. Ejus extant To. 2. *Deciſionum*.

D. O. M.
ALEXANDRO CAPRARAE
PATRITIO BONONIENSI
HUJUS SODALITII A SEXAGINTA ANNIS CONFRATRI
PRAECIPUIS FORI MUNERIBUS LONGA ANNORUM
SERIE PRAECLARE GESTIS
EX SACRAE ROTAE AUDITORE
TIT. SS.NEREI ET ACHILLEI S. R. E. CARDINALI
NICOLAUS COMES CAPRARA
EX TESTAMENTO HAERES M. P.
OBIIT V. IDUS JUNII
MDCCXI.

Digitized by Google

Marcellus Rondaninus Romanus, Alexandri Rondanini, & Felicis Zachiæ filius, Pauli Æmilii Cardinalis frater, anno MDCLXIV. inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitus, anno MDCLXVII. præerat Romano Gymnaſio, tum inter Romanæ Rotæ Auditores jus reddidit.

Lucas Albertus Patritius Peruſinus, Antonii Mariæ & Franciſcæ Saracenæ filius, anno MDCLXVI. Caroli Saraceni avunculi ſui munus obtinuit, poſtquam in patrio Gymnaſio Jus Civile docuiſſet, & pluribus annis jus in patria reddidiſſet. Anno MDCLXIX. a Clemente IX renuntiatus eſt Epiſcopus Peruſinus.

Marcellus Severolus Romanus, Margaritæ Guaſchiæ, & Nicolai filius, inſignis in Urbe Juriſconſultus, parentis Coadiutorem agere cæpit anno MDCLXVIII. tum in Congregationibus Boni Regiminis, & Signaturæ Juſtitiæ ſuffragium tulit, Advocatus Senatus Populique Romani, Judex Fabricæ Baſilicæ Vaticanæ, Secretarius Congregationis Riparum Tiberis, in difficillimis de Jure controverſiis adhibitus, in magna vixit omnium exiſtimatione, uſque ad annum MDCCVII. cum laboribus, curiſque domeſticis oppreſſus obiit, annorum ſexaginta trium, ſepultus in Parochiali Eccleſia S. Salvatoris, quæ vulgo dicitur *delle Copelle*. Plura ejus doctiſſima Reſponſa edita ſunt inter Deciſiones Recentiores Romanæ Rotæ, & apud Brugiottum in Epitome viarum, Paccichellium in Tractatu de Diſtantiis, Paſſerinum in Tractatu de Uſuris, Pitonium in Diſceptationibus Eccleſiaſticis, Palmam in Allegationibus, Dandinum in Tractatu de ſuſpectis de hæreſi, Berſanum in Tractatu ultimarum voluntatum, Albicium in Tractatu de inconſtantia in Judiciis, Cardinalem de Luca in Tractatu de Legitima, & Conſtantinum ad Statuta Urbis. Extat etiam erudita ejuſdem Diſſertatio *dell' arco di Portogallo* edita in faſtis Academiæ Cortonenſis. Severoli vita legitur Tomo 2. vitarum Arcadum illuſtrium.

Joan-

Joannes Baptista Bottinius Lucenſis, Bernardini, & Claræ Lucheſinæ filius, Proſpero patruo datus eſt Coadiutor in mnnere Advocati Conſiſtorialis anno mdclxix. deinde etiam in muneribus Advocati Fiſci, & Promotoris Fidei. Hunc tamen mors ante abſtulit, anno mdccviii. ætatis ſuæ ſexageſimo primo. Eo defuncto, Joſeph Bottinius, Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, cooptatur in Collegium Advocatorum, tamquam Proſperi Archiepiſcopi Coadiutor. Is tamen renunciavit huic juri ſuo, cum nondum munus auſpicatus eſſet.

Carolus Riccius Florentinus, filius Petri Franciſci Senatoris, & Nanninæ Ruccellajæ, Cardinalis Medicei Auditor, Vicariuſque in Epiſcopatu Veliterno, & Sabinenſi, a Clemente IX. adlectus eſt inter Advocatos Conſiſtoriales anno Chriſti mdclxxi. at poſt annos quatuor rediit in patriam Archidiaconus Cathedralis Florentinæ, ibique obiit annum agens ſexageſimum tertium.

Urbanus Spreti Ravennatenſis, Pompei, & Albæ Lunardæ filius, Rondanini Coadiutor a Clemente Papa IX. anno mdclxxi.

Alexander de Vecchis Senenſis, Chriſtophori & Dorotheæ Goriæ Panellinæ filius, a Clemente IX. anno mdclxxii. fit Advocatus Conſiſtorialis, & Defenſor Pauperum, mortuo Euſebio de Euſebiis. Anno Domini mdclxxiii. præfuit Gymnaſio Romano. Obiit anno mdclxxxi.

Fredericus Caccia Mediolanenſis, filius Camilli, & Urſulæ Caſatæ, e Collegio Mediolanenſium Juriſconſultorum, adlectus eſt anno mdclxxiii. a Clemente X. qui in hoc Collegio ſederet. Poſt Alexandrum de Vecchis functus eſt officio Defenſoris Pauperum. Romanum Gymnaſium moderatus eſt ab anno mdclxxvi. uſque ad annum mdclxxx. Tum ſedit inter Romanæ Rotæ Auditores, donatuſque dignitate Archiepiſcopi Laodicæni,

cæni, anno MDCXCII. ablegatus eſt Nuncius extra ordinem ad Carolum II. Hiſpaniæ Regem, tum ſequenti anno Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis ab Innocentio XII. renuntiatus, biennio vix exacto, obiit in ſua Eccleſia, cum hoc Epitaphio tumulatus.

FREDERICUS CARDINALIS CACCIA
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI
PAUPERIBUS EX ASSE
HAEREDIBUS INSTITUTIS
ANNUM AGENS LXIV.
OBIIT XIX. KALENDAS FEBRUARII ANNO MDCXCIX.

JOANNES FRANCISCUS FAGNANUS Romanus, Julii Cæſaris & Claudiæ Bizzarræ filius, ſedem parentis obtinuit a Clemente X. in Collegio Advocatorum Sacri Conſiſtorii. Anno MDCXCVII. Decanus Collegii ejus jura vindicavit. Pluries præſuit Romano Gymnaſio. Vacante Apoſtolica Sede, mortuo Innocentio Pontifice XI. egit Commiſſarium Conclavis. Obiit natus annis octo ſupra octoginta.

ALEXANDER CASALIUS Romanus, Ludovici, & Fauſtinæ Paravicinæ filius, a Clemente X. anno Domini MDCLXXVII. inter Advocatos Conſiſtoriales adſcitus, Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, Advocatus Fabricæ ejuſdem Baſilicæ, Aulicus Pontificius, & Romani Gymnaſii Rector ab anno MDCCIII. per annos tres.

BERNARDINUS MASSERI Peruſinus, Angeli, atque Hippolitæ de Xaveriis filius, Canonicus Eccleſiæ Peruſinæ, & in ejuſdem Civitatis Gymnaſio Profeſſor Juris Canonici, tum etiam in Gymnaſio Parmenſi, Auditor Nuncii Pontificii in Neapolitano Regno, ſubrogatur anno MDCLXXXI. ab Innocentio XI. Alexandro de Vecchis vita functo. Edidit Diſſertationes varias, uti teſtatur Oldoinus in Athenæo Peruſino.

DOMINICUS TAURUSIUS, Urbevetanus origine, patria

tria Ferrarienſis, Franciſci, & Catharinæ Ardiccioniæ filius, poſtquam in Luſitania egiſſet Apoſtolici Nuncii Auditorem, a Clemente X. anno MDCLXXXII. adſcriptus eſt Advocatorum Sacri Conſiſtorii Collegio, tum Locumtenens Auditoris Cameræ Apoſtolicæ, Auditor Romanæ Rotæ, denique ab Innocentio XII. anno MDCXCV. Cardinalis, & Epiſcopus Ferrarienſis renuntiatus, obiit in ſuo Epiſcopatu, ſequenti anno, hac ejus tumulo Inſcriptione poſita: *Dominico Tauruſio Urbevetano, a S. R. Rotæ Auditorio ad Purpuram, & Epiſcopatum Ferrarienſem aſſumpto, qui undecimo regiminis ſui menſe vix inchoato, pietate, vigilantia, exemplo, obvinctis ſibi Civium animis, Cleropaternis officiis proſequuto, Eccleſia ſuppellectilis ſacræ legato largiter honorata exceſſit vi. Kalendas Januarii MDCXCVI. Canonici & Capitulum mœrentes, ne debitus pretioſo Cineri Titulus deeſſet unanimi voto Monumentum hoc dedicarunt*. Ejus vita legitur inter vitas Arcadum illuſtrium.

ANTONIUS FELICIANUS Montecatinus Ferrarienſis, Juliæ de Silveſtris filius, atque Caroli patrui Coadjutor in munere Advocati Conſiſtorialis.

BERNARDINUS SCOTTUS Mediolanenſis, Vincentii, & Theodoræ Cuſanæ Borromeæ filius, Frederico Cacciæ inter Rotæ Romanæ Auditores adſcripto ſucceſſor datus eſt ab Innocentio XI. anno MDCLXXXIII. Præſuit Romano Gymnaſio ab anno MDCLXXXVII: per triennium. Deinde jus reddidit in Romana Rota, Urbem quoque moderator rexit, tum a Clemente XI. adjunctus eſt Ordini Cardinalium. Jacet in Eccleſia S. Caroli Mediolanenſium, cum hoc Epitaphio.

Digitized by Google

OSSA
BERNARDINI S.R.E. TIT. S. PETRI IN MONTE AUREO
PRESBYTERI CARDINALIS SCOTTI MEDIOLANENSIS
HIC EXPECTANT RESURRECTIONEM AETERNAM
ORATE PRO EO
OBIIT DIE XVI. NOVEMBRIS ANNO MDCCXXVI.
AETATIS SUAE LXX. MENS. I. DIE X.

Joseph Sacripantes Narnienſis, Hiacynthi, & Victoriæ de Baſilis filius, Priolo Auditori Rotæ operam ſuam præſtitit, tum in reddendo Jure, tum in ejus Deciſionibus edendis, diuque in foro cauſis patrocinatus eſt, atque in locum Gregorii de Rubeis ſuffectus inter Advocatos Conſiſtoriales anno MDCLXXXV. & poſt annos duos ab Innocentio XI. Sub-Datarius, & Canonicus Baſilicæ Lateranenſis, tum Pontificius Auditor electus eſt. Deinde Innocentio XII. fuit a ſupplicibus libellis, vulgo *Secretario de memoriali*, denique anno MDCXCV. Cardinalis, Præfectuſque Congregationis Concilii ab eodem Pontifice renunciatus. Sub Clemente XI. dimiſſa hac Præfectura, egit Pro-Datarium, præfuitque Congregationi de Propaganda Fide, aliiſque muneribus functus eſt.

Bentes de Bentivolis Bononienſis, Franciſci & Naninæ Malvetiæ filius, e Collegio Judicum Bononienſis Univerſitatis, datus eſt ſucceſſor Alexandro Capraræ inter Rotæ Auditores adſcripto anno MDCLXXXVII. & Referendariis Signaturæ adjunctus, plures moderatus eſt Pontificiæ Ditionis Urbes.

Philippus Sacripantes Narnienſis, Hiacynthi, & Catharinæ Scioperæ filius, Joſepho fratri datus eſt Coadiutor anno MDCXC. cum in Foro ageret Cauſarum Patronum. Mortuo Marcello Severolo Advocatus Populi Romani, & mortuo Bottinio, cujus egerat Coadiutorem,

torem, Advocatus Fiſci ſelectus eſt. Hoc nomine interfuit pluribus congreſſibus initis anno MDCCIX. inter Miniſtros Pontificios, ac Imperiales cauſa pacis ſtabiliendæ. Repentino morbo extinctus eſt anno MDCCXIV. cum ante paucos dies, enata in dextro crure gangrena, illius ſectionem paſſus eſſet.

CAMILLUS SPRETUS Ravennatenſis, Urbano fratri Coadiutor adjunctus eſt anno MDCXCII. & anno MDCC. electus Gymnaſii Rector, deinde Epiſc. Cervienſis.

MARCELLINUS CORIUS Mediolanenſis, Philippi, & Lauræ Airoldæ filius, a ſuis civibus nominatus, eligitur anno MDCXCIV. ab Innocentio XII. qui ſedem Bernardini Scotti Auditoris Rotæ in Collegio Advocatorum occuparet. Anno MDCCXII. per tres annos Romanum moderatus eſt Gymnaſium. Deinde inter Auditores Rotæ meruit. Anno MDCCXXXVII. ex Urbis Præfecto Cardinalis renuntiatus, vixit in hac dignitate annis quinque, jacetque in Eccleſia S. Caroli in via Curſus, hac poſita Inſcriptione.

D. O. M.
MARCELLO CORIO PATRICIO MEDIOLANENSI
CONSISTORIALIS AULÆ ADVOCATO XIIVIRO SIGNATURÆ IUSTIT.
ROMANÆ ROTÆ DECANO ALMÆ URBIS GUBERNATORI
S. R. E. DIACONO CARDINALI
VIRO DOCTRINA PRUDENTIA IUSTITIA SPECTATISSIMO
PROBITATE ET CANDORE ANIMI INCOMPARABILI
COMES PHILIPPUS CALDERARIUS
IN MAGISTRATU ORDINARIO MEDIOLANENSI
REGIUS QUÆSTOR
AVUNCULO SUO OPTIMO ET AMANTISSIMO
HÆRES EX ASSE POSUIT
VIXIT ANNOS LXXVII. MENS. V. DIES XV.
OBIIT NONO KALENDAS MARTII
ANNO DOMINI MDCCXLII.

VINCENTIUS AMADORIUS olim de Manieris Florentinus, Laurentii, & Alexandræ de Montelatices filius,

Digitized by Google

e Cauſarum Patrono ab Innocentio XII. anno MDCXCVI. munus obtinuit Advocati Conſiſtorialis, quo Taurufius electus Rotæ Auditor fungebatur. Anno MDCCIV. præfuit Gymnaſio, tum ejuſdem Bibliothecæ præfecturam geſſit, atque inter Prælatos Signaturæ Juſtitiæ ſententiam dixit. Is, edito graviſſimo ſcripto, vindicavit Advocatorum Conſiſtorialium jus in adminiſtrando Romano Gymnaſio.

Desiderius Spretus Ravennatenſis, Judex Collateralis Curiæ Capitolinæ, anno MDCXCVII. Coadjutor datus eſt Camillo fratri Advocato Sacri Conſiſtorii. Succeſſit Frederico Cacciæ in munere Advocati pauperum. Ab anno MDCCXIII. tribus annis præfuit Gymnaſio. Jacet in Eccleſia S.S. Angelorum Cuſtodum, cum hac Inſcriptione.

D. O. M.

OSSA DESIDERII SPRETI BONIFACII FILII PATRICII RAVENNATENSIS SACRI CONSISTORII AC PAUPERUM ADVOCATI PER ANNOS SUPRA XXIX. OBIIT ANNO JUBILAEI MDCCXXV. DIE XII. NOVEMBRIS.

ORATE PRO EO.

Thomas Provenzalis Neapolitanus ab Innocentio Papa XII. anno MDCXCIII. in Cartharii defuncti locum ſubrogatur. Eo petente, Innocentius XII. decrevit, ut in Collegio Advocatorum Sacri Conſiſtorii addicta perpetuo eſſet ſedes Civi Neapolitano, edito hoc Diplomate. *Ad perpetuam rei memoriam. Sinceræ Fidei, & devotionis affectus, quem dilecti filii Electi Civitatis Neapolitanæ erga Nos, & Apoſtolicam Sedem gerere comprobantur, promeretur, ut eis reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque nos nuper dilecto filio Thomæ Provenzali Civi Neapolitano locum unum inter Aulæ noſtræ Advocatos Conſiſtoriales conceſſerimus, & deputaverimus, Nos perpetuum aliquod Paternæ noſtræ erga*

erga Civitatem prædictam Neapolitanam, patriam noſtram dilectiſſimam, benevolentiæ monumentum extare cupientes, ſupplicationibus ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus locus Advocati Aulæ prædictæ eidem Thomæ, ut præfertur, conceſſus, & aſſignatus, aliis quam Civibus Neapolitanis per eoſdem modernos, & pro tempore exiſtentes Electos dictæ Civitatis nominandis, concedi, aut aſſignari, vel de eo, in alios, quam Civem hujuſmodi ſic nominandum, favorem diſponi, nullatenus poſſit, nec debeat, ita ut præfati loci vacatione pro tempore occurrente, Electi ſupradicti tres Cives Neapolitanos J. V. D. quos non favore, gratia, precibus, aut qualibet ambitione, ſeu corruptela, ſed uniuſcujuſque idoneitate mature conſiderata, ad hujuſmodi officium exercendum aptiores in Domino judicaverint, nominare, unus vero ex tribus ſic nominatis, per Nos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ad officium prædictum aſſumi reſpective debeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris. Die 16. Junii 1697. Pontif. Noſtri anno VII. Joannes Fr. C. Albanus. Obiit MDCCX. Votans Signaturæ.

Jacobus Sardinius Lucenſis, Marco Antonio Buratto datus eſt Coadjutor a Clemente XI. anno MDCCII. Præfuit Romano Gymnaſio ab anno MDCCIX. per annos tres. Inter Clericos Cameræ Apoſtolicæ adſcriptus, geſſit præfecturam armorum Ditionis Pontificiæ. In componendis negotiis, controverſiiſque inter Apoſtolicam Sedem, & Sereniſſimum Sabaudiæ Principem, magnam partem habuit.

PROSPER LAMBERTINUS Patritius Bononienſis, magnum in Eccleſia, & Republica litteraria Nomen. Orbi datus eſt, die XXXI. Martii, anno MDCLXXV. e Marcello Lambertino, & Lucretia de Bulgharinis primariæ in patria Nobilitatis. Familia Lambertinorum antiquiſſima, & nobiliſſima, multis abhinc ſæculis, protulit plurimos domi foriſque illuſtres armis, litteris, publicis muneribus, legationibus, Senatorio Ordine, Epiſcopali dignitate, ac demum pietate, uti patet ex Dulpho in libro, cui titulus: *Famiglie illuſtri di Bologna*. Ætatem primam poſt pueritiam in Collegio Clementino Urbis egit, abſolutiſque ſtudiis, publice diſputavit, Cardinali Mareſcotto auſpice. Tum ſe totum Juriſprudentiæ dedit, donatuſque Laurea in Romano Gymnaſio, Alexandro Capraræ Concivi Auditori Rotæ ſuam operam, in iis, quæ ad jus dicendum, ſpectant, præſtitit; illumque ætate gravem in tanto gerendo munere inſigniter adjuvit. Neque ſacrarum rerum ſtudia neglexit, in quibus plurimum verſatus, ſæpe in variis Urbis Academiis publice diſſeruit. At in utriuſque Juris ſcientia magnum ſibi nomen comparavit, ut jam inter Juriſconſultos Urbis primum locum occuparet. Anno MDCCII. Benti de Bentivolis Concivi ſuo Coadjutor datus eſt a Clemente XI. in munere Advocati Conſiſtorialis. Anno MDCCVIII. Coadjutorem agere cœpit Proſperi Bottini Archiepiſcopi Myrenſis in munere Promotoris Fidei. Mortuo deinde Bottinio, diu hoc officio functus eſt, tanta quidem cum gloria, quanta ex doctiſſimis libris ab eo editis *De Canonizatione Sanctorum*, diſertiſſime patet. Anno MDCCXVI. præfuit Romano Gymnaſio, per annos tres. Egit etiam Canonicum Baſilicæ Vaticanæ, Conſultorem Sanctæ Inquiſitionis, Canoniſtam Sacræ Pœnitentiariæ, Archiepiſcopum Theodoſiæ, & Secretarium Sacræ Congregationis Concilii Tri-

Tridentini Interpretum. Quibus omnibus muneribus, ſumma doctrina, ſummaque morum honeſtate perfunctus, totius Aulæ, omniumque exiſtimationem ſibi conciliavit. Hinc a Benedicto XIII. anno MDCCXXVII. fit Epiſcopus Anconitanus, ita tamen, ut ab officiis Secretariis Congregationis Concilii, & Promotoris Fidei, minime diſcederet. Anno MDCCXXVIII. ab eodem Pontifice Cardinalis promulgatur Tituli S. Crucis in Hieruſalem, & graviſſimis Cardinalium Congregationibus Sacræ Inquiſitionis, Concilii, Rituum, Epiſcoporum ac Regularium adſcribitur; quem ab anno MDCCXXV. die IX. Decembris ad eum Ordinem promoverat, & *in pectore*, ut ajunt, ſervaverat. Anno MDCCXXXI. Clemens Papa XII. eumdem præfecit ampliſſimæ Eccleſiæ Bononienſi, quam exemplo, ordinationibus, pluribuſque benefactis ſanctiſſime adminiſtravit. Extant typis editæ graviſſimæ, & eruditiſſimæ *Inſtructiones*, quas Populo Bononienſi dedit, circa Chriſtianæ Religionis officia. Anno MDCCXL. Clemente XII. defuncto, eligitur Summus Pontifex, BENEDICTUS XIV. univerſa Eccleſia plaudente. In ea calamitate, quum, mortuo Carolo VI. Imperatore, diu, multumque pugnatum eſt in Germania, in Italia, & Pontificia Ditione, Summi Sacerdotis, & communis Parentis partes inſigniter implevit; pacem officiis omnibus ſtuduit conciliare. Ab eo Carolus VII. electus Imperator electionem ſuam, miſſo Romam Oratore, expetiit approbari. Ad ejus quoque genua provolvi, Carolus Rex Utriuſque Siciliæ, bello ad Velitras feliciter confecto, Romam veniens MDCCXLIV. exoptavit. Graſſante in Sicilia lue, nil defuit publicæ ſaluti. Leges plurimas tulit ad Eccleſiæ utilitatem. Nam Sacerdotibus ademit facultatem audiendi Confeſſionem complicis in crimine contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, niſi extrema urgeat neceſſitas. Declaravit, ab iis, quibus carnium, & lacticiniorum

rum

rum uſus permittitur in diebus jejunii, unicam comeſtionem ſervandam eſſe, & epulas evitandas. Decrevit, ut omnes ſuſtinentes curam animarum Parochi, Vicarii, Oeconomi perpetui, vel ad tempus conſtituti, etiam Regulares, quamvis congruis redditibus deſtituantur, Sacrificium Miſſæ pro populo celebrent, & applicent in Dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis de præcepto. Clericis negotiationem quamlibet interdixit. Regulares vetuit lucri cauſa aromatariam artem agere. Turpes ex eleemoſynis Miſſarum quæſtus prohibuit. Uſuras damnavit. Ne, qui fidelium ſacras Confeſſiones audiunt, eos obligarent ad criminum complices nominandos, graviter, & iterato prohibuit. Vindicavit juriſdictionem Epiſcoporum in Eccleſias Parochiales Regularium. Declaravit fas non eſſe Parochis bis in die feſto, Miſſam celebrare. Ad Parochiales Eccleſias Jurispatronatus Eccleſiaſtici digniorem eſſe præſentandum, & promovendum. Ordinem docuit concurrendi ad Eccleſias Parochiales. Regulares extra clauſtra degentes Epiſcopis locorum ſubjici juſſit. Crucifixi imaginem palam, & viſibiliter collocandam in Altaribus, ubi ſacrum agitur, ſtatuit. Epiſcoporum reſidentiam ſuis in Eccleſiis, reſtaurata Congregatione huic rei incumbente, & enarratis legitimæ abſentiæ cauſis, inculcavit. A Prælatis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus adeunda ſacra Apoſtolorum Limina, & Eccleſiarum ſuam Relationes faciendas voluit. Permiſit Clericos ſæculares, ſine ſui Epiſcopi conſenſu, exceptis nonnullis caſibus, Ordinibus Regularium nomen dare. Regulares ad ſacros Ordines promovendos debere dimiſſorias litteras exhibere Epiſcopo Diœceſano, ſi is adſit, ſacraſque Ordinationes agat, definivit. Puellas, famulaſque in Monaſteria Monialium, nonniſi Sede Apoſtolica permittente, recipiendas eſſe ſancivit. Clauſuræ Monaſteriorum, tum virorum, tum Monialium con-

conſuluit. Sacras Catecheſes populo faciendas imperavit. Spectacula inverecunda feſtis diebus eliminavit. Aſſeruit Eccleſiaſticam juriſdictionem in publicis precibus indicendis. Ne in nocte diem Cinerum præcedente, diutius protrahantur choreæ, & ne in diebus feſtis, perſonati incederent homines, cavit; hortatus, ut tribus poſtremis diebus carnis privii, Euchariſtia publicæ adorationi exponeretur, conceſſa fidelibus ad eam adorandam accedentibus pœnarum remiſſione. Novum conſtituit ordinem ſervandum, ubi agitur de Profeſſione Religioſa in irritum mittenda. Definivit conditiones requiſitas ad diſpenſationes indulgendas in matrimoniis ineundis; & ordinem in cauſis matrimonii peragendis. Ad Monialium confeſſiones audiendas, Sacerdotes aliquos extra ordinem conſtituendos eſſe, pluribus in hac re quæſtionibus explicatis, decrevit. Vitia quamplura in reſignatione Beneficiorum inducta, e medio tulit. Cavit, ne Beneficiorum redditus vendantur. Feſtorum numerum in utraque Sicilia coarctavit. De benedicendo, tradendoque Archiepiſcopis Pallio, deque deferendo Rocchetto, plura ſapientiſſime docuit. Epiſcopis facultatem annuit concedendi Indulgentiam plenariam in articulo mortis, tam in Civitate, quam in Diœceſi; etiamque per alios ab ipſis delegatos. Ordinavit ritum ſervandum a Regularibus, quibus id ex privilegium indultum eſt, in concedenda Pontificia benedictione. Declaravit fideles adeuntes Eccleſias, quibus Indulgentiæ addictæ ſunt, eas lucrari, etſi ſancta Euchariſtia minime ſit publicæ adorationi expoſita; hancque, nonniſi ex cauſa publica, deque Epiſcopi conſenſu, eſſe publicæ adorationi exhibendam. Annuit Indulgentiam dierum centum, iis, qui, feria ſexta, hora tertia pomeridiana, quinquies Dominicam orationem recitarint. Quibus in caſibus, fas ſit baptizare infantem aliquem infidelem, invitis parentibus, aperuit. Judæum

dæum ad Chriſtianos traductum non poſſe uxorem dimittere, ſi hæc velit cum ipſo vitam agere, declaravit. Atque hæ leges ad Eccleſiam univerſam ſpectantes typis editæ in hujus Pontificis Bullario leguntur. Hæque nedum ſapiunt Pontificem graviſſimum diſciplinæ Eccleſiaſticæ exactorem, ſed etiam doctiſſimum Theologia, Canonibus, & antiquitatibus Eccleſiaſticis. Inſignem quippe complectuntur ſacrarum rerum doctrinam a priſtinis Pontificibus, Conciliis, Patribus, Theologis hauſtam, & diligentiſſime expenſam. Tum in Regno Neapolitano Concordata ſtatuit inter Sacerdotium & Imperium. Eccleſiis Ruthenorum, Cophtorum, Melchitarum, Maronitarum, & Italo-Græcorum ſapientiſſime conſuluit. Sinenſium ſuperſtitiones damnavit. Miſſiones in imperio Thibet, & in Indiis Orientalibus inſtituit. Pinarolienſem in Pedemontana Provincia Epiſcopatum, ita exigente illarum gentium utilitate, excitavit. Antiquam de Patriarchatu Aquilejenſi inter Auſtriacos, Venetoſque controverſiam, ſub pluribus Pontificibus fruſtra agitatam, utriuſque partis conſenſu, ſumma felicitate, gloriaque, & magna illarum Eccleſiarum utilitate, compoſuit. Jubilæi recurrentem annum MDCCL. eximia pietate, ſummo ſtudio celebravit; utque fideles tanto Eccleſiæ beneficio dignos ſeſe redderent, nihil ſibi reliquum fecit; & conciones in pluribus Urbis Eccleſiis haberi juſſit, quæ fideles excitarent; & Confeſſarios monuit, ut ſedulo officio ſuo incumberent; Eccleſiarum nitorem imperavit; Muſicæ ſacræ vitia emendavit; & alia plura ad hunc finem ſanctiſsime ordinavit. Hinc omnia feliciſsime, & religioſiſsime, ingenti hominum multitudine ad Urbem confluente, evenerunt. Quoad adminiſtrationem ſpectat Pontificiæ Ditionis, & Urbis, leges quoque plurimas edidit, quæ in Bullario leguntur, præſertim ad rectum Judiciorum ordinem conſtituendum. Urbem nobiliſsimis ædificiis auxit. Nam Li-

Digitized by Google

Liberianam Baſilicam externa fronte, porticu, & interiori ornatu donavit; Eccleſiam S. Crucis in Hieruſalem, & Baſilicam S. Pauli ſpecioſiores reddidit; Abſidem, aramque principem Eccleſiæ S. Apollinaris extruxit; Xenodochio S. Spiritus in Saxia amplum ædificium adjecit; Fornici maximo Baſilicæ Vaticanæ laboranti conſuluit; Fontem Aquæ Virginis perfecit; Antonini Pii columnæ ſuſtinendæ ſtylobatem collocavit e regione Curiæ Innocentianæ; Capitolinas Ædes novis antiquitatis monumentis locupletavit; Triclinium Lateranenſe inſtauravit. Pontifex ſanctiſſimi moris, Sacerdotalem modeſtiam in ſummo imperio ſervat, cunctos humaniſſime excipit, quotidie ad adorandam Euchariſtiam accedit, ſingulari exemplo conſanguineos ſuos nec ullis opibus ditavit, nec Romam adire permiſit, Romanæ Sedis, Sanctæ Eccleſiæ, noſtræque ætatis ornamentum. Edidit, dum ageret Promotorem Fidei, Volumina quatuor *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*, ut nil jam in hoc genere doctius, perfectiuſque exoptari poſſit. Hinc Lipſienſes viri docti in Actis Eruditorum anno MDCCXL. poſtquam horum Librorum epitomem tradiderint, addidere: *Vix ſuppetunt nobis vires ad verba utcumque invenienda, quibus diligentiam adamantinam, notitiam antiquitatum Chriſtianarum vaſtiſſimam, Theologiæ Scholaſticæ, ac Liturgiæ peritiam inuſitatam, quam Summus Pontifex in hoc Opere elaborando poſuit, jure ſuo, meritoque prædicemus. Proſpicimus jam auream illam ætatem, quam Summus hic Maximuſque rei litterariæ & eruditionis pulcherrimæ ſtator, & fautor orbi erudito eſt infuſurus, atque largiſſime cum omnibus bonis communicaturus. Quæ ſpes plurimos adeo alit, obfirmatque, ut ipſi honores novos nos quoque congratulemur.* Gerens Epiſcopatum edidit Italico ſermone libros *De feſtis Chriſti Domini, ejuſque Sanctiſſimæ Matris*, &

Digitized by Google

Eccleſiaſticas Inſtitutiones, vulgo *Notificazioni*, quæ complectuntur Chriſtianorum plurima officia. Summa in his libris eruditio continetur. In ſupremo autem Pontificatu edidit abſolutiſſimum Tractatum *De Diœceſana Synodo*, & Martyrologium Romanum auctius, emendatiuſque. Quæ illius Volumina præclariſſima, etſi pluries typis commiſſa, nuper tamen ſumptibus Academiæ Conimbricenſis rurſus edita ſunt, collecta ſimul, atque in Tomos duodecim diſtributa. Horum primus, ſecundus, tertius, & quartus de Beatificatione, & Canonizatione Servorum Dei agunt. Quintus complectitur Acta Canonizationis ab eodem Pontifice celebratæ. Sextus habet appendices utiles ad præcedentium librorum lectionem. Septimo continentur Documenta primi Tomi, & appendices quatuor priorum voluminum. Octavus exhibet Indicem copioſum, atque accuratum. Nonus eximium habet Tractatum de Miſſæ Sacrificio. Decimus agit de Feſtis Chiſti Domini, & ejus ſanctiſſimæ Matris. Undecimus complectitur Inſtitutiones Eccleſiaſticas Latino ſermone donatas. Duodecimum conſtituit Tractatus de Diœceſana Synodo. Mirum profecto eſt, hunc publicis muneribus perpetuo occupatum, tot, & tanta ſcire, ac ſcribere potuiſſe. Pontifici vere Magno longam ætatem univerſa Eccleſia precatur.

Ferdinandus de Valentibus de Trebio, Joannis Baptiſtæ, & Virginiæ Liberatæ filius, in Seminario Romano bonis artibus inſtructus, apud Auditores Rotæ Juriſprudentiæ incubuit, & anno MDCCX. inter Advocatos Conſiſtoriales, loco Marcelli Severoli, cooptatus, tum mortuo Sacripante, Advocatus Fiſci, præfuit Gymnaſio Romano ab anno MDCCXX. per triennium. Leguntur ejus *Reſponſa* edita pluribus Tomis.

Petrus Pomponius de Vecchiis Senenſis, Petri & Fauſtæ de Trecerchis filius, poſtquam in patrio Gymnaſio Juris Civilis Inſtitutiones docuiſſet, in Foro Romano

mano cauſis patrocinatus eſt, tanta cum ſui nominis gloria, ut illum Romana Rota in Deciſione quadam *Romana prætenſi affictus* die XIX. Junii MDCCXVI. coram Gamaches §. *Quia vero* dixerit *virum non modo prudentia, & doctrina, ſed eximia probitate præclarum*. Eximium hunc Juriſconſultum Clemens XI. anno MDCCX. Coadjutorem couſtituit Vincentii Amadorii de Maineriis Advocati Conſiſtorialis, & Innocentius XIII. Advocatum Fabricæ Baſilicæ Vaticanæ. Jacet in Eccleſia Noſocomii S. Jacobi vulgo *dell'Incurabili* cum hac inſcriptione.

D. O. M.

Petrus Pomponius de Vecchis. Patritius Senenſis. Sacræ Conſiſtorialis Aulæ. Advocatus. Ac hujus Eccleſiæ, & Archioſpit. Cuſtos. Vivens ſibi, ſuiſque poſuit. Obiit anno MDCCXXV. Kal. Novembris. Ætatis ſuæ LXVII.

Carolus Maria Sacripantes Romanus, Philippi, & Vincentiæ Vitutiæ filius, parenti Advocato Conſiſtoriali Coadjutor datus eſt anno MDCCX. ſucceſſorque in munere Advocati Senatus, Populique Romani. Anno MDCCXVIII. inter Signaturæ Juſtitiæ Votantes ſedit, & anno MDCCXXI. inter Clericos Apoſtolicæ Cameræ, tum in pluribus Congregationibus ſuffragium ferre juſſus. Anno MDCCXXVIII. per annos tres præfuit Romano Gymnaſio. Mortuo Benedicto XIII. a Cardinalibus, qui imperio, Sede vacante, admimiſtrant, delectus eſt, ut Ærario Pontificio præeſſet, loco Caroli Negronii, qui ab eodem officio diſceſſerat. Deinde Clemente XII. Pontifice electo, confirmatur in hoc munere Theſaurarii generalis Romanæ Eccleſiæ, quo cumdiu, magnaque cum laude functus eſſet, anno MDCCXXXIX. die XXX. Septembris inter Cardinales adſcribitur; qua in dignitate, honorificentiſſime vivit.

Antonius Serlupius Romanus, Dominici, & Juliæ Veroſpiæ filius, Joſepho Bottino munus hoc dimitente,

Digitized by Google

te, ſit Advocatus Conſiſtorialis, anno MDCCXI. quem Juriſprudentiæ ſedulo incumbentem mors abſtulit immatura. Jacetque in Eccleſia S. M. de Aracæli.

Bonifacius Spretus Ravennatenſis, Felicis, & Hieronymæ Andronichæ filius, patruo Coadjutor adjunctus anno MDCCXIV. in muneribus Advocati Conſiſtorialis, & Advocati pauperum, ab anno MDCCXXXIII. per annos tres Romanum Gymnaſium moderatus eſt.

Carolus Albertus Guidobonus Cavalchinus Derthonenſis, Petri Antonii, & Lucretiæ Paſſalaquæ filius, a Collegio Mediolanenſium Juriſconſultorum nominatus, a Clemente XI. eligitur anno MDCCXVI. qui Marcellini Corii ad Romanam Rotam tranſlati ſedem in hoc Collegio obtineret. Præfuit Gymnaſio Romano ab anno MDCCXXVI. uſque ad annum MDCCXXXIV. tum præfuit ejuſdem Bibliothecæ. Sub Benedicto XIII. adſcriptus eſt inter Referendarios Utriuſque Signaturæ, & Votantes Signaturæ Juſtitiæ. Anno MDCCXXVIII. Prospero Lambertino Cardinali ſubrogatus eſt in munere Promotoris Fidei, donatuſque Titulo Archiepiſcopi Philippenſis. Quo officio præclariſſime functum Clemens XII. anno MDCCXXXIV. conſtituit Secretarium Congregationis Concilii, Canoniſtam Sacræ Pœnitentiariæ, Examinatorem Epiſcoporum, Conſultorem Sanctæ Inquiſitionis. Eumdem doctrina, gravitate morum ac rerum gerendarum peritia optime meritum BENEDICTUS XIV. in Cardinalium Ordinem cooptavit, anno MDCCXLIII. die IX. Septembris.

Ludovicus de Valentibus de Trebio, Alexandri, & Paulinæ Venturellæ filius, Ferdinando Patruo Advocato Conſiſtoriali Coadjutor datus eſt anno MDCCXXI. a Clemente XI. quo Pontifice defuncto, egit Commiſſarium Conclavis. A Benedicto XIII. Patronus Fiſci ſelectus eſt. Præfuit multis annis Gymnaſio Romano, A Clemente XII. inter Prælatos Domeſticos, Votantes Si-

Signaturæ Gratiæ adſcriptus, & Carolo Cavalchino ſubrogatus in munere Promotoris Fidei, tum inter Conſultores Sanctæ Inquiſitionis, Examinatores Epiſcoporum, Protonotarios Apoſtolicos connumeratus, de ſancta Sede Apoſtolica præclariſſime meret.

Thomas Antamorus Romanus, Franciſci Antamori olim cognomento Jannini, & Franciſcæ Palutiæ filius, egerat Cauſarum in Foro Patronum, & vice Auditoris Cameræ Apoſtolicæ jus reddiderat, cum a Clemente XI. anno MDCCXXI. datus eſt Coadjutor Jacobo Sardinio. Defuncto Bonifacio Spreto, ei commiſſum eſt Pauperum Patrocinium. Quatuor annis præfuit Romano Gymnaſio, & octogenario major obiit, hoc ipſo anno MDCCLI. die XXVII. Aprilis, tumulatus in Eccleſia S. Hieronymi Charitatis, præſentibus Advocatis, & Profeſſoribus.

Joannes Ascevolinus Bertinorienſis, Joſephi & Catharinæ Paulutiæ filius, claruit in Foro Romano magni nominis Advocatus. Caſalio defuncto, aggregatus eſt huic Collegio, anno MDCCXXI. vixitque in magna omnium exiſtimatione uſque ad annum MDCCXLV.

Nicolaus Sacripantes Romanus, Caroli Cardinalis frater, eidem Coadjutor datus eſt anno MDCCXXI. cum antea apud Marcellinum Corium Auditorem Rotæ, addiſcendo Juri incubuiſſet. Anno MDCCXL. functus eſt munere Commiſsarii Conclavis. Deinde munus dimiſit.

Nicolaus de Vecchis Romanus, Petri Pomponii Advocati Conſiſtorialis, & Margaritæ Cyprianæ Reatinæ filius, ab Innocentio XIII. anno MDCCXXI. Coadiutor parenti datus eſt. Apud Reatinos tamquam Conſiliarius in locum Cyprianæ familiæ electus a Civibus ſupremum Magiſtratum geſſit, quem vocant *Confaloniero*, atque in eodem Magiſtratu, a Congregatione, quæ imminet optimo Ditionis Pontificiæ regimini, annuente Clemente XII. confirmatus. Hunc Clemens Argen-

genvillerius ſibi ſocium adſcivit in adminiſtrando Gymnaſio. Huic etiam Ludovici de Valentibus Advocati Fiſci vices ſunt demandatæ in Tribunali Viſitationis Carcerum juxta Conſtitutionem *Juſtitiæ gladium* a BENEDICTO XIV. anno MDCCXLIX. editam. Mortuo Antamoro eſt meritiſſimus hujus Collegii Decanus.

Gabriel de Serianis Aſculanus, Gaſparis, & Comitiſsæ Saladinæ filius, ab Innocentio XIII. anno MDCCXXIV. ſubrogatus in locum defuncti Antonii Serlupii Advocati Conſiſtorialis; nunc Advocatum Senatus, Populique Romani, & Fabricæ Baſilicæ Vaticanæ honoratiſsime agit.

Julius Cæsar Fagnanus Romanus, Aſdrubalis, & Claricis Cajetanæ filius, Canonicus Eccleſiæ S. Mariæ in Vialata, a Benedicto XIII. anno MDCCXX. datus eſt Coadjutor patruo Joanni Franciſco Fagnano Advocato Conſiſtoriali. Is ſeriem Advocatorum Conſiſtorialium ab anno MDCLVI. quo anno Carolus Cartharius ſuum Syllabum abſolverat, uſque ad hæc tempora deſcribet fuſiori calamo; cujus labori, & diligentiæ, quæ in hac re diximus, debemus.

Virgilius Montecatinus Ferrarienſis, Alphonſi, & Conſtantiæ Malvetiæ filius, ab Innocentio XIII. datus eſt Coadjutor patruo Antonio. Anno MDCCXXIX. muneris poſseſſionem iniit. Patriæ ſuæ negotia apud Sedem Apoſtolicam cum laude adminiſtrat.

Josephus Ascevolinus Romanus, Joannis Advocati Conſiſtorialis filius, & Coadjutor datus anno Chriſti MDCCXXX. ſedem in hoc Collegio, & inter Advocatos, digniſsime occupat.

Clemens Argenvillerius Romæ natus eſt, exeunte anno MDCLXXXVII. Patrem habuit Joannem Civem Pariſienſem, cujus Progenitor Carolus Abbavillæ Gubernator in prælio apud Dorlanum, una cum aliis nobilibus, ſtrenuiſque viris pro Henrico IV. Galliarum Re-

ge,

ge, uti memorat Davila Hiſt. bell. Civ. Lib. 15. fol. 778. fortiter occubuit. Mater ipſi fuit Lucretia Catharina Benincaſa Romana,cujus frater Andræas poſt emenſos reliquos Militiæ honores, Inſpector primum univerſi Equitatus, dein vero Dux generalis copiarum omnium Regis Catholici ſenex non ita pridem obiit Matriti anno MDCCXLII. Alia fuit Clementi ad honores via; artium nempe liberalium, ac Divini, Humanique Juris ſtudium; in quo quidem quammaxime verſatus, primi ſubſellii Advocatus claruit, de nobilioribus in Foro controverſiis paſſim conſultus, atque in rebus publicis, præſertim ubi agebatur de tuendis Sedis Apoſtolicæ juribus, a Clemente XII. non ſemel adhibitus. Ab eodem Pontifice, anno MDCCXXXVIII. mortuo Bonifacio Spreto, donatur Conſiſtoriali Toga, & annua penſione aureorum quadringentorum. Sed majoribus illum cumulavit beneficiis doctorum virorum amantiſsimus BENEDICTUS Papa XIV. Nam prioribus Pontificatus ſui annis honeſtatem, ingenium, prudentiamque Viri in pluribus expertus, quo primum tempore, creatio ſeptem ſupra viginti Cardinalium præconceptæ jamdiu munificentiæ locum aperuit, inter Prælatos, quos vocant Domeſticos, Angevillerium adſcivit, & quaſcumque ex toto Chriſtiano Orbe ad ipſum ſummum Pontificem deferuntur adverſus Judices Eccleſiaſticos poſtulationes, vice ſua audire juſſit. Quod ſane munus poteſtate ampliſſimum, dignitate præclariſſimum eſt. Præbenda inſuper & Canonicatu in Baſilica Lateranenſi donavit. Examinatorem Epiſcoporum, Secretariumque Congregationis, quæ huic examini imminet, conſtituit. Eundem de ſe, ſedeque Apoſtolica optime meritum, non ſemel ſuis in Conſtitutionibus commendavit, nempe Conſtit. CXXXV. & Conſt. CXLII.Tom.1. Conſtit.XVI. Conſtit. XIX. Conſtit. XXXIII.Tom.2. in qua poſtrema cum ageretur de componenda Juriſdictionis Eccleſiaſti-

cæ controverſia inter Cardinalem Epiſcopum Tuſculanum, & Cardinalem Abbatem Commendatarium S M. Cryptæ Ferraræ, Pontifex ait ſe litem hanc abſoluiſſe *in conſilium adhibitis duobus viris in Canonica Facultate peritiſſimis, Dilecto ſcilicet filio Magiſtro Idelphonſo Clemente de Aroſtegui Cappellano noſtro, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditore, qui edito volumine, cui titulus eſt*: Concordia Paſtoralis: *eximium ſuæ in hoc rerum genere ſcientiæ ſpecimen dedit; ac Dilecto pariter Filio Magiſtro Clemente Argenvilliers Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocato, ac Prælato Domeſtico, & Auditore noſtro, cujus etiam doctrinæ in hac ipſa controverſiarum ſpecie plura monumenta extant in conſultiſſimis Diſceptationibus multorum annorum decurſu dum in exercitio fori magna cum laude verſaretur ab ipſo editis.* Anno MDCCXLVI. a Collegio Advocatorum Conſiſtorialium, unanimi ſuffragio, electus eſt Rector Romani Gymnaſii, licet invitus. Ad hoc autem munus obeundum duos ex eodem Collegio ſibi ſocios adjungi exoptavit; quod quidem alias fuerat ſcitiſſime conſtitutum, vix unquam factitatum. Itaque ex ordine ſeniorum ſelegit Nicolaum de Vecchis, ut Phyſicis præſertim experimentis in Gymnaſio, ac Rei Botanicæ in Horto Medico præeſſet; ex Ordine vero juniorum Philippum Mariam Pirellium, qui rem omnem litterariam ordinaret, Scholas adiret, bonarum artium ſtudia excitaret, ac conſervaret. Adjunxit etiam Joſephum Aſcevolinum, ut Magiſtros Grammaticæ, qui in variis Urbis regionibus a Rectore conſtituuntur, in officio contineret. Quam ipſi, collatis invicem ſtudiis, Summi Pontificis ope, & præſidio, profuerint rei litterariæ, conſtat ex Cap. x. Lib. I. hujus Hiſtoriæ, & ex Codice Liturgico Eccleſiæ univerſæ, auctore Viro Clar. Joſepho Aloyſio Aſſemanno, aliiſque libris a Profeſſoribus editis, Rectoris hortatu. Qui vero Argenvillerium ipſum oculis propemodum

Digitized by Google

dum intueri velit, epiſtolam legat, quæ præfixa eſt Vol. 4. Oper. Clar. Ciampini *De veter. monun.* Ob ejus merita, decreto Collegii die 23. Junii 1751. conceſſa ſunt ei licet abſenti integra emolumenta ex promotionibus Doctorum, & alia omnia, etiam ex poſtulationibus Palliorum provenientia, ut id tamen *deinceps in exemplum trahi nequeat ab aliis cujuſcumque ſint dignitatis.*

Philippus Maria Pirellius Neapolitanus, Dominici, & Camillæ de Miranda filius, adoleſcens meruit, ut eum BENEDICTUS XIV. anno MDCCXL. inter Prælatos Domeſticos cooptaverit, & inter Advocatos Conſiſtoriales aſciverit, qui primus occuparet in hoc Collegio locum Neapolitano Civi ab Innocentio XII. Pontifice conſtitutum, & nulli adhuc conceſſum, datis hiſce litteris ad Patres Conſcriptos Neapolitanæ Civitatis: *Dilectis filiis Nobilibus viris Electis Civitatis Neapolitanæ. BENEDICTUS PP. XIV. Dilecti filii Nobiles viri ſalutem. Permagni ſemper fecimus inclytam veſtram Civitatem, egregiaque perpetuo apud Nos fuit opinio pietatis, atque obſervantiæ, quibus Nobilitates veſtræ Pontificem Maximum, Romanamque Sedem debito cultu proſequutæ veram ineſſe ſibi Religionem, hoc etiam documento palam oſtendunt. Quæ Nobis cum ante oculos obverſarentur vix dum aſcendere in hanc ſupremam Eccleſiæ Cathedram, Dei manifeſto numine, juſſi fuimus, vicem vobis reddere benevolentiæ noſtræ, ubicumque res ita ferat, profecto conſtituimus. Quocirca Dilectum filium Philippum Mariam Pirellium in illuſtre Advocatorum Conſiſtorialium Collegium nominatione veſtra cooptari mandavimus, gratumque Nobis accidit, ei primum poſt longas difficultates locum redditum fuiſſe Veſtris Civibus in eodem Collegio aſſignatum. Illum ſiquidem novimus conſpicua clarum Nobilitate, virtute, boniſque litteris inſtructum, & modo ſedulam exhibet Nobis operam ſtudiumque ſuum in-*

inter noſtros intimos Cubicularios honorifice adſcriptus. Veſtro igitur non minus merito, quam benignitati noſtræ referre debetis quicquid geſtum a Nobis fuit pro reſtituendo uni ex Civibus veſtris Conſiſtorialis Advocationis decore; perſolutum idcirco Nobis obſequentiſſimis litteris officium ab ea parte libenter inſpeximus, qua veſtram erga Nos voluntatem plenam ſingularis obſequii, religioſæque venerationis officioſiſſime comprobavit. Et Nos quidem Apoſtolicam invicem Benedictionem Nobilitatibus veſtris, Dilecti filii Nobiles Viri, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. Die 4. *Februarii* 1741. Hunc etiam idem Pontifex Summus anno MDCCXLIII. Neapolim, Beneventumque, ablegavit, ut Cardinalitiæ dignitatis inſignia deferret Dominico Urſino Gravinenſium Duci, & Franciſco Lando Archiepiſcopo Beneventano. Eum Rex honorifice excepit, uti diximus in noſtro libro *De Capella Regis utriuſque Siciliæ* Cap. XI. §. VI. ubi & exhibuimus litteras, quibus Pontifex Pirellium Regi, ac Reginæ commendavit. Hunc Clemens Argenvillerius ſocium voluit in ordinanda re litteraria Gymnaſii Romani. Eumdem Pontifex, anno MDCCXLIX. conſtituit juri dicendo in cauſis Civilibus in magna Curia Innocentiana; quo munere magno cum omnium plauſu nunc temporis fungitur.

Paulus Franciscus Antamorus Romanus, Thomæ Advocati Conſiſtorialis, ac Helenæ Bellonæ filius, anno MDCCXLI. parenti digniſſimus Coadjutor datus eſt.

Joseph Andreas Scaramuccius Auximanus, Thomæ, & Annæ Mariæ Buttari Caccianemici filius, diu in Foro verſatus, datus eſt Coadjutor Ludovico de Valentibus anno MDCCXLII. tum Thomæ Antamoro in munere Advocati Pauperum. Mortuo Antamoro, pauperum rebus ſapientiſſime patrocinatur.

Hieronymus Tozzius Romanus, Alexandri, & Catharinæ Sauellæ filius, Coadjutor datus eſt Clementi Argen-

Argenvillerio in munere Advocati Conſiſtorialis, anno MDCCXLIII. optime meritus.

ALEXANDER LITTA Mediolanenſis, ſubrogatus in locum Caroli Alberti Guidoboni Cavalchini ad Cardinalatum promoti, in munere Advocati Conſiſtorialis, anno Chriſti MDCCXLIV. optime meritus. Parentes habuit Camillum Litta, & Conſtantiam Belcredi Papienſem.

LIVIUS BONZETTUS Ariminenſis, Andreæ, & Franciſcæ Battaglinæ filius, clarus in Foro Romano Advocatus, Nicolao Sacripante munus dimittente, nominatus eſt anno MDCCXLVI. Advocatus Conſiſtorialis a Collegio juxta Conſtitutionem *Inter Conſpicuos*. At poſt annum e vivis diſceſſit.

ANTONIUS TANARI Bononienſis, Joannis Nicolai, & Tereſiæ Zambeccariæ filius, Alexandri ampliſſimi Cardinalis fratris filius, ab anno MDCCXXIX. electus eſt Advocatus Conſiſtorialis. Sed nonniſi anno MDCCXLVII. muneris poſſeſſionem iniit.

THOMAS DE CONSTANTIO Romanus, Joannis Baptiſtæ Neapolitani, & Roſalindæ de Noto filius, Advocatus Conſiſtorialis anno MDCCXLVII. Coadjutor primum, tum Succeſſor Livii Bonzetti defuncti, & clarus in Foro Advocatus.

GUIDUS CALCAGNINUS Ferrarienſis, Cæſaris, & Catharinæ Obici filius, Coadjutor Virgilio Montecatino Advocato Conſiſtoriali datus eſt anno MDCCXLVIII. ſimulque inter Aulicos Pontificios, quos Cubicularios Secretos vocant, & inter Referendarios Utriuſque Signaturæ meritiſſime adſcitus.

CAJETANUS FORTES Romanus, eximius in Urbe Cauſarum Advocatus a BENEDICTO XIV. datus eſt Coadjutor Nicolao de Vecchis Advocato Conſiſtoriali anno MDCCLI. Parentes habuit Tiberium Piſcienſem, & Eliſabetam Pellegrino.

APPENDIX
PROFESSORES
ADDENDI.

Joannem Peccamum Anglum, virum doctiſsimum, Ordinis Minorum, diximus pag. 440. egiſſe Lectorem Sacri Palatii. Omiſimus tamen illum paulo poſt renunciatum Archiepiſcopum Cantuarienſem, nempe anno mcclxxix. adhuc docuiſſe in Schola Sacri Palatii. Narrant enim Scriptores apud Wadingum ad annum mcclxxix. quod cum ſui ſæculi eruditiſsimus eſſet, & Romæ in Sacro Palatio legeret Theologiam, plurimi ad illum audiendum confluebant, etiam Epiſcopi, & Cardinales non pauci, qui quidem viro ad ſuggeſtum aſcendenti, detecto capite honoris cauſa aſſurgebant; ſed cum ad Epiſcopatum Cantuarienſem evectus eſſet, & adhuc Lectoris munere fungeretur, jam Cardinales, & Epiſcopi viro ſuggeſtum adeunti haud aſſurgere conſueverint, ne viderentur honorem illum tribuere dignitati, qua ſe ſuperiores cognoſcebant, quem antea virtuti tribuebant. Obiit Peccamus anno mccxcii. Neque is ſolum Epiſcopus docuit in ſcholis Urbis. Albertus de Cattaro Dominicanus, de quo egimus pag. 456. creatus eſt Epiſcopus Modruſienſis, anno mdxlviii. & anno ſequente, Epiſcopus Veglenſis, uti teſtatur Jacobus Echard. Ille tamen, iiſdem annis occurrit in antiquis Catalogis Profeſſorum, inter Profeſſores Theologiæ ſtipendio florenorum biſcentum. Et quidem ita inſcribitur *R.D. Albertus de Cattaro*, quo ſignificatur dignitas Epiſcopalis, cum cæteri Profeſsores Regulares, nonniſi *Magiſtri* inſcribantur.

Gulielmus Gaisnesburgius Anglus, Ordinis Mino

norum, Profeſſor Theologiæ in Academia Oxonienſi, doctrina, prudentia, pietate clarus, quem Eduardus I. Rex Angliæ, una cum Hugone Mancheſtrio Dominicano Legatum miſit ad Philippum Francorum Regem, pro componendis in Aquitania rebus, egit Romæ Lectorem Sacri Palatii, uti teſtatur Thomas Eccleſtonus. Anno MCCCX. electus eſt Epiſcopus Vigornienſis. Scripſit libros: *Sermonum ad Clerum*: *Quæſtionum ſubtilium*: *Diſceptationum*. Wadingus de Script. Franciſ.

Raphael de Spinolis Januenſis, Ordinis Minorum, inſignis Sacræ Theologiæ Magiſter, an. MCDXXXVIII. Lectorem agebat Sacri Palatii Apoſtolici, eodemque anno electus eſt Epiſcopus Ajacenſis in Corſica, cui Miniſter Generalis conceſſit, ut in ſuo Epiſcopio duos ſui Ordinis Fratres habere poſſit, uti ex Regeſtis ejuſdem Ordinis conſtat. Addendus inter Theologiæ Profeſſores.

Bonifacius Bembus Brixienſis, peritiſſimus Græcæ & Latinæ Litteraturæ, docuit tum in Gymnaſio Piſano, tum in Gymnaſio Romano ſub Innocentio VIII. uti teſtantur Elias Chauriolus in Hiſtoria Brixienſi, & Leonardus Gozzandus in Bibliotheca Brixiana, addenduſque eſt Profeſſoribus Rhetoricæ, & Humanitatis.

Georgius Alexander Epiſcopus Cretenſis, Præceptor in Urbe Græcæ diſciplinæ memoratur a Volaterrano Lib. 21. Antropol. *de his*, *qui in reliquis artibus claruerunt*, agens de Sophiano, quem etiam affirmat Romæ docuiſſe. Addendus eſt Profeſſoribus Linguarum.

Petrus Franciscus Frustulus Spoletinus, Cæſaris Borgiæ Ducis Valentini ab epiſtolis conſcribendis, Lector publicus in Romana Sapientia, Poeta Laureatus, ac Senator Urbis anno MDLVIII. memoratur a Jacobillo de Scriptoribus Umbriæ. Edidit tria Poemata carmine heroico nempe de Croco, de animalibus, ac de geſtis Cæ-

Digitized by Google

Cæſaris Borgiæ. Adiungendus Profeſſoribus Humanitatis & Rhetoricæ.

Nicolaum Perusinum Procuratorem Generalem Ordinis Servorum B. M. Virginis, & publicum in Romano Gymnaſio Profeſſorem Philoſophiæ, qui edidit *Commentaria in Logicam*, quique obiit anno MDXV. memorant Gianus in Annalibus Par. 2. Lib. 5. Cap. 10. & Jacobillus de Scriptoribus Umbriæ. Supplendus inter Profeſſores Philoſophiæ.

Bonaventura Pius vel Faunus e Coſtacciaro oppido Comitatus Eugubii, Ordinis Minorum Conventualium occurrit in antiquis Catalogis Profeſſorum ſub Paulo III. Profeſſor Theologiæ, & Metaphyſicæ, ſub nomine *M. de Coſtacciaro*. Is eximie doctus, præcipue in Schola Scoti, & Eccleſiaſticis diſciplinis, anno MDXLIII. electus eſt Miniſter generalis ſui Ordinis, & deinde Epiſcopus Aquenſis, ac nonnullos libros circa Scoti doctrinam ſcripſit, uti Wadingus de Script. Franciſc. & Jacobillus de Scriptoribus Umbriæ teſtantur.

Cæsar Jacomellus ſub Paulo III. & Julio III. Logicam profitebatur, Canonicus Baſilicæ Liberianæ, qui deinde præfuit Eccleſiæ Bellicaſtrenſi, interfuit Tridentino, obiit MDLXXVII.

Nicolaus Scevola Spoletinus, quem inter Profeſſores Rhetoricæ nominavimus, docuit etiam in Peruſino Gymnaſio Humanas, Græcaſque litteras, edidit Commentaria in epiſtolas Ciceronis, Orationes, & Carmina, obiitque Spoleti anno MDLV. uti Jacobillus de Scriptoribus Umbriæ teſtatur.

Michael Saravetius de Petraſancta Thuſciæ oppido, Ordinis Prædicatorum, Romæ anno MDXVI. publico ſtipendio Metaphyſicam diu profeſſus eſt, uti teſtantur Leander, qui fuit ejus condiſcipulus Bononiæ, & Jacobus Echard To. 2. pag. 38. de Script. Ord. Prædic. Edidit: *Quæſtiones de analogia Entis contra Scotiſtas:*

tiſtas: Quæſtiones de Univerſalibus: Tractatus de primis & ſecundis intentionibus: Tractatus de Univerſalibus: Quæſtiones de cauſalitate primi principii: De principio individuationis: De ſubjecto Philoſophiæ.

ANTONIUS MANCINELLUS Veliternus, publicus in Romano Gymnaſio Profeſſor Humanitatis, qui plura edidit, memoratur a Theulo in Hiſtoria Velitrarum.

HIERONYMUS FRACASTORIUS Veronenſis, celeberrimus Medicus, Philoſophus, Aſtrologus, Poeta, Romam veniens a Paulo III. donatus eſt Cathedra Medicinæ in Romano Gymnaſio, & menſtruo ſtipendio aureorum ſexaginta. Ejus vitam Brucherus in Hiſtoria Philoſophiæ, Niceronius in vitis virorum illuſtrium, Morerius in Dictionario, aliique plures ſcripſere. Obiit Patavii anno MDLIII. major ſeptuagenario. Edidit: *De morbo gallico libros tres: De cauſis criticorum dierum: De Sympathia, & Antipathia: De contagione, & contagioſis morbis: De cura canum venaticorum: Dialogos de Poetica, de anima, de intellectione: Carminum librum de vini temperatura: Carmina ſuper Geneſim: Del creſcimento del Nilo.*

HIERONYMUS MERCURIALIS Forolivienſis, præclariſſimus Medicus, docuit in Romano Gymnaſio, uti Thomaſſinus in elogiis Doctorum virorum, aliique teſtantur. Is duobus annis ſupra triginta natus ad Urbem venit anno MDLXII. Pio IV. Pontifice, ibique donatus Cathedra celebres ſcripſit libros de arte Gymnaſtica. Tum a Venetis magna mercede conductus, anno Chriſti MDLXIX. Patavii res Medicas publice docere cœpit, quo etiam munere functus eſt in Gymnaſio Bononienſi, & Piſano. Ab Imperatore Maximiliano II. in Germaniam evocatus, ut ejus conſuleret valetudini. Obiit in patria anno MDXCVI. ſex annis major ſexagenario. Editi ab eo ſunt libri: *De arte Gymnaſtica: De morbis mulierum: Conſultationes Medicinales: De componendis medica-*

dicamentis: *Variæ Lectiones*: *De venenis*: *De morbis puerorum*: *De morbis cutaneis*: *De morbis oculorum*, *& aurium*: *De cognoſcendis*, *& curandis humani corporis affectibus*: *Hippocratis Opera omnia Græce*, *& Latine edita*: *Galeni Opera Latine converſa*. De eo Thomaſſinus, Ghilinus, Morerius, Lindenius.

Evangelista Patavinus Auguſtinianus, quem diximus egiſſe Profeſſorem Philoſophiæ ab anno Chriſti MDLXXXII. cognomento Bosius diu docuit apud ſuos Patavii, Bononiæ, & Romæ, obiitque anno MDXCII. de quo Herrera in Alphab. Auguſt. & Portinarius de felic. Patav.

Marius de Acetura, Tricaricenſis Diœceſis oppido, Ordinis Minorum, Profeſſor Metaphyſicæ ſub Sixto V. uti diximus pag. 338. cognomento Tarallus, diu variis in locis apud ſuos docuit, præſertim Romæ in Cœnobio SS. Apoſtolorum; & Aſſiſtentis generalis munere functus eſt.

Franciscus Brusco de Setia, Ordinis Minorum Conventualium, eximius Theologus, docuit apud ſuos Neapoli, tum a Gregorio XIII. anno MDLXXXIV. obtinuit Cathedram Theologiæ in Romano Gymnaſio, in qua docuit annis ſex. Tum præfuit Romanæ Provinciæ, deinde Procurator generalis Ordinis, denique Epiſcopus Litterenſis electus anno MDXCIX. obiit anno MDCXXV. de eo Ughellus in Epiſc. Litter.

Augustinus Cassandri de Caſtro Fidardo in Piceno, Ordinis Minorum Conventualium, poſtquam Sacros Canones Florentiæ docuiſſet, functuſque eſſet munere Regentis, Ferrariæ, Bononiæ, Mediolani, Papiæ; atque in pluribus Italiæ Civitatibus Conciones habuiſſet, donatus eſt Cathedra Theologiæ in Romano Gymnaſio, & a Paulo V. ſelectus eſt Concionator Palatii Apoſtolici. Egit quoque Provincialem Piceni, Procuratorem generalem Ordinis, & Conſultorem Romanæ Inquiſitionis

Digitized by Google

nis. Deinde Epiſcopus Gravinenſis electus an. MDCXIV. obiit MDCXXIII. Prælo paraverat Conciones per annum, & Quadrageſimam plurimas, explicationem in Cantica Canticorum, & opuſcula Theologica.

HENRICUS SILVIUS Aſtenſis Carmelita, Profeſſor Metaphyſicæ, anno MDXCIX. uti diximus pag. 339. fuit Prior Generalis, electuſque anno MDCXII. Epiſcopus Eporediæ, obiit eodem anno. Laudatur a Lucio Belga in Bibliotheca Carmelitarum, & ab Ughello.

JOANNES VAZMOTTA Luſitanus, Profeſſor Humanitatis in Gymnaſio Romano anno MDLXXXV. memoratur a Ciacconio in vita Cardinalis Alberti Auſtriaci To. 4. Col. 53. ubi narrat illum nuncupaſſe huic Cardinali orationem, quam habuit in Gymnaſio Romano, cum inciperet explicare librum Paradoxorum Marci Tulli.

PAULUS BENIUS Eugubinus, quem pag. 341. nominavimus, vir doctiſſimus Græcis, Hebraicis, Latiniſque litteris, Orator, Poeta, Philoſophus, Theologus. Societati Jeſu nomen dederat, e qua diſceſſit, ut Commentaria ederet in Convivium Platonis. Docuit Peruſiæ, & Romæ, ac denique anno MDXCIX. Patavii Eloquentiam, ſtipendio nummorum mille. Fuit a conſcribendis epiſtolis Card. Madrutii, & Franciſci Mariæ II. ultimi Ducis Urbini. Obiit Patavii, anno MDCXXV. hæredibus ex aſſe inſtitutis Patribus Teatinis in quorum Eccleſia jacet. Edidit præter libros alibi recenſitos: *Commentaria in Ariſtotelis Poeticam cum centum Poeticæ controverſiis*: *In Ariſtotelis libros Rhetoricæ Tom. 2. quibus acceſſerunt*: *Oratoriæ diſputationes*, *& Platonis Rhetorica ex ejus ſcriptis excerpta*: *In ſex primos libros Æneidos Virgilii*: *Platonis Poeticam ex ejus Dialogis collectam*: *Orationes*: *Epiſtolas*: *De Hiſtoria libros quatuor*: *Commentaria in Salluſtium*: *Diſputationem de Annalibus Baronii*: *Diſputationem Theologicam de Auxiliis*: Fuſe de eo Jacobillus in Biblioth. Umbriæ,

briæ, & Nicolaus Pappadopoli de Gymn. Patav. Lib. 3. Sect. 2. Cap. 25.

Petrus Servius Spoletanus, quem Medicinæ Profeſſorem anno MDCXXXVI. nominavimus pag. 366. edidit *Diſſertationem de Unguento Armario ſive de naturæ, artiſque miraculis*: *Inſtitutiones Medicas*: *Proluſionem Medicam an juvenis poſſit eſſe abſolutus Medicus*: *Proluſionem de laudibus Medicinæ*: *Exercitationes Medicas de ſero lactis*: *Juveniles ferias ſive Romanorum Miſcellanea*: *Diſſertationem Theologicam*: *De odoribus*. Obiit Romæ anno MDCXLVIII. jacetque in Eccleſia S. M. Angelorum. Fuſe de eo Jacobillus in Bibliotheca Umbriæ.

Alexander Salsilla Capuanus, Profeſſor Philoſophiæ, ſub Urbano VIII. ab an. MDCXXX. electus eſt anno MDCXLIII. Epiſcopus Trevicanus, deinde poſt annos tres translatus ad Eccleſiam S. Angeli de Lombardis, eodem anno MDCXLVI. obiit.

Benedictus Milanus Romanus Profeſſor Logicæ ab anno MDCXXVIII. per annos quatuor, teſte Mandoſio To. 2. Bibl. Rom. edidit *Epitalamium in nuptiis Taddæi Barberini, & Annæ Columnæ*: *Orationem de laudibus Card. Joannis Columnæ*: *Librum variorum Carminum*.

Jacobus Accarisius Bononienſis, Philoſophiam hora matutina profeſſus eſt ab anno MDCXXXV. uſque ad annum MDCXLIV. cum electus eſt Epiſcopus Veſtanus. Hunc Cartharius in Syllabo Advocat. Conſiſt. loquens de Gratiolo Accariſio vocat Theologum, Rhetorem, Philoſophum, & Hiſtoricum clari nominis, additque edidiſſe *Prælectiones Philoſophicas*: *Orationes in funere Caroli Arciducis Auſtriæ*: *in funere Annibalis Mareſcotti*: *in funere anniverſario Gregorii XV*. *De S. Joanne Evangeliſta*: *De Deo Trino, & Uno*: *De Academia Mantuana*: *De reſtauratione ſtudiorum*: *Della Paſſione*

di

Digitized by Google

di Chriſto: *De laudibus S. Andreæ Corſini*: *De laudibus S. Gregorii*: *De laudibus Eleonoræ* . *onzagæ*: *De natalibus Virgilii*: Scripſiſſe etiam de Tragœdia, epiſtolas, vindicationes nonnullarum Gregorii XV. Conſtitutionum, & Hiſtoriam Cardinalis Bentivoli de bello Belgico e lingua Italica in Latinam vertiſſe. De eo Ughellus in Ep. Veſtanis.

Franciscus Rogerius Romanus, Moralem Philoſophiam ab anno mdcxxxiii. per annos tres profeſſus eſt. Laudatur a Jano Nicio Erithræo in Pinacotheca, & a Proſpero Mandoſio in Bibl. Rom. Par. 1. Cent. 2. n. 3. & a Leone Allatio in libro de viris illuſtribus, ac dicitur Poeticæ facultatis laude claruiſſe, & plura edidiſſe *Carmina*, quæ Mandoſius, & Allatius recenſent.

Bonavetura Pace de Ruſciano Diœceſis Montiſferetranæ, Ordinis Minorum Conventualium, Profeſſor Græcæ linguæ memoratus pag. 398. edidit: *Lexicon Græco-Latinum*, *Italicum*, *Gallicum*, *& Hiſpanicum*: *Miſſam S. Joannis Chryſoſtomi Græcam & Latinam*: *Artem litteratoriam pro diſcendis ſex linguarum primordiis Græcæ*, *Latinæ*, *Hebraicæ*, *Italicæ*, *Gallicæ*, *Hiſpanicæ*.

Gregorius Mandosius Romanus, Ordinis Prædicatorum, Theologiam in Romano Gymnaſio profeſſus eſt anno mdcxix. & ſequenti, uti teſtatur Jacobus Echard To. 2. Script. Ord. Præd. pag. 417. qui ejus in Theologia, & concionibus peritiam pluribus extollit.

Fortunatus Scacchus Fanenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, inſignis Theologus, & Concionator, diu apud ſuos variis in locis docuit, tum Romæ Sacras Litteras, & Patavii Hebraicas publice tradidit. Anno mdcix. Venetiis agens edidit Biblia in plures linguas converſa. Eum Urbanus VIII. e Maceratenſi Gymnaſio Romam vocavit, & in locum Fulgentii Galluccii ad Epiſcopatum Bojanenſem translati, præfecit anno

 mdcxxiv.

Digitized by Google

MDCXXIV. Sacrario Pontificio. At poſt annos quindecim, dimiſſo munere, ſe in patriam recepit, ubi obiit anno MDCXLIII. major ſeptuagenario. Edidit tria volumina *Myrotheciorum*: *De cultu & veneratione Servorum Dei*: *Prediche e Diſcorſi ſopra l'Evangelii*. Scripſitque alia plura, qææ Romæ aſſervantur in Bibl. Angel. De eo Janus Nicius, & Allatius.

Benedictus Stay Raguſinus, notus Reipublicæ litterariæ, ob *Philoſophiam verſibus traditam*, editamque, hoc ipſo anno MDCCLI. delectus eſt Profeſſor Rhetoricæ, & Humanitatis, cum Paulinus a S. Joſepho fuerit rude donatus, & ſui Ordinis Vicarius generalis conſtitutus.

PRO-

Digitized by Google

PROFESSORES ILLUSTRES

D I G N I T A T E

SUMMI PONTIFICES

SIXTUS V. pag. 453.

CARDINALES

Auguſtinus Pipia .	pag. 350
Benedictus Lomellinus .	410
Bernardus Aureolus .	443
Conſtantius Buccafocus .	460
Dioniſius Laurerius .	450
Franciſcus Sfrondatus .	404
Gentilis Monteflorius .	442
Joannes a Turrecremata .	401
Joannes Minius .	442
Laurentius Brancatus .	475
Marcus Antonius Maffeus .	411
Marcus Vigerius .	445
Matthæus Aquaſpartanus .	441
Petrus Paulus Pariſius .	408
Reginaldus ex Umbria .	442
Scipio Cobellutius .	418
Silvius Antonianus .	315
Thomas de Vio .	445
Vincentius Maculanus .	471

E P I S C O P I.

Albertus de Cattaro Epiſcopus *Veglenſis* .	456
Alexander Burgos *Catanenſis* .	323
Alexander Salſillus *S. Angeli Lombardorum* .	561
Alexius Seradella *Sutrinus* .	461

An-

Andreas Gelſuminus *Aſculanus*. 470
Antonius Marinarius *Tagaſtenſis*. 345
Antonius Balſarinus *Carthaginienſis*. 349
Antonius Ricciullus *Conſentinus*. 419
Antonius Cellius *Inſulanenſis*. 472
Auguſtinus de Angelis *Umbriaticenſis*. 347
Auguſtinus Caſſandri *Gravinenſis*. 560
Calixtus Palombella *Tarracinenſis*. 487
Camillus Portius *Aprutinus*. 308
Carolus Carnaccioli *Bobienſis*. 349
Carolus Sgombinus *Bellicaſtrenſis*. 425
Cæleſtinus Galianus *Tarentinus*. 484
Cæſar Coſta *Capuanus*. 412
Dominicus Campanella *S. Agathæ Gothorum*. 345
Dominicus Galleſius *Rubenſis*. 428
Fabius Olivadaſius *Catacenſis*. 394
Felix Monachus *Marturanenſis*. 415
Felix Via *Aſculanus*. 427
Felicianus Capitonus *Avenionenſis*. 460
Flaminius Pariſius *Bituntinus*. 417
Fortunatus Scaccus *Porphyrienſis*. 563
Franciſcus Angeluccius *Verulanus*. 423
Franciſcus Brevius *Cenetenſis*. 402
Franciſcus Bruſchus *Litterenſis*. 560
Georgius Alexander *Cretenſis*.. 557
Gregorius Formiginus *Strungulenſis*. 409
Guilielmus de Falgario *Vivarienſis*. 441
Guilielmus Gainesburgus *Vigornienſis*. 556
Henricus Silvius *Eporedienſis*. 339
Hieronymus Curlo *Alerienſis*. 350
Hieronymus Joannellius *Soranus*. 418
Hieronymus Politus *Trevicanus*. 460
Hieronymus Vielmus *Æmonienſis*. 459
Hieronymus Ricciullus *Bellicaſtrenſis*. 420
Jacobus Accariſius *Veſtanus*. 562

Ja-

Jacobus Jacomellus *Bellicaſtrenſis*. 454
Jacobus Pedicinus *Guardienſis*. 347
Joannes Antonius Bovius *Melphitenſis*. 329
Joannes Baptiſta Morra *Inſulanus*. 423
Joannes Staphileus *Sebenicenſis*. 404
Joannes Ludovicus Vivaldus *Arbenſis*. 446
Joannes Baptiſta Surianus *Vigilienſis*. 460
Joannes Peccamus *Cantuarienſis*. 440. 556
Joſeph Piſcullus *Catacenſis*. 468
Joſephus Euſanius *Porphyrienſis*. 477
Julius Caſtellanus *Cariatenſis*. 336
Juſtus Fontaninus *Ancyranus*. 322
Julius Benignus *Theſſalonicenſis*. 416
Julius Santuccius *S. Agathæ Gothorum*. 467
Laurentius Fabri *Foroſempronienſis*. 478
Laurentius Lauretus *Adrienſis*. 465
Lelius Jordanus *Roſſanenſis*. 415
Lucas Caſtellinus *Catacenſis*. 470
Marcus Antonius Bizzonus *Fulginatenſis*. 414
Marcus Antonius Mareſcottus *Cluſinus*. 426
Martialis Pellegrinus *Nazarenus*. 478
Matthæus Guerra *S. Marci*. 458
Nicolaus Perottus *Sipontinus*. 299
Nicolaus Peruſcus *Civitatis Caſtellanæ*. 411
Nicolaus Righettus *Marturanenſis*. 431
Nicolaus Majoranus *Melphitenſis*. 392
Paulus de Ceria *Veſtanus*. 471
Paulus Iſareſius *Squillacenſis*. 468
Petrus Lambertus Ledrou *Porphyrienſis*. 478
Philippus y Turbide *Venuſinus*. 349
Ptolomæus Corphinius *Bovenſis*. 335
Raphael de Spinolis *Ajacenſis*. 557
Sanctus Lanuccius *Civitatis Caſtellanæ*. 434
Sigiſmundus Zannettinus *Firmanus*. 413
Timotheus Girardus *Naulenſis*. 465
Ad-

ADVOCATI CONSISTORIALES.

Achilles Maffæus.	409
Angelus Cæſius.	405
Antonius Vellius.	411
Ballionus Montevibianus.	405
Bonſignorus Finettus.	412
Cinus Campanus.	414
Fabius Accorambonus.	406
Jacobus de Nigris.	404
Ivo Coppolus.	401
Julius Benignus.	416
Ludovicus Pontanus.	401
Marius Salomonius.	403
Marcus Antonius Bizzonius.	414
Nicolaus Buſalinus.	402
Oldradus de Ponte.	400
Petrus Ubaldus.	400
Rutilius Alterius.	418
Sigiſmundus Zannettinus.	[illegible]

AD-

ADVOCATI CONSISTORIALES

DIGNITATE ILLUSTRES

SUMMI PONTIFICES.

BENEDICTUS XIV.	540
Bonifacius VIII.	488
Clemens VIII.	516
Innocentius X.	521
Paulus V.	516
Urbanus VII.	511

CARDINALES.

Alexander Caprara.	531
Ardicinus de Porta.	493
Bernardinus Scottus.	535
Camillus Aſtalius.	527
Carolus Cavalchinus.	548
Carolus Cerrus.	525
Carolus Gualterius.	527
Carolus Sacripantes.	547
Dominicus Cecchinus.	523
Dominicus Tauruſius.	534
Dominicus de Jacobatiis.	502
Fabius Mignanellus.	510
Flaminius Platus.	518
Fredericus Caccia.	533
Joannes Baptiſta Spada.	523
Joannes Bernardinus Scottus.	509
Joannes Garſia Millinus.	519
Jacobus Simonetta.	506
Joſeph Sacripantes.	536

Julius Roma. 522
Laudivius Zachias. 521
Lelius Biſcia. 520
Marcellinus Corius. 537
Petrus Aldobrandinus. 517
Pompeus Arigonius. 518
Proſper Sanctacrucius. 511
Scipio Lancellottus. 513

EPISCOPI.

Achilles de Graſſis Epiſc. *Montisfaliſci*. 512
Ambroſius Catarinus *Compſanus*. 508
Angelus Cæſius *Tudertinus*. 514
Antonius Montecatinus *Fulginatenſis*. 525
Bernardus de Sanctis *Aquilanus*. 508
Camillus Spretus *Cervienſis*. 537
Dominicus de Jacobatiis *Groſſetanus*. 502
Fabius Mignanellus *Groſſetanus*. 510
Franciſcus Boſſius *Novarienſis*. 515
Fauſtus Cafarellus *S. Severinæ*. 521
Hieronymus de Bobus *Camerinenſis*. 517
Jacobus Simonetta *Peruſinus*. 506
Joannes Aldobrandinus *Imolenſis*. 515
Joannes Baptiſta Rainoldus *Lucenſis*. 526
Joannes Bernardinus Scottus *Placentinus*. 509
Joannes Beninus *Adrinopolitanus*. 521
Julius Benignus *Teſſalonicenſis*. 521
Laurentius Campegius *Cervienſis*. 517
Laurentius Pheus *Cariatenſis*. 523
Lucas Albertus Patritius *Peruſinus*. 532
Ludovicus de Graſſis *Ariminenſis*. 494
Marcus Antonus Bizzonus *Fulginatenſis*. 516
Marcus Antonius Maffeus *Teatinus*. 513
Proſper Bottinius *Myrenſis*. 530

Si-

Digitized by Google

Sigiſmundus Zannettinus *Firmanus*. 518
Tomas Lapſius *Fanenſis*. 520

CLERICI CAMERÆ.

Angelus Cæſius. 514
Horatius Burgheſius. 516
Jacobus Sardinius. 539
Joannes Aloyſius Tuſcanus. 500
Joannes Beninus. 521
Ludovicus de Graſſis. 494
Tiberius Ceraſius. 519

AVDITORES ROTÆ.

Achilles de Graſſis. 512
Alexander Litta. 519
Bernardinus Scottus. 520
Bonifacius Vitalinis. 489
Bonſignorus Finettus. 515
Camillus de Ballionibus, 508
Fabius Accorambonus. 511
Joannes de Baroncellis. 494
Joannes Aldobrandinus. 515
Joannes Romeus Barbatius. 518
Hieronymus Meltius. 524
Marcellus Rondaninus. 532
Nicolaus de Ubaldis. 497
Paulus de Tuſcanella. 497
Petrus Franciſcus Gypſius. 518

AUDITORES PONTIFICII

Clemens Argenvillerius. 550
Joſeph Sacripantes. 526
Proſper Bottinius. 530

BULLÆ
ROMANORUM PONTIFICUM
AD
GYMNASIUM ROMANUM
SPECTANTES

BONIFACIUS PAPA VIII.

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Laurentii extra muros & Priori Baſilicæ ad Sancta Sanctorum, atque Archipresbytero Eccleſiæ S. Euſtachii de Urbe ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In ſupremæ præminentia dignitatis divini diſpoſitione Conſilii conſtituti, ad univerſas fidelium regiones noſtræ vigilantiæ creditas tanquam Paſtor Dominici Gregis aciem apoſtolicæ couſiderationis extendimus, ad earum profectum quantum nobis ex alto permittitur intendentes, ſed ad urbium Urbem, Romanam videlicet Civitatem, quam Divina clementia ſtatuit caput Orbis, eo attentioris meditationis intuitum retorquemus, quo principalius in eadem noſtri ſedem apoſtolatus cœleſtis diſpoſitio ſtabilivit & firmavit Eccleſiæ fundamenta. Hanc profecto nimirum inter ceteras Urbes ſub chriſtianæ religione fidei militantes uberioris affectionis prærogativa proſequimur, ſtudioſius apoſtolicis munimus præſidiis, & condignis libentius gratiis honoramus: ideoque ferventi non immerito deſiderio ducimur, quod eadem Urbs quam divina bonitas tot gratiarum dotibus inſignivit, Scientiarum etiam fiat fœcunda muneribus, ut viros producat conſilii maturitate conſpicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diverſarum facultatum

tum dogmatibus eruditos, ſitque ibi fons ſcientiarnm irriguus, de cujus plenitudine hauriant univerſi litteralibus cupientes imbui documentis. Ad hunc igitur univerſalem profectum non ſolum incolarum Urbis ipſius & circumpoſitæ regionis, ſed & aliorum qui propter hoc quaſi continuo de diverſis Mundi partibus confluunt ad eandem, ſtudio paternæ ſollicitudinis intendentes, diligenti ſuper hoc cum fratribus noſtris deliberatione præhabita, de ipſorum conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus ſtatuendum, quod in Urbe prædicta perpetuis futuris temporibus generale vigeret ſtudium in qualibet facultate, ac docentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus conceſſis Doctoribus & Scholaribus in ſtudiis generalibus commorantibus gaudeant & utantur. Et ne hujuſmodi ipſorum ſtudium (quod de bono ſemper in melius dirigi cupimus) perturbari contingegeret, auctoritate prædicta decrevimus, ut Doctores vel Scholares in hujuſmodi Rom. ſtudio commorantes non poſſint inviti in Curia Capitolii occaſione qualibet civiliter vel criminaliter conveniri, niſi forſan (quod abſit) homicidium per aliquem vel aliquos de eodem ſtudio Romano perpetrari contingeret: quo caſu Vicarius Rom. Pont. contra Clericos, Senator vero vel Senatores qui pro tempore fuerint in Urbe prædicta, contra Laicos procedant, & faciant quod juſtitia ſuadebit. Nec ad aliquas contributiones in taliis aut collectis quæ imponerentur pro tempore habitatoribus dictæ Urbis, ſeu aliqua obſequia communi Urbis ipſius præſtanda, prætextu moræ, quam in eadem Urbe contraherent, vel aliqua pedagia ratione rerum ſuarum quas ad dictum Romanum ſtudium deferri, vel exinde reportari facerent, doctores aut ſcholares ejuſdem Romani ſtudii teneantur, quodque penſiones domorum quas Doctores vel ſcholares in Urbe ſtudiorum cauſa morantes inhabitarent, taxari deberent per duos taxatores, quorum unum ipſi Doctores & ſcholares, & alterum commune ipſius Urbis eligant, & ſi ii duo concordare nequirent, ſtetur taxationi tertii taxatoris ab eiſdem Doctoribus eligendi, ac ultra taxationem hujuſmodi nihil ab eis poſſit exigi nomine penſionis pro domibus antedictis: Et licet Roma communis ſit patria, ſi tamen quiſpiam litem contra ſcholares peregrinantes cauſa ſtudiorum in illam ſuper aliquo negotio movere voluerit, hujuſmodi rei optione data ſcholaribus ipſis eos coram Domino, aut Magiſtro ſuo, vel prædicto Vicario

con-

Digitized by Google

convenia juxta legitimam ſuper hoc editam ſanctionem: & qui contrafecerint pœnam dictæ ſanctionis incurrant: Rectores quoque quos Doctores & ſcholares ejuſdem Romani ſtudii pro tempore duxerint eligendos in ipſos Doctores & ſcholares ac familiares ipſorum, tam circa cognitionem & deciſionem cauſarum civilium, & criminalium civiliter motarum, & etiam criminaliter in criminibus levioribus, quam ipſorum corrigendos exceſſus leves, ordinariam obtineant poteſtatem: ut autem Doctores & ſcholares prædicti eo liberius intendere ſtudio valeant, ac proficere in eodem, quo majoris fuerint gratiæ favore muniti, ipſis auctoritate prædicta conceſſimus, ut dum hujuſmodi ſtudio docendo vel audiendo inſiſterent, fructus, redditus & proventus omnium beneficiorum ſuorum cum cura vel ſine cura etiam ſi eorum aliqua perſonatus vel dignitates exiſterent, cum ea poſſint integritate percipere, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent ſi in Eccleſiis in quibus illa obtinent perſonaliter reſiderent, & ad reſidendum in eis interim minime tenerentur, neque ad id a quoquam valeant coarctari. Non obſtan. quibuſcunq. ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis dictarum Eccleſiarum juramento, confirmatione Sedis Apoſtolicæ, vel quacunq. firmitate alia roboratis, etiam ſi de illis ſervandis per ſe vel procuratores ſuos præſtitiſſent forſitan juramentum. Verum quia non ſufficit privilegiorum & indulgentiarum aliquibus dare præſidia, niſi ſint qui ſuper iis eos manuteneant & defendant, cum parum ſit in Civitate jus eſſe, niſi qui illud tueatur exiſtat, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios eiſdem Doctoribus, ac ſcholaribus qui ejuſdem Romani ſtudii pro tempore fuerint, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes non permittatis eos vel eorum aliquos contra hujuſmodi ſtatuti, conſtitutionis & conceſſionis noſtrarum tenores ab aliquibus moleſtari. Moleſtatores hujuſmodi necnon contradictores quoslibet & rebelles quoſcunque & cujuſcunque conditionis fuerint aut ſtatus, etiam ſi Pontificali, vel alia quavis præfulgeant dignitate. auctoritate Apoſtolica poſtpoſita compeſcendo. Non obſtan. ſupradictis ſeu de duabus dietis edita in concilio generali & noſtra qua cavetur, quod Conſervatores a ſede deputati prædicta aliquos ultra unam dietam a fine diœceſi eorundem trahere non præſumant, & quibuſcunque

aliis conſtitutionibus contrariis, dummodo vltra tertiam vel quartam dietam extra ſuam diœceſim aliquis auctoritate præſentium non trahatur, aut ſi aliquibus ab eadem ſit ſede indultum vel in poſterum indulgeri contingat, quod excommunicari, ſuſpendi vel interdici non poſſint per litteras Apſtolicas impetratas, vel etiam impetrandas, niſi eædem litteræ impetrandæ plenam & expreſſam fecerint de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet litteris & indultis Apoſtolicis per quas præſentibus non expreſſis vel totaliter non inſertis noſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte poſſet quomodolibet impediri, & de quibus earumque totis tenoribus de verbo ad verbum in noſtris litteris mentio ſit habenda. Volumus autem quod quilibet veſtrum etiam ſuper negotio per collegam ſuum in hac parte primitus inchoato ſe intromittere valeat, & procedere in eodem, prout & quoties fuerit opportunum. Dat. Anagniæ Anno Inncarnationis Dominicæ Milleſimo Tercenteſimo tertio. Octavo Idus Junii, Pontificatus Noſtri Anno Nono

E U G E N I U S P A P A IV.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

A Supremo Patre familias in Domo Domini, ſuperna dirigente providentia inſufficientibus quanquam meritis Diſpenſatores effecti inter curas innumeras, quibus occurentium rerum, negotiorumque varietatibus obſidemur officii debito paſtoralis ſollicitudine perurgemur aſſidua, ut ad domum ipſam ſapientiæ doctrinæque miniſteria gregem Nobis creditum ſalubriter evocemus, & fidelibus ſingulis ad quærenda Litterarum ſtudia, per quæ Divini Nominis Ortodoxæque Fidei cultus protenditur, juſtitia colitur, tam publica, quam privata res geritur, omniſque proſperitas humanæ conditionis augetur, libenter favores gratioſos impendimus, & opportunæ commoditatis auxilia liberaliter impartimur. Dudum ſignidem ad univerſalem profectum non ſolum Incolarum Almæ

Urbis

Urbis, & circumpoſitæ Regionis, ſed & aliorum, qui quaſi continuo, de diverſis mundi partibus, ad eandem confluunt Urbem, ſtudio paternæ ſollicitudinis intendentes: diligenti deſuper cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione præhabita de ipſorum conſilio, auctoritate Apoſtolica inter alia ſtatuimus, decrevimus, & ordinavimus, quod in Urbe prædicta perpetuis futuris temporibus, generale ſtudium vigeret in qualibet facultate, ac docentes, & ſtudentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immutatibus conceſſis Doctoribus, & ſcholaribus, in ſtudiis generalibus commorantibus, gauderent & uterentur: quodque in Gabella vini forenſis, quod in tabernis venditur, pro qua venditores hujuſmodi vini ſex denarios pro qualibet libra Cameræ dictæ Urbis ſolvere tenebantur, etiam pro libra tres adderentur ſolidi cum dimidio pro ſalario Doctorum ad legendum in dicto ſtudio conductorum, aliis occurentibus inibi juxta ordinationem Rectoris, & Reformatorum, pro tempore exiſtentium præfati ſtudii, deducendis expenſis, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur, ut temporis progreſſu tales in ipſius ſtudii Reformatores aſſumantur, quorum diligentia & circumſpectione votivos, proſperoſque jugiter hujuſmodi ſtudium contingat auctore Domino habere ſucceſſus, dilectorum filiorum Nobilium virorum, Juſtini Pauli de Planca Legum Doctoris, & noſtri Conſiſtorii Aduocati, necnon Joannis de Cappoccinis, & Joannis Cecchi de Cangialaſinis, modernorum Conſervatorum, Civium Romanorum, ac Jacobi de Lodaruaro de regione Montium: Cecchi de Bucchamatiis de regione Trivii: Laurentii Domini Pauli Toti de regione Columnæ: Laurentii Pauli Collarii de Regione Campimartis: Nuccii Cecchi de regione Pontis: Sylveſtri Antonii Paloni de regione Arenulæ: Nuccii Ciaffi de regione S. Euſtachii: Cecchi Antonii de Rugeriis de regione Pineæ: Lucæ Nannoli de Bucchabellis de regione Campitelli: Franciſci Antonii della Baleſtra de regione S. Angeli: Juliani Siuſciæ de regione Ripæ: Laurentii Benedicti Obicionis de regione Tranſtiberim, Capitum regionum dictæ Urbis, in hac parte ſupplicationibus inclinati, perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter obſervandæ conſtitutionis edicto, auctoritate præfata volumus, & ordinamus quod ipſi Conſervatores, & Capita regionum etiam pro tempo-

re exiſtentes annis ſingulis de menſe Decembris, duodecim ex notabilibus Civibus Romanis, inter quos aliqui in Iure Canonico vel Civili Doctores ſint primo, necnon alios Tabeliones publicos tres fide ac facultatibus idoneos etiam Cives Romanos eligere, & ipſius Eccleſiæ Camerario, vel ejus Locumtenenti pro tempore exiſtenti præſentare debeant: ipſeque Camerarius ſiue Locumtenens ex hujusmodi Duodecim primo, ut præfertur, electis quatuor (quorum unus omnino in præmiſſo Jure Doctor exiſtat) ipſius ſtudii Reformatores, & illorum notarium ex dictis aliis tribus tabellionibus, unum conſtituat, & deputet, qui protinus ex tunc pro talibus habeantur, eorum inibi cujuſlibet officium per annum dumtaxat duret, eoque finito Reformatores ipſi de omnibus & ſingulis per eos circa prædictum illorum officium geſtis, & adminiſtratis, coram Conſervatoribus Urbis, & tribus ex Capitibus regionum per alios Capita regionum communiter eligendis ſimiliter pro tempore exiſtentibus, ac uno alio probo viro ad hoc per prædictum Camerarium vel ejus Locumtenentem deputando, legalem rationem & calculum, reddere ſint aſtricti: & ad id, quodque omnia & ſingula de rebus, emolumentis, & bonis, quæ ad eos ipſius officii ratione pervenerint, extantia conſignent, & quæ negligenter, vel fraudulenter interim adminiſtraverint, omnino reſarciant illis qui tunc de novo dicti ſtudii Reformatores extiterint, per ipſos Conſervatores, qua convenit diſtrictione coarctentur. Conſervatores quoque ac tres ex Capitibus regionum, per ipſos Capita regionum, ut prædicitur eligendi, & Reformatores prædicti ſimul cum dicto alio, per Camerarium, vel ejus Locumtenentem, ut prædicitur deputando ſervatis debitis, & quæ in talibus in dicta Urbe fieri conſueverunt ſubhaſtationibus & modis, Gabellam hujuſmodi vendant, & quæ provenerint inde pecunias apud aliquem, vel aliquos fidos, ac famoſos Mercatores, in dicta Urbe pro tempore exiſtentes deponant: & quoties expedierit, ipſi Reformatores, per ſeipſos pecunias hujuſmodi, ſalariandis inibi Legentibus Doctoribus, aut aliis ipſius ſtudii ſupportandis oneribus exponere: reſiduum quoque pecuniarum hujuſmodi in alios dicti ſtudii uſus, & utilitatem convertere, necnon de præfatorum Conſervatorum, & trium, ut præfertur, Capita regionum, & deputandi hujuſmodi conſenſu, pro dicto reſiduo domum, ſeu ha-

habitationem, aut Collegium pro pauperibus inibi collocandis, Scholaribus, & ſtudentibus, conſtrui, ædificari, poſſeſſionesque, & domos, vel alia immobilia bona, ad ipſius Domus ſeu collegii opus emere, necnon omnia alia, & ſingula quæ in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, vel opportuna fuerint, facere, gerere, exercere valeant: ſuper quibus omnibus plenam liberamque concedimus eis tenore præſentium poteſtatem. Non obſtantibus omnibus quæ in dictis literis non obſtare voluimus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo. Septimo Idus Feb. Pontificatus Noſtri Anno Secundo. 1432.

SIXTUS PAPA IV.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoria.

SOlicitudo Paſtoralis officii Nobis licet immeritis ſuprema diſpoſitione commiſſa ſtudium Noſtræ mentis ſolicitare non deſinit, ſic rebus ſingulis providere, quod ea, quæ, minus rite & in aliorum præjudicium procedere dignoſcuntur, ad ſtatum debitum reducantur, quævis Romanæ Curiæ officia in ſuis Juribus & auctoritatibus conſerventur. Sane, ſicut accepimus, nonnulli Apoſtolica, & Imperiali ſimul, ſeu altera earum auctoritate, facultatem promovendi ad Doctoratus, & Licentiæ gradum in utroque, vel altero Jurium habentes, in Urbe, in qua cum Romana Curia reſidemus, & extra, ac prope eam hujuſmodi facultate eis conceſſa uti, & ad hujuſmodi gradus minus idoneos promovere non verentur, in Apoſtolicæ ſedis, & dilecti filii Raphaelis S. Georgi ad Velum avreum Diaconi Cardinalis Noſtri, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Camerarii

qui Vniverſitatis Studii Curiæ, & Urbis earumdem Cancellarius Generalis exiſtit, & in hoc Apoſtolica, & Imperiaii fungitur poteſtate; auctoritatatis, ac Collegii Advocatorum prædictorum, ſub quorum promotione, examine, approbatione in Vniverſitate prædicta promovendi ad gradus prædictos hactenns promoveri conſueverunt, præjudicium, & gravamen. Nos igitur abuſioni hujuſmodi obviare volentes, ut debemus, Motu proprio, non autem ad eorumdem Cancellarii, & Advocatorum, aut alterius ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera deliberatione, & ex certa Noſtra ſcientia, omnibus, & ſingulis, qui hujuſmodi facultatem in preſentiarum habent, & pro tempore habebunt, Auctoritate Apoſtolica præſentium tenore diſtrictius inhibemus, ne facultate prædicta in præfata Urbe, & quovis alio loco, in quo Romanam Curiam pro tempore reſidentiam facere, aut ex quavis cauſa eſſe contigerit, aut extra Urbem, & locum hujuſmodi in locis illis vicinis infra duas dietas, uti præſumant; itaut ſi ſecus fecerint, tam ipſi, quam illi, qui ab eis promoti fuerint, & illorum examini, & promotioni hujuſmodi intereſſe preſumpſerint, excomunicationis ſententiam incurrant; & promovendi facultate hujuſmodi ſine ſpe reſtitutionis ſint privati eo ipſo; Et tales ſic promoti, & graduati pro non promotis, & graduatis habeantur, & reputentur. Et ſi hujuſmodi facultate ſic abutentes de numero eorumdem Advocatorum fuerint præter hujuſmodi pro prima vice ſuſpenſionis ab officio Aduocationis pænam ad annum ex tunc proxime ſequentem eo ipſo incurrant; & ſi, ſuſpenſione durante, ſe in Advocatorum officiis quomodolibet ingerentur, & ſimiliter, ſi ultra, quam ſemel, contravenire præſumpſerint, officiis aduocationis eo ipſo privati exiſtant, eorum nomina de Advocatorum Matricula deleantur. Statuimus inſuper, & ordinamus, quod ſi aliquando contingat per Sedem Apoſtolicam alicui committi, ut aſſumptis ſecum aliquibus in Jure Doctoribus aliquem examinet, & ſi idoneum reperierit, illum promoveat ad Licentiæ, & Doctoratus gradus hujuſmodi, vel alterum eorum, talis, cui hujuſmdi commiſſio fiat in eadem Curia, ſeu extra, & prope locum ejus, in hujuſmodi examine alios, quam dicti Collegii Advocatos ſecum habere non poſſit, etiamſi in commiſſione ſibi facta huic ſtatuto derogaretur expreſſe: Et ſi ſub aliorum Doctorum examine illum promovere præſumpſerit,

taliſic promotus, pro promoto nullatenus habeatur, ſi non doceat ſe ſub examine, & approbatione, tot ex dictis Advocatis promotione hujuſmodi interveniſſe, quot Doctores cum promovente in ejus examinatione aſſumi mundabuntur: Nec liceat eidem promoventi pro promotione ipſa majora, quam Locumtenens dicti Cancellarii percipere ſolitus eſt, directe, vel indirecte emolumenta percipere ſub pæna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ſi Epiſcopus, vel ſuperior, & excomunicationis, ſi inferior Epiſcopo fuerit, eo ipſo incurrenda. Decernentes, per quaſcunque etiam derogatorias clauſulas nnnquam præſentibus Litteris cenſeri derogatum, niſi illis, earum inſerto tenore de verbo ad verbum contigerit derogari, vel quoties præfatum Collegium eorumdem Advocatorum a Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, noſtro, & illius vivæ vocis Oraculo, aut alias certificati fuerint, noſtræ, & ejuſdem Pontificis intentionis eſſe ea vice præſentibus literis derogare, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Et ne de præmiſſis quiſpiam valeat ignorantiam allegare, volumus, quod præſentes litteræ in Cancellaria Apſtolica publicentur, & in quinterno ejuſdem Canceilariæ deſcribantur, & cuicunque petenti earum tenor, ſicut & aliarum inibi deſcrjptarum Apoſtolicarum Conſtitutionum, detur, eique ſic dato ſtetur ad plenam probationem, ſicut originalibus litteris ſtaretur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire ſi quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnnationis Dominicæ MCDLXXXIII. XIV. kalen. Octobris, Pontificatus Noſtri anno XIII.

LEO

Digitized by Google

LEO PAPA X.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUm ſuaviſſimos atque uberes fructus, quos viri litterarum ſcientia prediti in agro Domini in dies producunt, animo contemplamur, dumque, quam utilis & neceſſarius pro ſpiritualium temporaliumque rerum in hac plena tenebris & caligine vita regimine & directione ſalubribus, ſit ipſarum litterarum uſus, ſedula meditatione perpendimus, inter ſollicitudines varias, quibus pro injunctæ nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio proſpere & feliciter exequendo, undique angimur, illam libenter amplectimur, per quam in ſingulis orbis partibus litterarum Studio vacare cupientibus illarum capeſſendarum occaſio & commoditas miniſtretur: ſed ut hoc in Urbe noſtra votivos ſortiatur effectus, eo propenſior cura nos urget, quo Urbs ipſa Vicarii Chriſti in terris Regia anteque ejus oculos ſemper poſita, tanquam Apoſtolicæ Sedis validiſſimum firmamentum ſupra cæteras orbis Urbes principatum obtinere dignoſcitur: dignumque eſt, ſicuti ejus excellentiſſima eſt conditio, ſic etiam ipſius incolæ & habitatores in omni virtutum genere, & præcipue Liberalium Artium diſciplina, quæ ipſarum eſt nutrix & alumna virtutum, alios antecellat. Dudum ſiquidem fel. rec. Eugenius Papa IIII. Prædeceſſor noſter, tunc Conſervatorum, & Capitum Regionum dictæ Urbis ſupplicationibus inclinatus, de fratrum ſuorum conſilio Apoſtolica auctoritate, ſtatuit, decrevit, & ordinavit, quod in Urbe prædicta perpetuis futuris temporibus Generale Studium vigeret in qualibet facultate, ac Docentes & Studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus conceſſis Doctoribus, & Scholaribus in Studiis generalibus commorantibus, gauderent, & uterentur, ac Doctores & Scholares in ipſo Romano ſtudio commorantes non poſſent inviti in Curia Capitolii occaſione qualibet civiliter vel criminaliter conveniri, niſi forſan

pro

pro homicidio per eorum aliquem vel aliquos perpetrato, in quo caſu Vicarius Romani Pontificis in ſpiritualibns contra Clericos, & Senator ſeu Senatores, qui pro tempore forent in eadem Urbe, contra laicos procederent, & facerent quod Juſtitia ſuaderet: nec idem Doctores & Scholares Urbis ad antiquas contributiones in Taliis aut collectis, quæ imponerentur pro tempore habitatoribus dictæ Urbis, ſeu aliqua obſequia Communi Urbis ipſius præſtanda, prætextu moræ, quam in eadem Urbe traherent: vel aliqua pedagia ratione rerum ſuarum, quas ad dictum Romanum ſtudium deferri, vel exinde reportari facerent, teneantur. Quodque penſiones Domorum, quas in eadem Urbe, Studii cauſa commorando, inhabitarent, taxari deberent per duos Taxatores, quorum unum ipſi Doctores, & Scholares, alterum Commune Urbis eligerent: & ſi duo concordare nequirent, ſtaretur taxationi tertii taxatoris, ab eiſdem Doctoribus & Scholaribus eligendi, ac ultra taxationem hujuſmodi, nihil ab eis poſſet exigi nomine penſionis pro Domibns antedictis. Et licet Roma communis omnium eſſet patria, ſi tamen quiſpiam litem contra Scholares in illa cauſa Studii hujuſmodi peregrinos ſuper aliquo negotio movere vellet, hujuſmodi rei optione data Scholaribus ipſis, eos coram Domino aut Magiſtro ſuo, vel Vicario prædicto convenire t, juxta legitimam ſuper hoc editam Sanctionem, & qui contrafacerent, pœnam dictæ Sanctionis incurrerent: Rectores quoque ſtudii Urbis hujuſmdi pro tempore exiſtentes, in ipſos Doctores & Scholares, ac Familiares ipſorum, tam circa cognitionem & deciſionem cauſarum civilium & criminalium, civiliter & criminaliter in criminibus levioribus motarum, quam ipſorum corrigendos exceſſus leves, ordinariam poteſtatem obtinerent, eiſdem Doctoribus & ſcholaribus, quo litterarum Studio commodius poſſent incumbere. Quodque quandiu in præfato Urbis ſtudio docendo vel audiendo verſarentur, fructus, redditus, & proventus omnium beneficiorum ſuorum cum cura vel ſine, etiam ſi eorum aliqua dignitates vel perſonatus exiſterent, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, cum ea integritate percipere valerent, cum qua illos perciperent, ſi in Eccleſiis in quibus illa conſiſterent, perſonaliter reſiderent, & ad reſidendum interim in eiſdem minime tenerentur, nec ad id a quoquam poſſent compelli. Et ut pro dicti ſtudii manutentione facultates ne-

neceſſariæ non deeſſent, & de ſimili conſilio, & dilectorum filiorum Populi Romani, qui pluries ſuper iis in eorum publicis congregationibus tractatum habuerant, & ſic fieri deſiderabant, expreſſo conſenſu, etiam ſtatuit & ordinavit, quod ex tunc de cætero in perpetuum Gabella vini forenſis in Tabernis pro tempore vendendi, pro qua venditores hujuſmodi vini ſex denarios pro qualibet libra augeretur & pecuniæ inde provenientes, juxta ordinationem, tunc & pro tempore exiſtentium Rectoris & Reformatorum dicti ſtudii in ſalaria Doctorum, per eos ad legendum in eodem ſtudio pro tempore conductorum, et alias expenſas in dicto ſtudio occurentes, & non in alios uſus exponeretur, nec Gabellæ hujuſmodi augmentum duraret, niſi ipſo Urbis Studio durante, decernens ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper permiſſis, a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, prout in ipſius Prædeceſſoris deſuper confectis literis plenius continetur. Cum autem (ſicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris Dominici Jacobatii de Faceſchi Epiſcopi Lucerini Referendarii, & in eadem Urbe, ejuſque diſtrictu in ſpiritualibus Vicarii noſtri, qui etiam dicti ſtudii Romani Rector exiſtit, & dilectorum filiorum Petri de Merilis, & Joannis de Arcionibus, & Joannis Baptiſtæ de Eccleſia, ac Jacobi de Palenis Civium Romanorum, ejuſdem Studii Reformatorum petitio continebat) licet Gabella prædicta pro ipſius ſtudii in florida & fructifera manutentione, & communi Civium & aliorum undecunqne ad Urbem ſtudii hujuſmodi cauſa pro tempore venientium, utilitate, & commodo aucta fuerit, & ob auctam quoque benedicente Domino, ejuſdem populi multitudinem, augmentum ipſum adeo creverit, ut ex illo viris in qualibet litterarum diſciplina quantumuis egregiis honeſta ſalaria conſtitui poſſint, ipſiuſque Studii Romani univerſitas Doctoribus & Scholaribus inter cæteras ſtudiorum generalium in Italia univerſitates, frequens & celebris eſſe deberet, tam a pluribus citra annis adeo in illo ſcholarium copia defecit ut quandoque plures ſint qui legant, quam qui audiant: quod ex eo potiſſimum creditur provenire, quod præmiſſa per Eugenium Prædeceſſorem præfatum Scholaribus immunitas, & alia privilegia prædicta minime obſervantur, & Lectores ipſi Romanæ Curiæ negotiis ſe involventes, legendi munus, ad quod ſunt juſta mercede conducti, paſſim omittunt. Pro parte eorundem Domi-

Digitized by Google

Dominici Epiſcopi Rectoris, & Reformatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum inclinati, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, dictas Eugenii Predeceſſoris litteras approbamus & innovamus, ac præſenti ſcripti patrocinio communimus: Decernentes omnia & ſingula in eiſdem litteris contenta, præſertim quod de ſcholarium exemptione, immunitate, & aliis illis conceſſis prærogativis, & gratiis in eis traditur, debere inviolabiliter obſervari. Et nihilominus hac irrefragabili, & perpetuis futuris temporibus valitura conſtitutione, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ut ex nunc de cætero, præter alios, qui neceſſarii fuerint in qualibet facultate Lectores, unus ſaltem in Jure Canonico, & unus in Jure Civili Doctores, & unus in Piloſophia ſeu Medicina magiſtri, eminentis litteraturæ viri undecunque ad legendum in ſcholis publicis dictæ Urbis ſolitis temporibus & diebus, juſtis & honeſtis ſalariis, arbitrio pro tempore exiſtentium Rectoris & Reformatorum dicti Studii, juxta ipſorum Doctorum, & Magiſtrorum qualitates, de Romani Pontificis licentia, moderandis, & aſſignandis, per eoſdem Rectorem & Reformatores, communi opportuna in hoc per eos adhibenda diligentia, annuatim conducantur: & nullus dictorum duorum Doctorum ſic conducendorum, interim advocationis, aut præterquam Domi, ſi voluerit, conſulendo, quodvis aliud Curiæ, vel Urbis prædictarum officium valeat exercere, ſed tam ipſi, quam cæteri omnes ad legendum in hujuſmodi Scholis, pro tempore conducti, ſolitis temporibus, & diebus, horiſque ad id eis per Rectorem & Reformatores præfatos ſtatutis, legitimo impedimento ceſſante, commiſſum ſibi legendi munus obire, & poſt finitas lectiones per aliquod conveniens ſpatium, circulos in eiſdem Scholis tenere debeant. Et ſi quis ex eis non legitime impeditus a legendo ceſſaverit, quoties id fecerit, toties dupli ejus quod pro qualibet lectione conſtituto ei ſalario, ipſum attingere diſcernetur, quod pro una, Bidellis ſive Nuntiis dicti ſtudii id legitime denuntiantibus, tribus reliquis quartis partibus fabricæ ſcholarum earundem ex nunc applicamus, pœna mulctetur, & ei tradenda Bulletta, ſeu mandato defalcandi, & denunciantii, ac curam dictæ Fabricæ habenti, juxta applicationem prædictam perſolvendi. Et quoniam inutilis hæc proviſio de facili reddi poſſet, niſi ſint qui ejus transgreſſores annotent, & Scholas ipſas ſollicite viſitent, &

 fre-

frequentent, quod Rector cum duobus ſaltem dictorum Reformatorum, ſemel in menſe, & pluries ubi cognoverint expedire, diebus, atque horis variis & incertis, ad ipſas Scholas, ſe perſonaliter conferant, & eas earumque Lectores dum legunt, dum tenent circulos, viſitent; & ſi qua correctione aut reformatione digna viderint, illa corrigant & reforment; & unus ex eiſdem Reformatoribus ſeorſum, bis ſaltem in hebdomada, viſitationis hujuſmodi officium ſubeat per ſe ipſum; tranſgreſſiones, aut alia corrigenda, vel reformanda, cum Rectore conferat & Collegis, ut eorum opera ſic adhibita (ſuper quo eorum & ipſorum cujuſlibet conſcientias oneramus) ſtudium prædictum votivis proficiat incrementis. Bidelli vero ſeu Nuntii præfati, aut eorum alter rotuli collationatam copiam habeant penes ſe, in quo ſcripta ſint nomina omnium Lectorum, & qua quiſque hora ſit lecturus, & juxta illius ordinem & tenorem Scholas circumeant: Feſta Palatii conſueta in Scholis ante Cathedram, Doctoribus & Scholaribus nuntient, & ſi quem ex dictis Lectoribus, ſuo loco abeſſe repererint, adhibito teſte, illum annotent, & in fine cujuſque hebdomadæ, Notario dicti Rectoris, & Reformatorum notitiam fideliter deducant, & in ſcriptis tradant. Et ſi dicti Bidelli in præmiſſis negligentes fuerint, pro tempore exiſtentem ipſius Studii Rectorem pro prima ejuſdem Rectoris arbitrio, pro ſecunda vero vicibus ſalarii & emolumentorum omnium unius ſemeſtris in dictam Fabricam convertendorum amiſſionis pœna mulctentur. Quod ſi tertio in ſimilem inciderint negligentiam, officio Bidellatus hujuſmodi perpetuo privati, & ad illud vlterius obtinendum inhabiles ſint, illudque vacare cenſeatur eo ipſo, & ne (quod paſſim evenit) Lectores præfatos, & legendi, & ſalaria non ſine tædio percipiendi, duplex cura fatiget, quod dilectus filius modernus depoſitarius pecuniarum dictæ Gabellæ, antequam de officio depoſitariatus hujuſmodi ſe ulterius intromittat, & ſui in dicto officio ſucceſſores, antequam ad illud quomodolibet admittantur, cautionem, preſtent, de ſalariis dictis Lectoribus, pro tempore conſtitutis, juxta mandata deſuper confici ſolita, & eis exhibita, abſque moræ diſpendio integre perſolvendis: Quod ſi depoſitarius ipſe ſolutionem hujuſmodi per tres dies poſt præſentationem mandati ſibi factam, diſtulerit, licet dictæ Gabellæ conductoribus, ſalaria ipſa iuxta dicta mandata, quamvis illa

illa ad depoſitarium ſint directa, cum retentione pro ſe emolumentorum inde provenientium, quæ capita ſolidorum vocantur, auctoritate præſentium libere perſolvere ex pecuniis ejuſdem Gabellæ: ad quod faciendum, & ſingulas tertias partes ſalariorum hujuſmodi per decennium antequam ipſius ſolutionis dictis Lectoribus pro tempore faciendæ terminus advenerit, pro tempore exiſtenti depoſitario præfato cum effectu aſſignandas, conductores ipſi in contractu condictionis dictæ Gabellæ ſpecialiter, etiam ſub aliqua pecuniaria pœna, debeant obligare. Inſuper inhibemus ſub excomunicationis latæ ſententiæ, & dupli ejus in quo læſio committetur, ſi extimationem recipiat, parti damnum vel injuriam patienti, ex nunc applicati, pœna, quoties contraventum fuerit, ipſo facto incurrenda, Dilectis filiis modernis, & qui pro tempore fuerint, dictæ Urbis Gubertori, Senatori, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, cæteriſque Curiæ & Urbis prædictarum ordinariis & extraordinariis Judicibus, ne ſuper cauſis contra dictos Scholares ſeu eorum aliquem pro tempore motis, & dohanarum ac aliarum gabellarum quarumcunque etiam ratione portarum, & pontium dictæ Urbis exactoribus, ne in rebus & bonis ad dictos Scholares, pro eorum ſtudio hujuſmodi inſervientium uſui pertinentibus, contra exemptionem, & immunitatem prædictas, in ipſorum Scholarium, ſeu alicujus eorum præjudicium, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, quicquam facere, vel attentare præſumant. Quocirca per Apoſtolica ſcripta mandamus præfato Dominico Epiſcopo moderno, & qui pro tempore fuerit dicti Studii Urbis Rectori, prædictis modernis, ac pro tempore exiſtentibus Reformatoribus, ut præmiſſa omnia & ſingula quantum ad eos attinet obſervent, & quoad alios cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis fuerint, faciat ipſe Rector de dictorum Reformatorum conſilio auctoritate noſtra firmiter obſervari: tranſgreſſores, contumaces, & inobedientes quoſcunque per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris de quibus ſibi videbitur, opportuna remedia, appellatione quavis omnino remota, compeſcendo. Venerabili vero Fratri noſtro, Raphaeli Epiſcopi Oſtienſi moderno & qui pro tempore fuerit Collegii Venerabilium fratrum noſtrorum dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Decano, ac pro tempore exiſtentibus, primo ex Presbyterorum, ac primo ex Diaconorum Cardinalium hujuſmodi ordinibus quate-

Digitized by Google

tenus Rectori & Reformatoribus, Doctoribus, & Scholaribus præfatis, quando & quoties pro parte ipſorum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, in præmiſſis efficacis aſſiſtant præſidio defenſionis, faciantque eos, & eorum quemquam reſpective, auctoritate, facultate, exemptione, immunitate, & cæteris ſupradictis pacifice uti, frui, & gaudere, non permittentes ipſos per quoſcunque deſuper indebite moleſtari, perturbari, aut inquietari. Barricello quoque Conneſtabilibus, Mareſcallis, & cæteris Curiæ & Urbis prædictarum executoribus quibuſcunque præſentibus & futuris, ut præfati Rectoris mandata contra quoſcunque tam perſonaliter quam realiter exequenda, præmiſſorum occaſione, & auctoritate præſentium, de dictorum Reformatorum vel ſaltem duorum ex eis conſilio pro tempore decreta, ſollicite, & fideliter exequantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ Urbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis quæ dictus Eugenius Prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare contrariis quibuſcunque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſupendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Cæterum quia ob Curiæ noſtræ in Urbe continuam reſidentiam frequens in eadem Urbe eſt Eccleſiaſticarum perſonarum concurſus, & modernis temporibus, pro clariori Canonum intelligentia, legum cognitio non ab re eſſe dignoſcitur: quibuſuis Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Præpoſitis, Cantoribus, & aliis Clericis ſæcularibus etiam perſonatus habentibus, ac Presbyteris, quibus leges audire ſub excommunicationis ſententia, & aliis pœnis, eſt a jure prohibitum, in ſtudio Urbis hujuſmodi dumtaxat, pro clariori dictorum Canonum intellectu, Leges, ſine alicujus cenſuræ ſive pœnæ incurſu audiendi (ſanctæ commemorationis Honorii Papæ III. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus) auctoritate & tenore præmiſſis, plenam & liberam licentiam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innovationis, decreti, ſtatuti, ordinationis, inhibitionis, & elargitionis infringere, vel ei

au-

Digitized by Google

auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo tertio decimo, Nonis Novembris. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

LEO PAPA X.

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

QUam omnibus fere Nationibus religioni res litteraria aſſociata commodi ſemper attulerit, & Una Virtutum parens, officiorumque Magiſtra Chriſtiana Fides maximo cunctis poteſt eſſe argumento. Ea ſiquidem a Viris ſanctimonia, litteraturaque conſpicuis, quorum ſaluberrima diſciplina Dei lætificat Civitatem, ab ipſius primi incunabulis olim educta, creſcentibus mox annis acerrime ſemper defenſa, & in hoc demum, quo nunc eſt, Majeſtatis faſtigio erecta, & collocata fuit. Etenim Urbs Roma Terrarum Domina, Gentiumque triumphatrix, & ſi virtute, ac armis Orbis imperium adepta antea fuit, litteris tamen, ac vera Chriſti Religione, quod nulli unquam hucuſque contigit, nec impoſterum continget, Cæli quodammodo Regina eſt effecta. Nobis igitur, qui diſponente rerum omnium Opifice, ejuſdem Urbis Noſtræ, & communis omnium Patriæ ſaluti præſidemus, non alienum merito viſum fuerit, & omni cum diligentia curare, ut & in illa, Romanoque præſertim Gymnaſio res litteraria continuo propagetur, religio, & Divinus cultus ſemper adaugetur, Sane nuper ad ſummum Pontificatum Divina providentia cum aſſumpti fuiſſemus, & reſtituto in priſtinis Juribus dilectis Filiis Populo Romano inter alia Vectigal Gymnaſii Romani multis antea annis ad alios uſus diſtractum eiſdem reſtituiſſemus, ut

Urbs

Urbs Roma ita in re litteraria, ſicuti in cæteris rebus totius Orbis caput eſſet, procuravimus, accerſitis ex diverſis Locis ad profitendum in Gymnaſio prædicto Viris in omni doctrinarum genere præclariſſimis, quo factum eſt, ut præcedenti anno Pontificatus Noſtri primo talis ſtudentium numerus ad Urbem eamdem confluxerit, ut jam Gymnaſium Romanum inter omnia alia totius Italiæ principatum facile obtenturum videatur. Quia vero poſtmodum diligenter conſideravimus, quod ſi intra dictum Gymnaſium, quouſque nos in illo aptiorem amplioremque & ut animo propoſuimus, magna impenſa per nos ædificandum, & ornandum locum ad infraſcripta elegerimus pro nunc in ſchola antiqua, quæ eſt ad ſiniſtram principalis Oſtii dicti Gymnaſii, Sacellum, ſeu Capellam conſtrui, ſeu ordinari mandaretur, & in ea Una Præpoſitura, quæ in Clero Romano dignitas eſſet, pro uno Præpoſito, Accadamiæ Romanæ nuncupando, & duæ perpetuæ Capellaniæ, pro duobus perpetuis Capellanis ejuſdem Accademiæ Romanæ nuncupandis, qui Capellani, quatenus ſacerdotes eſſent, ad id vacare poſſent per ſe ipſos, alias per Sacerdotes idoneos qualibet die, qua in dicto Gymnaſio ordinarie, vel extraordinarie legitur, Miſſam in primo crepuſculo alternatim celebrare tenerentur, per nos erigentur: Et inſuper in eadem Capella Creationes Doctorum in quovis diſciplinarum genere, nec non diſputationes publicæ, etiam admittendorum inter Aduocatos Conſiſtoriales, & Capellanos Noſtros, Cauſaſarumque Palatii Apoſtolici Auditores, Lectio Rotuli dicti Gymnaſii una cum ſolita oratione in die Feſtivitatis S. Lucæ, & alii actus publici, ſeu privati per quaſvis perſonas litteratas in Eccleſia S. Euſtachii de Urbe hucuſque fieri ſoliti, & conſueti denceps fierent, id profecto in prædicti Gymnaſii decorem, cultus divini augmentum, Profeſſorumque, & Auditorum dicti Gymnaſii, animarum ſalutem, commoditatemque, & utilitatem tenderent. Ad Omnipotentis igitur Dei Laudem, motu proprio, & ex noſtra certa ſcientia, non ad alicujus ſuper hoc nobis porrectæ ſupplicationis inſtantiam,ſed de noſtra mera deliberatione Capellam in honorem S.S. Leonis Papæ, & Fortunati Martyris convenienti ædificio conſtrui,& ædificari mandamus,in eaſque ex nunc,prout ex nunc Præpoſituram,quæ in clero Romano dignitas ſit pro uno Præpoſito Accademiæ nuncupando,& duas perpetuas Capellanias pro duobus perpetuis Capellanis ejuſdem Accademiæ

miæ Romanæ nuncupandis, qui Capellani, quatenus Sacerdotes ſint, & ad id commode vacare poſſint per ſe ipſos, alias per Sacerdotes idoneos qualibet die in dicto Gymnaſio ordinarie, vel extraordinarie legitur, in Capella predicta Miſſam in primo crepuſculo alternatim celebrare, & obſervato die, quo Altiſſimo, quandocunque placuerit nos a terrenis ad celeſtia transferre, ſolemne anniverſarium tam pro noſtra, quam aliorum ex Familia noſtra de Medicis, qui Romæ objerint, Animarum ſalute dicta die annuatim facere teneantur, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus, & inſtituimus, ac pro dote centum, pro cujuslibet vero ex Capellanis quinquaginta ducatos auri de Camera ex pecuniis veſtigalis Gymnaſii prædicti, eidem Præpoſito, & Capellanis eodem tempore, & modo, quibus Rectori, & Reformatoribus dicti Gymnaſii eorum Salaria ſolui cenſuerit, ſoluendos perpetuo applicamus, & aſſignamus, donec de alia convenientiori dote providerimus, nec non Juſpatronatus dicti Capellæ, ut ſint, qui Præpoſitum, & Capellanos pro tempore auxilio, ope, & favoribus quandocunque opus fuerit, proſequantur, dilectis Filiis hominibus ex eadem Familia Noſtra de Medicis, qui Romæ fuerint pro tempore; Jus præſentandi perſonas idoneas ad Præpoſituram, & Capellenias prædictas, dum illas pro tempore vacare contigerit, dilectis filiis Reformatoribus Gymnaſii prædicti pro tempore, qui tamen Reformatores, adveniente impoſterum caſu vacationis Præpoſituræ, aut alicujus ex Capellaniis prædictis, ad dictam Præpoſituram, non niſi aliquem e Profeſſoribus Litterarum in dicto Gymnaſio Romano, vel ſi forte inter eos Romanus aliquis non fuerit, Forenſem, idoneum tamen, & ſufficientem, ad Capellanias numero prædictas, ſi non ex dictis Profeſſoribus, & Romanis, ſaltem non niſi veros cives Romanos litterarum ſtudioſos, & doctos moderno, & pro tempore dicti Gymnaſii Rectori per eum ad deputationem hujuſmodi inſtituendos præſtare poſſint, & valeant. Quæ Rectoris pro tempore inſtitutio, ſeu confirmatio, etiamſi in futurum contingat, dictum Rectorem Prælatum non eſſe (ut nunc eſt) ſed ſimplicem Clericum, aut merum Laicum eſſe, eaſdem vires, & eumdem effectum habeat, proinde ac ſi eſſet inſtitutio per nos, ſeu per alios Pontifices ſucceſſores noſtros Romanos pro rempore in dictis Præpoſitis, & Capellanis reſpective facta, perpetuo reſervamus, concedimus;

mus ; ſtatuimus inſuper , & ordinamus , quod de cætero in dicta Capella creationes Doctorum in quouis Diſciplinarum genere , necnon diſputationes publicæ admittendorum in Advocatos Conciſtoriales , & Capellanos Noſtros Cauſarum Palatii Apoſtolicis Auditores , Lectio Rotuli dicti Gymnaſii una cum ſolita Oratione in die Feſtivitatis S. Lucæ, ac alii actus publici , & privati per quaſvis perſonas Litteratas in Eccleſia S. Euſtachi de Urbe hactenus fieri ſoliti , & conſueti , deinceps fiant ; Quodque dicta Præpoſitura ſit in Clero Romano , & Præpoſiti Accademiæ Romanæ nuncupentur , & pro talibus habeantur , & reputentur , & reputentur, ac quibuſcumque honoribus , præminentiis, gratiis , & prærogativis , quibus aliæ Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ utuntur potiuntur , & gaudent , ſeu uti , potiri , & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ipſi etiam uti , potiri , & gaudere libere , & licite poſſint , & valeant , & quod in quibuſcunque Proceſſionibus , & aliis actibus publicis una cum Dilectis Filiis Capitulo Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe,perinde ac ſi dictus Præpoſitus una ex Perſonis conſtitutis in dignitate ex quovis ex Capitulis eſſet habita, etiam ratione dignitatis dictæ Præpoſituræ , & cum Pluviali , Almutiis , & Lineo in ſignum dignitatis ire , & incedere omnino poſſint , & debeant : Et nihilominus dilectis Philippo Berualdo Clerico Bononienſi Notario , & ſecretario noſtro antiquo , & Camillo Portio Canonico Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe in dicto Gymnaſio literarum humanarum Profeſſoribus , & Joanni Gaſoldo Presbytero Brixienſis Diœceſis Cubiculariis Familiaribus, & continuis comenſalibus noſtris ob grata devotionis , & familiaritatis obſequia , quæ nobis , & Apoſtolicæ Sedi hactenus impenderunt , necnon Vitæ , ac morum honeſtatem, aliaque laudabilia probitatis , & virtutum merita , quibus Perſonas ſuas tam familiari experientia , quam etiam fide dignorum teſtimoniis juvari percipimus, horum intuitu ſpecialem gratim facere volentes , ipſoſque , & eorum quemlibet a quibuſvis excomunicationis , ſuſpenſionis , & interdicti ; aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis , cenſuris , & pænis a Jure , vel ab Homine quavis occaſione , vel cauſa latis , ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt , & quilibet ipſorum innodatus exiſtit , ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum , harum ſerie abſolventes , & abſolutos fore cenſentes , videlicet , Philippo Præ-

Digitized by Google

Præpoſituram, Camillo vero unam, Joanni vero prædictis alteram Capellanias prædictas ab eorum primæva erectione hujuſmodi ſic vacantes cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eadem auctoritate conferimus, & de illis providemus. Quocirca Venerabili Fratri Noſtro Epiſcopo Comenſi, & dilectis Filis Mario Maffeo Volaterano Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac etiam Baptiſtæ de Caſalio Eccleſiæ Lateranenſis Canonicis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, vel unus eorum, vel alium, vel alios Philippum, Camillum, & Joannem prædictos, vel eorum Procuratores eorum nominibus in corporalem poſſeſſionem Præpoſituræ, & Capellaniarum, juriumque, & pertinentiarum prædictarum inducant auctoritate noſtra, & defendant inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eiſdem, facientes Philippum ad Præpoſituram, Camillum, & Joannem ad Capellanias hujuſmodi, ut eſt moris, ammitti, eiſque de illarum fructibus, redditibus, & proventibus, Juribus & obventionibus univerſis integre reſponderi, ac eiſdem Pilippo, & Camillo, & Joanni in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes non permittant illos, aut eorum aliquem contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, ac præſentes Litteras, quoties opus fuerit, publicari, illaſque, ac omnia, & ſingula in eis contenta inviolabiliter obſervari faciant. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Capitulorum Eccleſiæ, & Baſilicæ prædictarum Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, ac Litteris Apoſtolicis dilectis filiis Populo Romano Romano per quoſvis Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & motu, & ſcientia ſimilibus, etiam cum quibuſvis Clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus, & inſolitis, ac magis urgentiſſimis conceſſis, & per nos eiſdem motu, & ſcientia conſimilibus etiam clauſulis confirmatis, & innovatis, quibus inter alia caveri dicitur, ne quis, niſi civis Romanus natus de vero Cive Romano Urbis beneficia obtinere poſſit, quibus omnibus, etiamſi in eis caveretur, quod illis nonniſi ſub certis inibi expreſſis modis, & formis nullatenus derogari poſſit,

 illis

Digitized by Google

illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad Philippum, & Joannem prædictos pro hac vice dumtaxat, attenta erectione, & primeva collatione hujuſmodi, motu, & ſcientia ſimilibus, communiter, vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum quoad recetionem, vel proviſſionem alicujus minime teneantur & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, excomunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, qualibet alia dicti Sedis Indulgentia generali, nel ſpeciali, cujuſcuque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeant quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis, Nos ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, applicationis, aſſignationis, reſervationis, conceſſionis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis, abſolutionis, collationis, proviſſionis, mandati, derogationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ &c. Anno MDXIV.

SI-

SIXTUS PAPA V.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcri Apoſtolatus miniſterio meritis, licet inſufficientibus, ſuperna diſpoſitione præſidentes, inter cæteras curas, quæ animum noſtrum delectant, illam libenter ſuſcipimus, per quam noſtræ proviſionis auſpiciis, officia ſingula, præſertim in hac Urbe noſtra conſiſtentia, illorumque regimina Viris committantur idoneis, quorum opere, & auxilio Adoleſcentes, ſtudii bonarum artium cauſa, ex diverſis Mundi partibus ad ipſam Urbem confluentes, eorum animos virtutibus, bonis moribus felicius excolere valeant, ac deſuper officii noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane licet alias Officium Rectoratus Gymnaſii Almæ Urbis uni ex Prælatis Romanæ Curiæ ad ejus vitam concedi, & aſſignari ſolitum fuerint & felic. record. Gregorius Papa XIII, prædeceſſor noſter dilectis filiis Annibali, & Cæſari de Graſſis, aut nonnullis aliis, etiam per viam Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione, ac clauſulis efficaciſſimis, nec non irritantibus & aliis decretis, aut alias ſub certis modo, & forma tunc expreſſis illud conceſſerit, & aſſignaverit, Noſque dilecto filio Magiſtro Simoni Cecchino Audientiæ Literarum contradictarum Auditori, & in utraque Signatura noſtra Referendario, familiari, & continuo commenſali noſtro idem officium cum ſimilibus clauſulis, etiam ad ejus vitam auctoritate Apoſtolica conceſſerimus, prout in dicti Prædeceſſoris, ac noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur; Nihilominus attendentes, quod ſi dictum Officium Collegio dilectorum filiorum Sacræ Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatorum perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, idem Officium felicius gubernaretur, ac utilitati publicæ, & ipſius Gymnaſii plenius conſuleretur, cum in dicto Collegio ſemper adſint Viri Litterarum ſcientia, rerum experientia, ac uſu, & prudentia præſtantes. Idcirco quaslibet conceſſiones, aſſignationes, ac alias diſpoſitiones de dicto

cto officio per nos, ac prædictum, ac quoſvis alios Prædeceſſores noſtros dictis, & aliis quibuſvis perſonis hactenus factas præmiſſis, & aliis certis rationabilibus cauſis adducti, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe revocantes, caſſantes, irritantes, & annullantes, illaſque prorſus, & omnino revocatas, caſſas, irritas, & annullatas eſſe, & cenſeri debere declarantes, eaſdemque Perſonas a predicto officio penitus amoventes, ac utilitati publicæ proſpicere, & Collegii hujuſmodi, quod pro ſublevandis in aliqua parte noſtris, & Sedis Apoſtolicæ neceſſitatibus ſummam ſex millium ſcutorum auri dilecto filio Depoſitario Datariæ noſtræ, & in cjus manibus ſolvere promiſerunt, promptam erga nos, & eamdem Sedem reverentiam, ac obſequia ad ſublevanda onera noſtra hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, ipſumque Collegium, ac illius ſingulares Perſonas a quibuſvis excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomdolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac dictarum Litterarum tenores præſentibus pro ſufficientes expreſſis habentes. Motu proprio, non ad Collegii prædictorum, vel aliorum pro ipſius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, officium Rectoratus Gymnaſii Urbis hujuſmodi, per ipſos Collegium regendum, gubernandum, juxta providam diſpoſitionem, & ordinationem, per eos, vel majorem eorum partem faciendam, & toties quoties eis, vel eorum majori parti expedire videbitur, mutandam cum omnibus, & ſingulis illis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, & quibuſcunque tam ordinariis quam extraordinariis, & quæ alii, qui pro tempore fuerunt Rectores dicti Gymnaſii quovis modo habuerunt, ſeu habere potuerunt, ac quibuſvis cauſis, & rationibus, nec non cum quibuſvis honoribus, oneribus, præminentiis, antelationibus, prærogativis, juriſdictionibus, auctoritatibus, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus privilegiis, & indultis ſolitis, ac conſuetis, & quibuſvis aliis conceſſionibus, & gratiis, quibus tam ultimus, quam aliis Rectores dicti

dicti Gymnaſii quavis ratione, vel cauſa uſi, gaviſi, & potiti fuerunt, ac uti, gaudere, & potiri potuerunt, Collegio Advocatorum hujuſmodi, ita quod liceat ipſi Collegio per ſe, vel alium, ſeu alios eorum, & Collegii hujuſmodi nominibus corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem dicti Officii apprehendere, ac perpetuo retinere, illiuſque fructus redditus, proventus, Jura, obventiones, & emolumenta percipere, exigere, & levare, & in ſuos, ac Collegii, & Officii hujuſmodi uſus, & utilitatem convertere. Ipſumque Officium per ſe, & quemlibet eorum exercere, regere, & gubernare, ac omnia, & ſingula, quæ ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum exercitium ſpectant, & pertinent, gerere, & facere, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium perpetuo unimus, annectimus, incorpomus &c. Ac, ut Collegium, & Advocati hujuſmodi, qui majoribus occupationibus detinentur, majoris etiam dignitatis titulo decorentur, omnibus, & ſingulis prædictæ Aulæ Conſiſtorialis Aduocatis, ut ipſi univerſos, & quoſcumque Advocatos, Procuratores, Doctores, etiam antiquiores, & quoſcumque alios, tam in Romana Curia, quam extra eam præcedant. Omniaque, & quæcumquæ privilegia eiſdem Collegio, & Advocatis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & præcipue per Piæ Memoriæ Julium Papam III. etiam prædeceſſorem noſtrum ſuper facultate Doctores creandi, etiam privative quo ad alios, quæ Privilegia, & Litteras Apoſtolicas deſuper confectas eorum tenores præſentibus etiam pro expreſſis habentes, auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & innovamus, & quatenus opus ſit, de novo concedimus motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine prædictis. Ac univerſis, & ſingulis cujuſcumque conditionis, ſtatus, gradus, dignitatis, & honoris, ne ſub indignationis Noſtræ aliiſque arbitrio noſtro pœnis imponendis eoſdem Collegium Advocatorum in præmiſſis, vel circa ea, aut in eorum aliquo quomodolibet impedire, moleſtare, perturbare, ſeu inquietare contra præſentium continentiam, & tenorem ullatenus audeant, vel præſumant, diſtrictius inhibemus, nec non omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, ut hæc omnia plene obſervent, & obſervari faciant præcipimus. Decernentes, Unionem, annexio-

xionem, incorporationem, applicationes, indultum, inhibitionem, ac præceptum prædicta, preſenteſque Litteras nullo unquam tempore, etiam ad prædictorum, & aliorum quorumvis inſtantiam, etiam ex quacunque, & inexcogitata cauſa, etiam ſub prætextu, quod in forma Juris facta non fuerint, revocàri, alterari, limitari, modificari, aut ad terminos Juris communis reduci, vel quempiam adverſus illa in integrum reſtitui, ſeu de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu notari, vel impugnari poſſe, dictoſque Collegium ad cauſam, ſeu cauſas, propter quas illa emanarint coram quocumque verificandis non teneri, nec propterea, aut ex eo, quod intereſſe prætendentes vocati non fuerint, per ſubreptionem, vel obreptionem obtentam præſumi, aut alias viribus carere, ac illorum quaſvis revocationes, ſuſpenſiones, derogationes, vel limitationes pro tempore factas, & emanatas pro nova illorum conceſſione haberi, & quoties illæ emanabunt, toties renovata, & de novo conceſſa, etiam ſub datum per eoſdem Collegium eligenda cenſeri, ac Collegium hujuſmodi eorumdem locorum emptores, & quoſcumque alios in præmiſſis intereſſe quomodolibet prætendentes, ad probandum', ſeu verificandum præmiſſa, & in quos uſus prædicta ſumma converſa fuerit, nullo unquam tempore teneri, nec locorum hujſmodi proventus in ſortem principalem computari. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſàrios, etiam Cauſarum Palatii Apoſtoli Auditores hujuſmodi, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, ac alios quoſcumque, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quavis inſtantia judicari, & difiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilecto Filio Magiſtro Evangeliſtæ Palloto Datario Prælato Domeſtico noſtro motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios faciat Auctoritate noſtra Collegium, ac illius Aduocatos prædictos unione, annexione, incorporane, permiſſione, conceſſione, impertitione, conſimatione, innovatioue, inhibitione, & decreto, aliiſque premiſſis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos, & eorum quemlibet deſuper contra præſentium tenorem quomodolibet per quo-

quoſcumque indebite moleſtari. Contradictores per Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedio appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus præmiſſis,ac noſtra de non tollendo Jure quæſito, & aliis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac quatenus opus ſit, Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus a Jure permiſſis fieri prohibentibus,& aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Urbis, & Advocatorum, ac Gymnaſii, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis eiſdem Urbi, Collegiiſque, & Tribunalibus, ac Gymnaſii illius, ipſorumque ſuperioribus, & Perſonis, ac dilectis Filiis Populo Romano ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis per quoſcumque Prædeceſſores noſtros, etiam iteratis vicibus, aut alia quomodolibet in contrarium conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliaqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXVII. Decimo kalendas Septembris. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

ALE-

ALEXANDER PAPA VII.

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſuprema paſtoralis Officii ſpecula a Domino conſtituti, ad ea, quæ Chriſtianæ Reipublicæ, præſertim Sedis Apoſtolicæ ſubditorum utilitatem reſpiciunt, & morum inſtructionem, diſciplinarumque, & ſcientiarum propagationem proficere poſſunt, vigilantiæ noſtræ aciem, prout Officii noſtri ratio poſtulat, ſedulo dirigimus. Dudum ſiquidem inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolicæ ſervitutis curas peculiari ſollicitudine ad Urbis Sapientiam, ædificium, & Sacellum olim magnifice a Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris inchoata, imperfecte remanere proſpicientes, magno ſumptu perfecimus, & abſolvimus, & tamen non minus publicæ utilitati, ſtudiorum commoditati, quum Urbis, & ipſius Sapientiæ ſplendori ſtudentes in eam inſignem Bibliothecam a nomine noſtro Alexandrinam nuncupatam ſumptuoſe, & ſplendide a fundamentis conſtruximus, eamque armariis, & magna librorum undique conquiſitorum copia inſtruximus, & publico uſui nedum ſubditorum noſtrorum, ſed omnium quarumcumque nationum ad hanc noſtram Almam Urbem confluentium ſub cura, regimine, & adminiſtratione Collegii Advocatorum noſtri Conſiſtorii inſerviat, & inde quibuſcumque literarum ſtudio vacare cupientibus, earumdem capaſſendarum occaſio, & commoditas miniſtretur. Verum cum deceat, ut ea, quæ pie, & laudabiliter inſtituta ſunt, bono ordine adminiſtrentur, & conſerventur. Nos attendentes, quod alias fel. rec. Leo Papa X. Prædeceſſor noſter per ſuas Litteras in Eccleſia, ſeu ſacello ejuſdem Sapientiæ ſub invocatione S.S. Leonis Papæ, & Fortunati Martiris, erexit unam Præpoſituram, quam voluit eſſe dignitatem in Clero Romano, cum prælatione, & duas Capellanias cum onere earum Capellanis alternatim injuncto celebrandi Miſſam qualibet die, qua lectiones publicæ in ejuſdem Sapientiæ Gymnaſio habentur, quarum præſentationem conceſſit Reformatoribus ſtu-

Digitized by Google

ſtudii Urbis, inſtitutionem autem ejuſdem Rectori, aſſignatis Præpoſito annuis ducatis centum de camera, & cuilibet Capellano quinquaginta ſimilibus, ad quam Præpoſituram voluit non niſi aliquem ex Profeſſoribus dictæ Sapientiæ, ad Capellanias vero hujuſmodi non niſi ex dictis Profeſſoribus, & Romanis, & alias tamen qualitates habentibus, præfatique Reformatores fuerint a fel. rec. Innocentio ſcilicet Papa X. pariter Prœdeceſſore noſtro ſuppreſſi; Et nihilominus proviſiones dictarum Præpoſituræ, & Cappellaniarum a noſtris Prædeceſſoribus, & a nobis fieri conſueverint; poſtmodum autem annua dos dictarum Præpoſituræ, & Cappellaniarum diminuta fuerit, adeo ut, modo juxta Tabellam Populi Romani a fel. rec. Paulo Papa V., & deinde ab aliis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ſubſcriptam, ſit, videlicet Præpoſitura ſcutorum quinquaginta duorum, & bajoccorum quinquaginta monetæ pro quolibet, quæ ſolvuntur a Depoſitario Gabellæ nuncupatæ ſtudii Urbis, & in eiſdem Litteris impoſitum fuerit onus celebrandi Anniverſarium pro ejus anima, & aliorum de Familia Medicea, qui objerint in Urbe, quod hactenus pro dicti Leonis anima impletum fuit, & annuatim impletur a Collegio Aduocatorum noſtri Conſiſtorii ex redditibus dictæ Gabellæ Vini, ſeu ſtudii, ex qua ad hujuſmodi effectum ſoluuntur anuua ſcuta triginta unum Bidello Punctatori, prævio mandato Decani Advocatorum Conſiſtorialium & Rectoris ejuſdem ſtudii, aliaque ſcuta decem uni ex Profeſſoribus, qui orationem Funebrem in laudem ipſius Pontificis recitare ſolet. Cumque hodie mutato rerum ſtatu dicta Sapientia Urbis, ejuſque Gymnaſium, & Sacellum (ut diximus) ad meliorem utilitatem, ſplendidiorem uſum per nos redacta fuerint, proindeque neceſſarium ſit eidem Bibliothecæ de opportunis Cuſtodibus, & Sacello prædicto de Capellanis, qui ſingulis diebus, in quibus publicæ lectiones habentur, celebrent, providere, dotemque congruam eiſdem conſtituere, & aſſignare; motu proprio, non autem ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dictam Conſtitutionem Leonis X., & quamcumque aliam, de qua etiam ſpecialis, & individua fieri debeat mentio, earum tenores pro expreſſis habentes, ac ſi de verbo ad verbum hic inſertæ forent, Præpoſituram, & Cappellanias prædictas in

eadem Conſtitutione Leonis X. aut quocumque alio modo erectas, & inſtitutas cum dote, & dotibus ſuperius expreſſis, ſeu in alia veriori quantitate, aliis quomodolibet conſtitutis, & aſſignatis nunc in vim Apoſtolicæ ſeu alterius proviſſionis poſſeſſas, videlicet Præpoſituram a Dilecto Filio Bartholomæo Oregio Baſilicæ S. Petri de Urbe Canonico, atque Capellanias unam a Ven. Fratre noſtro Marco Antonio de Mareſcotti Epiſcopo Cluſino, & alteram a dilecto etiam filio Sebaſtiano Bal ino earum titulos collativos penitus, & omnino ſupprimimus, abolemus, ac etiam penitus extinguimus, & fructus pro eiſdem Præpoſitura, & Cappellanis in eiſdem, vel aliis verioribus ſummis, vel quantitatibus aſſignatos ſeparamus, diſgregamus, & diſmembramus, & a dicta Tabella amoveri, tolli, & levari mandamus, eoſque ut ſupra ſeparatos, & diſmembratos Gymnaſio, & Sacello Sapientiæ prædictæ aſſignamus, & pro illis prædictam Sapientiam, & Collegium Advocatorum noſtri Conſiſtorii, ad effectum tamen illos ſolvendi de mandato ejus Rectoris, & Almæ Urbis noſtræ Conſervatorum pro tempore juxta formam hactenus obſervatam in eadem Tabella deſcribi, & apponi jubemus, & mandamus; Ex quibus fructibus, & quantitatibus prædictis volumus ſolui menſtrua Scuta decem uni Sacerdoti, qui cuſtodiæ ejuſdem noſtræ Bibliothecæ aſſiſtat, & Primus cuſtos nuncupetur, & alia menſtrua Scuta ſeptem uni ſubcuſtodi, qui pariter ſit Sacerdos una cum manſionibus in Ædibus dictæ Sapientiæ a prædicto Collegio Advocatorum deſignandis, in quibus ſupradictus cuſtos, & ſubcuſtos aſſidue reſidere, & habitare, itant nequeant eas ulli alteri locare, neque ullo modo, etiam gratis cuipiam concedere, & alternatim diebus, in quibus publicæ lectiones in Sapientia habentur, facrum Miſſæ ſacrificium celebrare, & ſacriſtiæ, ejuſque bonorum, & ſacrarum ſupellectlium curam, & cuſtodiam diligenter habere teneantur, eorumque deputatio, & amotio ſit ad nutum, & libitum dicti Collegii Advocatorum noſtri conſiſtorii in futurum; pro enim hac prima vice in cuſtodem Carolum Magrium Presbyterum Melevitanum, ac in ſecundum Fauſtum Nairorum Presbiterum Maronitam; prout in Bibliothecarium Marcum Antonium Burattum dicti Collegii Advocatorum, & Collegii, ac Sapientiæ hujuſmodi Rectorem deputatum dilectos filios nos eligimus, & nominamus, ita ut primo ex dictis cuſtodibus fiat conſignatio li-

Digitized by Google

librorum cum inventario, in quo ſinguli libri, & eorum forma, et tempus, et locus impreſſionis, et nomen impreſſoris deſcribantur cum ipſius Cuſtodis obligatione, in forma Cameræ Apoſtolicæ de illis bene, et fideliter conſervandis, deque reddendo bonum, et fidele computum ad omnem requiſitionem, et inſtantiam ejuſdem Collegii, et propterea volumus, quod in electione ſubcuſtodis accedat etiam conſenſus dicti primi cuſtodis. Indulgemus pariter, atque volumus, quod idem primus cuſtos poſſit ejus periculo alium miniſtrum deputare, & conſtituere, qui eamdem Bibliotehecam, et libros, eorumque armarios, portas, et feneſtras, et loca annexa, ac ſalam verrere, tergere, et mundare ter in qualibet hebdomada teneatur, cum mercede ſcutorum duodecim quolibet anno ex dictis redditibus perſolvendorum. Ut autem Bibliotheca iſta jugiter inſerviat uſui publico, volumus, mandamus, et præcipimus, quod retineatur aperta de mane per horas quatuor continuas ſingulis diebus non feſtivis de præcepto, excepta feria quinta, in qua vacare poſſit. Diebus autem, in quibus publicæ lectiones in eodem Gymnaſio habentur, retineatur aperta tam de mane, quam de veſpere, & juxta ordinationem deſuper faciendam a Collegio prædictorum Advocatorum noſtri Conſiſtorii; pro dote vero ipſius Bibliothecæ, ut libri deficientes, & alii, qui de novo imprimuntur, emi poſſint, & ipſa Bibliotheca libris augeri, aliiſque ejus uſibus & occurrentibus neceſſitatibus provideri valeat, aſſignamus totum id, quod ex penſionibus, & redditibus Apothecarum, & Manſionum ejuſdem Sapientiæ, ſolutis tamen debitis uſque in præſentem diem contractis, & neceſſariò in futurum contrahendis, nec non expenſis neceſſariis, & opportunis pro manutentione ipſius Sapientiæ, ejuſque Domorum, & Apothecarum, & Bibliothecæ, Eccleſiæ, & Sacriſtiæ arbitrio ejuſdem Collegii Advocatorum Noſtri Conſiſtorii determinandis, ſupererit, & ſuperfluum erit. Curam vero regimen, gubernium, adminiſtrationem, & ſollicitudinem pro implemento, executione, manutentione, omnium ſupradictarum noſtrarum ordinationum, & ipſius Bibliothecæ, excepta hac prima vice, deinceps perpetuis futuris temporibus imponimus, injungimus, & committimus eidem Collegio Advocatorum noſtri Conſiſtorii, quod teneantur eligere unum ex eiſdem Advocatis in Præfectum ejuſdem Bibliothecæ, Bibliothe-

Digitized by Google

carium nuncupandum duraturum ad Triennium, vel aliis arbitrio Collegii, qui præſit, & continuo ac ſedula cura invigilet, ut quilibet ex ſupradictis Miniſtris munere ſuo legitime, & fideliter fungatur, tam circa Bibliothecam, quam circa Ecleſiam, ejuſque Sacriſtiam, ac ſacram ſuppellectilem, curetque omnia à prædictis Cuſtode, Subcuſtode, & Miniſtro, qui ipſi obedire teneantur, perfecte, & diligenter impleri. Valeatque idem Præfectus, quotieſcumque opus fuerit, libros Bibliothecæ antiquioris, & deterioris impreſſionis, vel qualitatis, prævio tamen Decreto Collegii legitime congregati, in ſcriptis redigendo, cum aliis libris permutare, pretiumque neceſſarium ex redditibus ſupradictis pro dote ejuſdem Bibliothecæ aſſignatis ſupplere. Anniverſarium autem pro Anima fel. rec. Leonis X. quotannis celebrari ſolitum, volumus, ut modo, & forma ſolitis continuetur. Ne autem ſupradicti Bartholomeus, & Marcus Antonius Epiſcopus, & Sebaſtianus, qui Præpoſituram, & Cappellanias prædictas reſpective ut ſupra obtinent, ab hujuſmodi ſuppreſſione, & fructuum applicatione per Nos factis damnum, & diſpendium patiantur, volumus, & præcipimus, quod Collegium Advocatorum Noſtri Conſiſtorii ex ſupradictis penſionibus Domorum, & Manſionum teneantur ſolvere eamdem ſummam, quam prius percipiebant, & ſumptis ex ſupradictis fructibus, & pecuniis per Nos applicatis de ſemeſtre, in ſemeſtre cuilibet, excepta ſumma pecuniæ, quæ datur pro Elemoſina Miſſarum in diebus, quibus legitur, donec naturaliter quilibet eorum vixerit, vel à Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris intuitu præmiſſorum de aliis redditibus proviſi fuerint, ſeu aliquis eorum proviſus fuerit, & poſt ipſorum, & cujuslibet eorum obitum, vel aliam proviſionem per Nos, & Succeſſores Noſtros faciendam, vel alias quomodolibet ceſſaverit, Collegium Advocatorum prædictorum amplius non teneatur ad ſupradictam præſtationem, & ſolutionem, & fructus, & redditus Sapientiæ perpetuò remaneant liberi, & exempti à ſupradictis oneribus, nec non ſuppreſſionem, abolitionem, & extinctionem, ſeparationem, diſgregationem, diſmembrationem, mandatum, aſſignationem, voluntatem, præceptum, minutionem, & conceſſionem, prædicta ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & in-

integros effectus in omnibus, & per omnia, & quoad omnia obtinere, ac eidem Collegio Advocatorum, etiam in omnibus, & quoad omnia ſuffragari debuiſſe, & debere, ipſoſque ſuper ſuppreſſione, abolitione, extinctione, ſeparatione, diſgregatione, diſmembratione, mandato, aſſignatione, electione, nominatione, voluntate, præcepto, injunctione, & commiſſione prædictis à quoquam quovis prætextu, cauſa, vel occaſione moleſtari, ſeu perturbari non potuiſſe, neque poſſe, ac omnes, & ſingulas moleſtationes, perturbationes, controverſias, & quæſtiones eidem Collegio Advocatorum quomodolibet, coràm quocumque Judice, & in quocumque Tribunali illatas, vel inflictas, injuſtas, calumnioſas, & de facto præſumptas fuiſſe, & eſſe, ſicque, & non alias per quoſcumque Judices, etiam Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, & Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſvis alios Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, & honore fulgentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiàm de Latere Legatos, Vicelegatos, & quoſvis alios, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi facultate, judicari, & definiri debere, motu ſimili decernimus: Præſentes quoque nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo, quod res, propter quas præmiſſa emanarunt, coràm Nobis vel alibi verificatæ, ſeu approbatæ; Et Bartholomeus, Marcus Antonius Epiſcopus, & Sebaſtianus prædicti, & alii quomodolibet intereſſe habentes ad id vocati, ſeu citati, & auditi non fuerint, nec præmiſſis conſenſerint, vel aliàs quovis defectu, & ex quavis cauſa, quantumvis juridica, & legitima notari, impugnari, invalidari, retractari in Jus, aut controverſiam vocari, ad terminos Juris reduci, aut adverſus illa quodcumque Juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, nec impetrato uti, necnon ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, etiam ſuppreſſionum, abolitionum, & extinctionum effectum non ſortiturum, revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per quaſcumque conceſſiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ Apoſtolicæ regulas quandocumque etiam in craſtinum aſſumptionis Succeſſorum noſtrorum ad Summi Apoſtolatus Apicem, aut aliàs quomodocumque editas, & ſub quibuſcumque tenoribus, & for-

& formis emanatas, & emanandas nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac denuo etiam ſub quacumque poſteriori data per Collegium Advocatorum prædictorum, & quoſcumque alios intereſſe habentes eligenda de novo conceſſas, ſemperque validas, & efficaces fore, & eſſe, motu pari etiam decernimus. Quocircà Dilectis Filiis Noſtris in Urbe, ejuſque Diſtrictu Vicario in Spiritualibus Generali, ac Eccleſiæ Sancti Joannis, & Baſilicæ Sancti Petri per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum præſentes, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Collegii Advocatorum præfatorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eidemque Collegio in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate Noſtra præſentes, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter obſervari, ac Collegium hujuſmodi eiſdem Literis pacifice frui, & gaudere non permittentes, Collegium hujuſmodi, & Adminiſtratores pro tempore exiſtentes deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & Rebelles per Sententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, ſervata tamen Concilii Tridentini forma, aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Secularis, non obſtan. fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutione, qua cavetur expreſſe, ne quis extrà Civitates, vel Diœceſes ſuas, niſi in certis tunc expreſſis caſibus, & in illis unam Dietam à fine ſuæ Diœceſis, & Civitatis ad Judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede Apoſtolica Deputati extra Civitates, vel Diœceſes, in quibus deputati fuerint contrà quoſcumque procedere, aut alii, vel aliis ſuas vices committere audeant, vel præſumant, & in Concilio Generali edita de duabus Dietis, dummodò ultrà tres Dietas aliquis vigore præſentium ad Judicium non trahatur; Non obſtantibus Literis Apoſtolicis prædictis, & in eis contentis quibuſcumque, aliiſque præmiſſis, ac Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Jure quæſito non tollen-

lendo, aliiſque Apoſtolicis, nec non in Synodalibus, Provincialibus, & Generalibus Conciliis editis Conſtitutionibus,& Ordinationibus, ac etiàm quatenus opus ſit ſupradicti Collegii, & Urbis Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis illis, ac Senatori, Conſervatoribus, Collegio Advocatorum hujuſmodi, & Sapientiæ prædictæ, ejuſque Rectoribus, & Gubernatoribus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam Derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, & Nos, dictamque Sedem, & illius Legatos cum ſcientia, & poteſtatis plenitudine, & aliis quomodolibet, etiam iteratis, & multiplicatis vicibus conceſſis, & concedendis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, illorum omnium,& ſingulorum tenores, formas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis, & exacte ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe motu etiam ſimili derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuppreſſionis, abolitionis, extinctionis, ſeparationis, diſgregationis, diſmembrationis, mandati, aſſignationis, erectionis, nominationis, voluntatis, præcepti, injunctionis, commiſſionis, decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1667. undecimo kalendas Maii Pontificatus Noſtri Anno XIII.

BE-

BENEDICTUS PP. XIV.

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

INter conſpicuos Ordines, quibus Romana Curia toto terrarum Orbe celeberrima conſtat atque conflatur, & quorum aliqui pro gerendo univerſæ Eccleſiæ Catholicæ regimine per inſcrutabilem Divini conſilii altitudinem humilitati Noſtræ concredito, alii pro temporali Noſtro, ſeu verius Beatorum Apoſtolorum patrimonio adminiſtrando, conſilium atque operam ſuam Nobis aſſidue præſtant; alii vero Eccleſiarum, ſive Univerſitatum, aut privatorum controverſiis, quæ ad Noſtram hanc Urbem, & Curiam undique deferuntur, cognoſcendis, atque dijudicandis; alii denique in concertantium juribus, & cauſis ſuſtinendis, defenſandis, agendis, ſcientiam ſuam atque labores impendunt; provida Prædeceſſorum Noſtrorum cura a remotiſſimis uſque temporibus extare voluit illuſtre Advocatorum Conſiſtorialium Collegium, ex præclaris compoſitum virtute ac doctrina Viris, quibus, propter ſcientiæ præſtantiam, ac rerum uſum atque prudentiam, ex omni Advocatorum cœtu delectis, ſingulare jus ac privilegium attribuendum perorandi coram Romano Pontifice, in Supremo Juſtitiæ Solio, adſtantibus Venerabilibus Fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, ſolemniter conſidente; in Sacro nimirum Conſiſtorio, in quo plereque olim gravioris momenti cauſæ, ad Apoſtolicæ Sedis judicium ex omni parte delatæ, diſcutiebantur; & plures adhuc vel examinantur, vel, ſi illæ extra Conſiſtorium agitatæ ac diſcuſſæ jam fuerint, in ipſo tamen Conſiſtorio definiuntur ac terminantur. Quod quidem Advocatorum prædictorum Collegium, ſingulareſque perſonæ vertentibus annis eidem adſcriptæ, induſtriam, atque operam ſuam præfatis Prædeceſſoribus Noſtris ita probarunt, ut & graviſſimorum munerum, quæ ad retinendam ſanctiorum jud iciorum religionem, ad Apoſtolicæ Sedis jura tuenda & conſervanda, ad calamitoſorum ſalutem & defenſionem, ac promovendam Juris, & bonarum artium ſcientiam pertinerent, proprium ſibi, atque, ut vocant, pri-

va-

Digitized by Google

vativum exercitium adjudicari; nec non ampliſſimis gratiis, privilegiis, atque favoribus, plurium Summorum Pontificum beneficentia cumulari, & cohoneſtari meruerint.

Quum autem hujuſmodi Privilegia, eximiis ipſorum meritis elargita, alia quidem aliis temporibus indulta reperiantur; nonnulla vero, licet longiſſimi temporis uſura, optimo jure eiſdem acquiſita eſſe dignoſcantur, attamen propter remotiſſimam fortaſſe conceſſionum vetuſtatem, incertis videantur principiis, & originibus innixa; aliorum denique uſum, & quaſi poſſeſſionem contrariis nonnunquam actibus interturbari, & labefactari contigerit; optandum profecto videbatur, ut unica aliquando eorundem collectione peracta, eademque inviolabili Apoſtolicæ auctoritatis robore munita, & ipſius Collegii ſplendori ac dignitati., & jurium ex Pontificia liberalitate eidem competentium firmitati, ac ſecuritati conſuleretur. Nos itaque, qui conceſſum Nobis olim a felic. recordat. Prædeceſſore Noſtro Clemente Papa XI. in eodem Collegio locum multos annos tenuimus, eundemque primum Nobis in Romana Curia honoris gradum fuiſſe, & validum ad ſtudia laboreſque Noſtros in Apoſtolicæ Sedis obſequia collocandos incitamentum, aptiſſimamque ad ſuperiora munera, & præmia adipiſcenda occaſionem extitiſſe, non ſine jucunditate & grati animi ſenſu nobiſcum recolimus, & palam profitemur: cum jam eidem Collegio peculiaria quædam Indulta & Privilegia per alias Noſtras Literas in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris expeditas benigne conceſſerimus; ut illuſtre ac perenne extaret Noſtræ erga prædictum Collegium exiſtimationis & benevolentiæ argumentum, eadem Indulta, & Privilegia tam a Nobis, ut præfertur, tributa, quàm alia, quorum conceſſiones diverſis Prædeceſſorum Noſtrorum Literis conſignatæ reperiuntur, vel quæ ex inveterata conſuetudine ipſi Collegio competere dignoſcuntur, in unum veluti corpus redigere, eaque omnia Apoſtolica Noſtra Auctoritate firmata & roborata, atque etiam, ſicuti opus fuit, declarata & ampliata, præſentibus Noſtris Literis perpetuo valituris comprehendere conſtituimus. Igitur dilectos Filios modernos Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatos, eorumque Collegium prædictum amplioris gratiæ favore proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & pœnis

a Jure, vel ab Homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum, eorum ſingulares perſonas harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, non ad Collegii, & Advocatorum prædictorum, vel aliorum pro ipſis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia infraſcripta privilegia, indulta, jura, facultates, honores, munera, præeminentias, & prærogativas ipſi Collegio earundem tenore præſentium in perpetuum aſſerimus, approbamus, confirmamus, & innovamus, eaque novo Apoſtolicæ Noſtræ Auctoritatis robore communimus, ſimulque, ut infra, decernimus, ſtatuimus, declaramus, atque ſancimus.

Atque in primis duodenarium ipſorum Advocatorum numerum a Prædeceſſore Noſtro Sixto Papa IV. in ſuis hac de re poſteriore loco expeditis Literis præfinitum, iis modo & forma, quibus ad hæc uſque tempora ſervatum fuit, firmum perpetuò & ſtabilem eſſe volumus; ita ſcilicet, ut ſeptem ex iis, qui juxta admiſsionis ordinem in Collegio antiquiores erunt, Seniorum atque Participantium nomine, & juribus fruantur; reliqui vero quinque, Juniores & Supranumerum nuncupari & haberi pergant. Si qui vero ex Pontificia diſpenſatione, juſtis ſuadentibus cauſis, alicui ex duodecim Advocatis Coadjutores cum futura ſucceſsione deputati fuerint, hi quidem, prout nunc in more habetur, omnia exercere valeant, quæ reliqui de numero poſſunt; ſed durante Coadjutoris munere, & quouſque ſucceſsioni locus factus non fuerit, tam in voce, quam emolumentis in Collegio careant

Porrò in hujuſmodi duodenario Advocatorum Conſiſtorialium numero Civitas noſtra Bononienſis, immemorabilis poſſeſſionis jure, obtinuit & gaudet, ut uni ſemper ex ipſius Civibus locus ſit, propter eximiam fortaſſe celebritatem ipſius Bononien. Civitatis & Univerſitatis, in qua bonas artes atque ſcientias omnes, ac genuinam potiſſimum ſolidamque juris prudentiam, ſæculo duodecimo ex diuturna obſcuritate, in qua præcedentium temporum barbarie miſere jacuerat, in lucem tandem feliciter revocatam, proprias veluti fixiſſe ſedes, indeque cum ad reliquas ſcholas, tum ad Tribunalia dimanaſſe,

ſe, omnium conſenſu perhibetur. Alius vero locus hujuſmodi a fel. record. Pio Papa IV. per Apoſtolicas Literas datas anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingentaſimo ſexageſimo, octavo Idus Julii, perpetuo aſſignatus reperitur uni ex Collegio Doctorum Civitatis Mediolanen., quem Romanus Pontifex pro tempore duxerit eligendum ex tribus, ab ipſo Mediolanenſium Doctorum Collegio, eidem Romano Pontifici præſentatis, ſeu nominatis. Item rec. mem. Clemens Papa VIII. & Paulus Papa V. alium locum in prædicto Collegio uni Civi Ferrarienſi ſaltem ex privilegio effecto, ſeu creato itidem perpetuo aſſignarunt, ac pro tempore concedi voluerunt; quam ſane conceſſionem cumulavit piæ mem. Urbanus Papa VIII. per ſuas etiam in forma Brevis expeditas Literas datas die decima ſeptima Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quinti, dum Civitati noſtræ tunc ſuæ Ferrarienſi per eaſdem Literas indulſit, ut hujuſmodi locus nonniſi Civibus Ferrarienſibus vere originariis, quorum nominatio ad Magiſtratum Ferrariæ ſpectaret, pro tempore concedi, & aſſignari deberet. Aliumque pariter locum in prædicto Collegio ex Apoſtolica conceſsione fel. record. Innocentii Papæ XII. Cives Neapolitani obtinere dignoſcuntur, quibus prædictus Innocentius per ſuas Literas in ſimili forma Brevis ſub datum die decima quarta Novembris anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſeptimi deſuper expeditas indulſit, ut occurrente pro tempore prædicti loci, ſic eis ut præfertur, conceſsi vacatione, ab Electis illius Civitatis tres Cives Neapolitani Juris utriuſque Doctores Romano Pontifici pro tempore exiſtenti nominarentur, ex quibus idem Romanus Pontifex unum ad hujuſmodi Advocati Conſiſtorialis munus præeligeret & aſſumeret, prout in ſingulis eorundem Pii, Urbani, & Innocentii Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum memoratis Literis latius, & uberius continetur.

Quæ quidem omnia prædictis Civitatibus, Collegiis, ſeu Univerſitatibus, vel a Prædeceſſoribus noſtris, ut præfertur, expreſſe conceſſa, vel antiquæ conſuetudinis jure acquiſita, Indulta & Privilegia, ut ſcilicet ex eiſdem unus pro tempore juxta præſcriptas reſpective formas electus, in prædictum Advocatorum Conſiſtorialium Collegium cooptetur, atque ad exercenda munera eidem Collegio & Advocatis competentia ſerva-

Hhhh 2 tis

vatis ſervandis admittatur, approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit innovamus, & tanquam ex integro præſentium tenore concedimus, & indulgemus.

Volentes, ut reliqui, ad explendum duodenarium prædictum Advocatorum Conſiſtorialium numerum, ex omni Advocatorum Romanæ Curiæ cœtu eligantur, qui vel Almæ Urbi noſtræ, vel alterius Civitatis Apoſtolicæ Sedis Ditioni in temporalibus ſubjectæ, Cives exiſtant; ac neceſſariis probitatis, doctrinæ, experientiæ, natalium, aliiſque requiſitis dotibus & qualitatibus præditi ſint: Ita tamen, ut quandocumque locus aliquis vacaverit in prædicto Collegio, qui Civibus alicujus ex prædictis Civitatibus addictus non ſit, vel cui antea per deputationem Coadiutoris proviſum non fuerit, ipſi Advocati Conſiſtoriales collegialiter congregati, pro ipſorum fide, & notitia eorum, qui in Romana Curia laudabilem in Advooati munere operam navant, tres viros ex iis, qui vel Romanæ, ut præfertur, vel alterius Civitatis Eccleſiaſticæ Ditionis, Cives exiſtant, quouſque in illuſtre ipſorum Collegium adſcribi dignos cenſuerint, Romano Pontifici pro tempore exiſtenti exhibeant, qui pro ſuo arbitrio in unum ex illis in Aulæ ſuæ Conſiſtorialis Advocatum eliget ac deputabit; Atque ita in poſterum ſervari mandamus, non obſtante fel. record. Prædeceſſoris Noſtri Clementis Papa XII. Decreto, edito in Conſiſtorio ſecreto diei vigeſimæ ſecundæ Januarii anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo, in quo aliam pro hujuſmodi Advocatorum delectu formam præſcribat; cujus Decreti tenorem pro præſentibus inſerto, ac de verbo ad verbum expreſſo habentes, eidem in hac parte, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, expreſſe derogamus, illudque, ac ſi nunquam emanaſſet, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac pro caſſato, irrito, & annullato in poſterum haberi volumus, & jubemus.

Collatum vero ſemel Advocati Conſiſtorialis Officium, excepto caſu ſpontaneæ dimiſſionis, aut juridicæ privationis, nullatenus vacare intelligatur, niſi per promotionem ad Auditoratum Cauſarum Sacri Palatii, aut Epiſcopatum cum reſidentiæ oaere eidem adnexo, aut ad Cardinalatus dignitatem.

Electis autem juxta formam a Nobis præſcriptam, Advoca

catis Conſiſtorialibus, quamvis minime liceat propria hujuſmodi Officii munera exercere, niſi poſt expletas omnes functiones, quæ in eorum admiſſionibus de more peragendæ ſunt, quæque fortaſſe, ſicut etiam pro electis Cauſarum Sacri Palatii Auditoribus, novam atque meliorem normam, Deo favente, a Nobis accipient; Antianitatis tamen jura eiſdem acquiri ſtatuimus ab eo die, quo noſtram, ſeu noſtrorum pro tempore ſucceſſorum de eorundem electione ſchedulam, Motus proprii nuncupatam, in Collegio præſentaverint. Coadjutores vero eandem antianitatem deſument ab eo die, quo poſt prædictas omnes functiones expletas, antianitatem prædictam ſibi ab ipſorum Collegio aſſignari petierint & obtinuerint, per decretum ejuſdem Collegii, Apoſtolicis deinde Literis in forma Brevis expeditis, ſi Nobis & Succeſſoribus noſtris placuerit approbandum & confirmandum. Quæ omnia in eum finem expreſſe diſpoſita ſunt, ut liquido appareat quibuſnam in occurrentibus optionis caſibus debeatur locus inter ſeptem Seniores ſeu Participantes, & cui pariter totius Collegii Decanatus pro tempore ſit deferendus,

Quod quidem Decanatus officium, Nos inhærendo decretis aliàs ab ipſo Collegio conditis, neque a Junioribus aut Coadjutoribus ullo modo, neque a Senioribus abſentibus obtineri volumus; ſed nec ab iis, qui vel Epiſcopali charactere inſigniti, vel aliàs inter Curiæ noſtræ Prælatos adſcripti reperiantur, ſed ad eum deferri debere ſtatuimus, qui inter Seniores in Romana Curia præſentes, & non Prælatos, antiquior eſſe dignoſcatur. Eveniente autem caſu, quo omnes Advocati Seniores in Romana Curia præſentes, vel Epiſcopatu vel Prælatura decorati reperiuntur, is qui antiquior inter eos erit, Pro-Decani titulo, muneribuſque fruetur, donec in ſeptenarium Participantium numerum ſubingrediatur aliquis non Prælatus, ad quem Decanatus hujuſmodi Officium jure deferatur.

Ex privilegiis vero ſeu prærogativis, quibus hujuſmodi Advocatorum Conſiſtorialium nobilis Ordo, ex conceſſione Prædeceſſorum Noſtrorum, & veteri conſuetudine fruitur, noſtraque demum voluntate in poſterum gaudere debebit, alia pertinent ad ipſius Ordinis decora & ornamenta, alia vero ad exer-

exercitium non unius generis munerum, quæ eidem Collegio privative ſunt demandata. Cum enim prædicti Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocati veri ſint & indubitati noſtri, & Romani pro tempore Pontificis Familiares, & continui Commenſales, neque porro ad inſtar aliorum familiarium hujuſmodi, ſed pariformiter & æque principaliter cum aliis Familiaribus, & Commenſalibus prædictis habeantur, & haberi debeant; unde etiam panem honoris ex quotidiana noſtra & Romani pro tempore Pontificis liberalitate percipiunt; atque in ejuſdem Romani Pontificis iter agentis comitatu, quemadmodum in aſſociandis S. R. E. Cardinalibus Legatis de Pontificio Latere miſſis, nec non occaſione obviam eundi Imperatoribus, Regibus, & Principibus Viris ad Curiam venientibus, una cum reliquis Pontificiæ Aulæ Prælatis, & Familiaribus incedunt; non ſolum reliquis omnibus Romanæ vel alterius CuriæCauſarum Advocatis, Patronis, Procuratoribus, atque Cauſidicis, omnibuſque tam Romanæ, quàm alterius cujuſcumque Univerſitatis Licentiatis, Doctoribus, Anteceſſoribus, atque Magiſtris, etiam antiquioribus, honoris & dignitatis prærogativa præcellunt; ſed reliquis etiàm tum Clericis tum Laicis, quantumvis ex nobili genere procreatis, & quocumque officio ſeu dignitate præſtantibus, aliorumque Principum Familiaribus, antecedunt; & tam in Cappellis, quàm in Conſiſtoriis, & Pontificalibus aliiſque Supplicationibus ſeu Proceſsionibus, Equitatibus, cæteriſque publicis Functionibus, locum habere debent, immediate poſt Cubicularios noſtros utriuſque Aulæ tam ſecretæ, quam honoris nuncupatæ, nimirum ſupra ipſos intimi Sacelli noſtri Cappellanos ſecretos, aliosque inferioris Ordinis, prout jam de expreſſo mandato noſtro, omni ſublata dubitandi occaſione, in uſu poſitum eſt; & nihilominus Nos idem perpetuis futuris temporibus obſervari, præſentium tenore mandamus atque ſtatuimus. Eaſdemque Cappellas & Functiones omnes prædicto Advocatorum Conſiſtorialium Collegio, quemadmodum aliis Collegiis in eiſdem locum habentibus, per Curſores intimari; atque in eis Candelas, Palmas, & Ceras benedictas, Agnus Dei appellatas, in pari quantitate & qualitate cum reliquis Familiaribus noſtris, ipſis diſtribui; necnon eoſdem ad audiendas prædicationes verbi Dei, quæ ſtatis temporibus in Pa-

Palatio noſtro habentur, una cum Prælatis Romanæ Curiæ, aliiſque Familiaribus noſtris, quemadmodum conſueverunt, admitti volumus & jubemus.

Seſſionis vero locum, quem iu Cappellis, quæ in Baſilica noſtra Vaticana celebrantur, hactenus obtinuerunt, nimirum in inferiori Pontificii Solii gradu, infra Almæ Urbis noſtræ Conſervatores, idem in poſterum in prædictis, aliiſque Cappellis, quæ pro loci amplitudinem eodem ritu diſponi poterunt, eiſdem aſſignari decernimus. Ubi vero Cappellæ in Pontificiis noſtrarum Ædium Sacellis habeantur, ſeu in aliis Eccleſiis & locis eodem ordine diſponantur, quo in prædictis Ædium noſtrarum Sacellis ordinari conſueverunt; firmam eiſdem & ratam eſſe volumus conceſſionem ſedilis ſeu ſcamni ad ipſorum uſum, ante ſcamnum ſeu ſedile pro noſtris ad honorem Cubicularriis apponi ſolitum, de noſtro expreſſo mandato ſemel poſiti & aſſignati, ac deinde per alias noſtras in forma Brevis Literas die quinta Martii anni milleſimi ſeptingenteſimi quadrageſimi ſecundi expeditas in perpetuum attributi, itaut ab ejuſdem ſcamni ſeu ſedilis uſu & poſſeſſione a nemine quavis auctoritate ullo unquam tempore valeant amoveri. Ubi vero pro deferenda Umbella ſeu Baldacchino in ſupplicationibus Pontificiis, neceſſarius forte numerus non adſit dilectorum Filiorum utriuſque Signaturæ noſtræ Referendariorum, quibus hujuſmodi honorem privative conceſſum eſſe dignoſcitur, hujuſmodi numerum, præſente Pontifice, ab ipſius Cubiculariis ſecretis, vel, his etiam deficientibus, ab aliis ejuſdem Cubiculariis, honoris nuncupatis; eodem vero Pontifice abſente, ab Advocatis Conſiſtorialibus ſuppleri debere decernimus.

In Conciliis autem tam Generalibus, quàm Provincialibus, aliiſque, in quibus eoſdem Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatos, ſeu tanquam præſentes forte Pontificis Familiares Romanam Curiam ſequentes, ſeu tamquam de Legati Apoſtolicæ Sedis comitatu, vel etiam tamquam Decretorum, aut Juris Civilis Doctores, quemadmodum in more poſitum eſſe dignoſcitur, locum & ſeſſionem habere contingat; eaſdem omnino præeminentias, ac prærogativas tam reſpectu Officialium Romanæ Curiæ, quàm aliorum quorumlibet, eiſdem competere volumus, quas in Palatio Noſtro, atque in Romana Curia & Urbe obtinere ſolent.

Ha-

Habitus porro formam eiſdem uſitatam Advocati prædicti inpoſterum etiam perpetuo-retineant, tam in Pontificalibus, aliiſque ſolemnioribus Functionibus, quàm in ipſorum actibus Collegialibus; laneam ſcilicet talarem Cappam, coloris violacei, rubris undequaque futuris fulcitam, & Holoſerico rubro ſubſutam, cum Capputio ab anteriori parte rotundo, a tergo vero proliziori, Holoſerico pariter rubro intrinſecus, eodem vero extrinſecus æſtivo tempore, hiemali autem armellinis pellibus reſpective ſubſuto, eoque vel aperto, vel clauſo pro functionum diverſitate geſtando. Habeant etiam Pluvialis uſum in die Coronationis Romani Pontificis, & in altera die, qua novus Pontifex Conſtantinianæ Lateranenſis Baſilicæ poſſeſſionem ſolemniter capit: ut ſcilicet, dum ad decantandum laudes, fauſtaque omnia novo Pontifici de Cælo adprecanda, præcinente ſupradicta quidem Coronationis die S. R. E. Cardinali Diaconorum Priore, in die vero Poſſeſſionis altero ejuſdem S. R. E. Cardinali Priore Presbyterorum, una cum Subdiaconis Apoſtolicis procedunt, Pluvialibus, tranſverſis induantur; itaut pars aperta Pluvialis remaneat ſupra humerum dextrum, circa collum autem ſupra Pluviale Capputium de more deferant: Extra vero prædictas functiones, uſualem geſtationem Veſtis Talaris nigri coloris, cum ſimili Mantellono rotundo ab Alexandro Papa VII. Prædeceſsore Noſtro per ſpeciale Decretum ſub die vigeſima ſeptima Novembris anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quinti eidem Advocatorum Conſiſtorialium Collegio privative conceſſam, approbamus, & confirmamus; ita ſcilicet, ut nemini liceat ſimilibus Veſtibus & Inſigniis uti, ipſiſque electis Auditoribus Cauſarum Sacri Palatii Cappellanis Noſtris vetitum ſit hujuſmodi Habitum aſſumere, niſi de licentia Collegii prædicti Advocatorum Conſiſtorialium, juxta antiquam obſervantiam, ab eodem Collegio per ſupplicem libellum expreſſe petenda & reſpective concedenda; quemadmodum Nos omnibus & ſingulis, & ſpecialiter Auditoribus electis præfatis, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium forſan inducta, per hæc Apoſtolica ſcripta vetamus atque interdicimus.

Utque præterea ex Alma Urbe Noſtra alio proficiſcentibus prædictis Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatis debitus honor ab omnibus habeatur; quod jam vivæ vocis oraculo eiſdem con-

Digitized by Google

conceſſimus, ut ſcilicet habitu viatorio ad formam habitus per Prælatos & Familiares Noſtros extra Urbem geſtari ſoliti, ſervato tamen nigro colore, Advocati prædicti uti poſſint & valeant, præſentium quoque tenore expreſſè concedimus & indulgemus.

Præcipua verò & propria eorum Collegii munera ea ſunt, quæ circa Conſiſtorium, & actus, atque negocia in eo gerenda atque tractanda, verſantur; Quæ quidem ita ipſorum Advocatorum Conſiſtorialium propria ſunt, ut ad ipſas functiones pro hujuſmodi Advocati munere in Conſiſtorio peragendas nequidem admittantur ex eodem Collegio illi, qui inter Romanæ Curiæ Prælatos adſcripti reperiuntur, niſi Prælatitio habitu depoſito, habitum Advocati Conſiſtorialis in eum finem induere conſentiant. Cum igitur aliqua majoris momenti cauſa in Conſiſtorio ſecreto veteri more judicialiter agenda erit, non alii, quàm Advocati Conſiſtoriales prædicti ad deducenda Partium jura ſunt admittendi. Et quoniam inter majores cauſas, quæ a Romano Pontifice cum Venerabilium Fratrum ſuorum conſilio definiuntur, Beatificationes Servorum Dei, ac Beatorum Canonizationes meritò recenſentur, congruum propterea viſum eſt, ut prærogativa ſcribendi in Jure in hujuſmodi Cauſis Collegio Advocatorum Conſiſtorialium reſervaretur; quamvis, habita ratione plurium Officiorum, quæ illis incumbunt, opportunè quoque ſtatutum ſit, a Congregatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſita, duodecim alios è celebrioribus Romanæ Curiæ Cauſarum Advocatis ad hunc effectum approbari & deputari, adhoc ut Cauſarum hujuſmodi Poſtulatores earum Patrocinium alicui ex illis, pro ipſorum libitu, ſervatis ſervandis valeant demandare.

Ad ipſos tamen Aulæ Conſiſtorialis Advocatos privative ſpectat publicas in Conſiſtorio inſtantias proponere pro Servorum Dei Beatificatione, aut Beatorum Canonizatione, hoc eſt in Conſiſtoriis publicis, quæ in traditione Pilei Cardinalitii novis Cardinalibus creatis, ſeu in receptione Legati Sedis Apoſtolicæ ad Urbem redeuntis, aut alicujus Principum Oratoris ad præſtandam obedientiam Sedi Apoſtolicæ miſſi celebrantur, Orationes habere ſuper meritis ac virtutibus prædictorum Servorum Dei & Beatorum, inſtando apud Summum Pontificem,

ut eorum Beatificationis, aut Canonizationis Cauſæ committantur, ſeu ulterius promoveantur, aut reſpective expediantur; quemadmodum, abrogato veteri more minus decenter inducto, declamandi ſcilicet de rebus profanis, & plerumque de atrocioribus criminibus confictis & imaginariis, per Urbani Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri Decretum ſub die vigeſima ſeptima Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi primi editum, ſubſequuta deinde circa methodum in hujuſmodi Orationibus ſervandam peculiari inſtitutione firmatum fuit. Pro quibus Orationibus peragendis, quæ in duo, aut ad ſummum in tria Conſiſtoria ſingulæ dividi conſueverunt, quæque non ſolum a Senioribus & Participantibus, ſed etiam a Junioribus & Coadjutoribus per turnum, ſervato antianitatis ordine, & a Coadjutoribus prædictis tam ex propria, quàm ex Coadjuti perſona, haberi ſolent, decem ſcuta auri in auro Advocatò peroranti pro qualibet vice, ex maleficiorum proventibus, expedito Mandato a Notario Charitatis, eoque a Gubernatore Almæ Urbis Noſtræ ſubſcripto, perſolvi debent.

In iis pariter publicis Conſiſtoriis, quæ pro alicujus Beati Canonizatione coguntur, ad Advocatum pertinet Conſiſtorialis Aulæ, vitam, virtutes, atque miracula Servi Dei fusè integrèque enarrare, atque Inſtantias Eccleſiarum, Principum, & Populorum pro ejuſdem Servi Dei Canonizatione Summo Pontifici repræſentare. Idemque paratus eſſe debet prædicta omnia, ſi opus ſit, in ſequenti Conſiſtorio ſemipublico ſtrictim referre. Deinde in die ſolemni Canonizationis in Vaticana Baſilica peragendæ, iterum pro definitivæ ſententiæ prolatione coram Summo Pontifice publicè inſtare. Pro quorum omnium implemento is, qui ea geſſerit, ex emolumentis, quæ occaſione Canonizationis Advocatorum prædictorum Collegio debentur, triginta ſcuta monetæ percipiet, a Poſtulatore autem Cauſæ, eidem dono dabitur Imago depicta Servi Dei inter Sanctos relati.

Quotieſcumque demum Summo Pontifici in Conſiſtorio ſedenti ſupplicandum fuerit, ſive ii, quorum res agitur, in Curia præſentes ſint, ſive abſentes, dummodo non ſint Imperatoriæ, Regiæ, aut Cardinalitiæ dignitatis, & in ipſo Conſiſtorio perſonaliter conſtituti; id nonniſi alicujus Advocati Conſiſtorialis voce & opera peragendum erit. Ipſique S. R. E. Car-

Digitized by Google

Cardinales, ubi ſuæ Dignitati renunciare, eamque in manibus Summi Pontificis dimittere voluerint, per Advocatum pariter Conſiſtorialem a Collegio de ipſorum aſſenſu deputandum, præſentibus eorundem Procuratoribus legitimum mandatum habentibus, inſtantiam ſuam in Conſiſtorio proponi facere debent: Qua de cauſa centum Ducati auri de Camera ad Collegii creditum antea depoſiti, eidem Collegio præſtandi ſunt, iique inter Participantes æquis portionibus dividendi.

Similiter Patriarchæ, Archiepiſcopi, & nonnulli ex Epiſcopis, qui, vel ex Eccleſiarum ſuarum juribus, vel ex perſonali conceſſione, honore Pallii decorantur, illud in Conſiſtorio ſecreto per interpoſitam Advocati Conſiſtorialis perſonam poſtulabunt. Ideoque ſi Patriarcha, Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, ut ſupra, Pallio donandus, in Romana Curia præſens exiſtat, in Conſiſtorio prædicto coram Pontifice ſe ſiſtet, medius inter Advocatum pro eo perorantem a dextris, & Magiſtrum Cœremoniarum a ſiniſtris; ſi vero Prælatus extra Curiam moretur, illius Procurator dextrum, Magiſter vero Cœremoniarum ſiniſtrum, Advocatus autem Conſiſtorialis medium locum tenebit, atque hic pro ſupradicti Pallii conceſſione demiſſas Pontifici preces exhibebit. Et niſi agatur de Eccleſia in Partibus Infidelium exiſtente, vel cui ad inſtantiam, & juxta Decretum Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide præpoſitæ de Paſtore proviſum fuerit Advocatus prædictus decem Ducatos auri de Camera, qui præcedenter depoſiti eſſe debent, pro hujuſmodi petitione percipiet. Ad has vero petitiones in Conſiſtorio proponendas ſoli admittentur ſeptem Advocati ſeniores ſeu Participantes, per turnum, excluſis Junioribus & Coadjutoribus, niſi ex perſona alicujus ex Senioribus prædictis ad poſtulandum acceſſerint.

Alterum vero Officiorum genus, quod eidem Advocatorum Conſiſtorialium Collegio privative incumbit, ad hujuſce Almæ Urbis Noſtræ Archigymnaſii & Studii Generalis regimen ſpectat: Cujus Gymnaſii Rectoratus cum olim uni ex Prælatis Romanæ Curiæ ad ejus vitam concedi & aſſignari ſoleret, a Sixto Papa V. Prædeceſſore Noſtro per ejus Literas Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, decimo kalendas Septembris ſub Plumbo datas, pluribus ex cauſis animum ipſius moventibus, nec non in compen-

Digitized by Google

ſationem certæ pecuniarum ſummæ a prædicto Advocatorum Conſiſtorialium Collegio in eum finem perſolutæ, eidem Advocatorum Conſiſtorialium Collegio cum omnibus & ſingulis illius Officii juribus, redditibus, & emolumentis, nec non cum quibuſvis honoribus, oneribus, juriſdictionibus, facultatibus, & privilegiis ſupradicto Rectori Prælato alias competentibus, perpetuo unitum, annexum, & incorporatum fuit.

Quam proinde unionem & perpetuam annexionem & incorporationem Officii Rectoratus hujuſmodi, una cum facultatibus ipſum Gymnaſium, ejuſque Eccleſiam, Scholas, & Bibliothecam regendi, aſſervandi, & gubernandi, unumque ex proprio Collegio in ſingulos annos Studiorum Rectorem, atque alterum Bibliothecarium, tum etiam Bibliothecæ prædictæ Cuſtodes, alioſque Gymnaſii prædicti Officiales, & Miniſtros, reſpective eligendi & deputandi; ſalvo eorum jure, quibus vel oneroſo, vel alio legitimo titulo nonnullorum Officialium hujuſmodi deputatio competere dignoſcatur; nec non ejuſdem Bibliothecæ libros permutandi; ſtatuta quoque, ordinationes & proviſiones pro Gymnaſii prædicti meliori regimine & utilitate condendi, faciendi, & publicandi, atque illa ſeu illas, toties quoties eiſdem ſeu majori parti expedire videbitur, mutandi, & innovandi, ſicuti per Prædeceſſores Noſtros Sixtum V., Clementem VIII. & Alexandrum VII. Romanos Pontifices eiſdem alias conceſſæ fuerunt, approbamus & confirmamus, &, quatenus opus ſit, de novo concedimus & indulgemus.

In eligendis autem per concurſum, quoties ita Nobis & Succeſſoribus Noſtris, tam Juris Canonici, & Cæſarei in Archigymnaſio prædicto Anteceſſoribus, quam aliarum Theologiæ, Linguæ Sanctæ, aliarumque Linguarum, & eloquentiæ, nec non rationalis & experimentalis Philoſophiæ, Medicinæ, & cœterarum artium & facultatum, quæ in Archigymnaſio hujuſmodi publice traduntur, & explicantur, Profeſſoribus atque Lectoribus; volumus, ut concurrentium examini coram Ven. Fratre Noſtro Annibale Epiſcopo Portuenſi S. R. E. Cardinali Camerario, & ejuſdem Archigymnaſii atque Univerſitis Studii generalis Cancellario, S. Clementis nuncupato, ejuſque in Officio Camerariatus hujuſmodi Succeſſoribus, habendo, Advo-

Digitized by Google

vocati prædicti collegialiter ſemper aſſiſtant; & pro eorum, qui examinati fuerint, electione, una cum Camerario prædicto, qui tamen duplicis ſuffragii jure gaudere debeat, iidem Advocati Conſiſtoriales ſuffragium ferant. Et quidem examen eorum, qui ab obtinendas Cathedras in Decretis, ſeu in jure civili ſcientiam & peritiam ſuam profitentur, ab ipſis Advocatis Conſiſtorialibus peragendum erit. Ad aliarum vero ſcientiarum, ſive facultatum, aut Linguarum Lectores Candidatos experiendos atque probandos, ab Archigymnaſii Rectore pro tempore deputato, cum prædicti S. R. E. Cardinalis Camerarii participatione & aſſenſu, alii aſſumentur Aſſeſſores in ſcientis, facultatibus, & Linguis hujuſmodi præſtantes, juxta quorum conſilium atque ſententiam tam Camerarius, quam Advocati prædicti in ſuffragiis ferendis ſuper concurrentium peritia judicia ſua dirigere valeant. Ac denique totius examinis, ſive concurſus, & ſuffragiorum latorum relatio, Nobis ſeu Romano pro tempore Pontifici, fiet; ut vacanti Cathedræ, ſive Lecturæ, de perſona habili, & idonea, auctoritate Apoſtolica provideatur.

Firmamque præterea, & ratam perpetuo eſſe volumus privativam facultatem Candidatos in utroque ſeu alterutro Jure Canonico & Cœſareo experiendi, probandi, eoſdemque Doctores in utroque ſeu alterutro Jure prædictis in Romana Curia & Urbe creandi, eiſque Doctoratus hujuſmodi inſignia conferendi, ſupradicto Advocatorum Conſiſtorialium Collegio tum antiquæ conſuetudinis & poſſeſſionis jure competentem, tum etiam expreſſis Prædeceſſorum Noſtrorum Indultis & Privilegiis multoties conceſſam & attributam, præſertim vero a fel. record. Sixto Papa IV., Julio Papa III., Sixto Papa V., & Clemente Papa VIII., prout in eorum Literis decima octava Septembris anni milleſimi quadringenteſimi octuageſimi tertii, ſexta Februarii anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi ſecundi, tertia Septembris anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi ſeptimi, & duodecima Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi primi, reſpective datis, plenius diſponitur & continetur. Aſſerta vero Privilegia, Indulta, Licentias, & Facultates, quorum prætextu aliæ perſonæ, ſeu Collegia cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentiæ, id ſibi licere contendunt, licet alias à prædictis aliiſque Prædeceſſo-

ceſſoribus noſtris declarata, moderata, ſeu reſpective annullata, revocata, & viribus vacuata fuerint; Nos etiam, quacumque auctoritate, & poteſtate, & quibuſcumque ex cauſis, etiam ex titulo oneroſo, & ſub quibuſvis verborum formulis, expreſſionibus, clauſulis, & Decretis, etiam per Nos & Prædeceſſores Noſtros Sedemque Apoſtolicam, eadem prædictis conceſſa forent, & quantumvis longæ & immemorabilis conſuetudinis uſu ab eiſdem ſive perſonis, ſive Collegiis poſſeſſa & obtenta fuerint, præſentium pariter tenore, quatenùs opus ſit, revocamus, annullamus, & viribus perpetuò vacuamus.

Et nihilominus attendentes, quod inter Dilectos Filios Collegium Noſtrorum & Sedis Apoſtolicæ Notariorum, Protonotariorum nuncupatorum, de numero Participantium, ex una, prædictumque Collegium noſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatorum, ex alia parte, lis, & Cauſa ſuper facultate promovendi ad gradum Doctoratus in utroque vel altero Jurium, tam in Urbe ejuſque Diſtrictu, quam extra illam & illum, in Cauſarum Palatii Noſtri Apoſtolici Auditorio, coram certo illius Auditore introducta, adhuc pendet indeciſa: Nos, qui jura, rationes, & exceptiones utriuſque Partis, tàm voce noſtris auribus inſinuata, quàm ſcripto deducta, per Nos ipſos accurate examinavimus, & matura conſideratione perpendimus; Volentes ab utroque Collegio tàm Notariorum, quàm Advocatorum hujuſmodi, quorum ſingulares perſonæ familiares Noſtri exiſtunt, omnes & quaſcumque ſuper hac re lites, & controverſias penitus e medio tollere, eorumque reſpectiue jura, facultates, & privilegia certis, congruiſque limitibus præfinire; Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, prædictam, ac quamcumque aliam, ſi qua ſit, litem & cauſam in prædicto Auditorio, vel alio quovis Tribunali, coram quocumque Judice, & in quacumque inſtantia, inter utrumque Collegium hujuſmodi ſuper præmiſſis pendentem (illius reſpective ſtatum, merita, & alia quæcumque, etiam de neceſſitate juris uel facti omnino exprimenda, necnon utriuſque Collegii prædicti conceſſiones, indulta, privilegia, & Litteras Apoſtolicas, eorumque totales, & integros tenores ſatis Nobis cognitos, & perſpectos, præſentibus pro plene, & ſufficientes expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes), ha-

harum ſerie ad Nos avocamus, penituſque deſuper ſilentium jmponimus, & extinguimus, perpetuumque ſilentium imponimus, atque os occludimus. Eiſdem vero Notariis de numero prædicto nullatenus licuiſſe, aut licere ſtatuimus & declaramus, obtentu & vigore Literarum fel. record. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri incipien. *Laudabilis* ſuper eorum privilegiis editarum, ſub datum videlicet nonis Februarii Pontificatus ſui Anno Primo, vel quarumvis aliarum Litterarum Apoſtolicarum ſub quacumque forma eidem Collegio conceſſarum, examinationem cujuſquam, Doctoratus gradum in altero vel utroque Jure ſuſcipere cupientis, ad Partes, & extra Urbem committere, nec ſub aliena fide, & relationibus examinationis præſentes, prout ſæpius hactenus factum fuiſſe intelligimus, ad hujuſmodi doctoratus gradum in eadem Urbe promovere; ſed tantummodo Notarios Noſtros prædictos, eorumque Collegium quatuor perſonas ſingulis annis, eaſque in Urbe prædicta vere, & realiter præſentes, prævio rigoroſo examine, perſonaliter, & collegialiter per ipſosmet Notarios faciendo, & non aliter, nec alio modo, ad normam Indulti Apoſtolici a recol. mem. Urbano Papa VIII. etiam Prædeceſſore Noſtro eidem Collegio conceſſi, per ſuas Literas datas ſub Annulo Piſcatoris die quinta Septembris Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni, ad Doctoratus gradum hujuſmodi promovere; libere, & licite poſſe præſentis noſtræ declarationis oraculo definimus: Decernentes ſic, & non aliter intelligendas, & interpretandas fuiſſe, atque inpoſterum intelligi, & interpretari debere eorundem Sixti, & Urbani Prædeceſſorum Litteras prædictas, quas pro majori cautela, & quatenus opus ſit, eatenus limitatum, revocamus, & abolemus, quatenus præſentibus noſtris Litteris in aliquo adverſentur, eaſdem in omnibus, & per omnia ad viam, & terminos earumdem præſentium reducentes; Ne in re, quæ tanti momenti eſt pro recto ac felici Sanctæ Eccleſiæ & Reipublicæ gubernio, vel periculum immineat, quod ſub aliena fide, & relationibus, ad gradus hujuſmodi promoveantur indocti. & qui, ſi diligentem nominationem per ipſos met Notarios perſonaliter & collegialiter adhibitam ſubiiſſent, minus idonei forſan reperti fuiſſent; Vel id, quod abſurdum reputamus, ſequatur, ut ſcilicet prædicto Notariorum Noſtrorum Collegio, cui

Digitized by Google

cui de verè, & realitèr præſentibus in eadem Urbe, nonniſi quatuor ſingulis annis, diligenti præmiſſo examine, juxta memoratum Urbani Prædeceſſoris Indultum, ad gradum prædictum promovere conceſſum fuit; id ipſum in numero indefinito permiſſum cenſeatur, quoad eos, qui ab eadem Urbe abſentes, & in remotiſſimis fortaſſè regionibus conſtituti permaneant.

Ad conſulendum tamen indemnitati eorum, qui hactenus a Dilectis Filiis Sedis Apoſtolicæ Notariis prædictis extra Urbem, & in abſentia, contra præſentis noſtræ declarationis tenorem, Doctoratus gradum in utroque vel alterutro Jure ſuſceperint; omnes & ſingulas hujuſmodi promotiones ad hunc diem peractas auctoritate noſtra perpetuo revalidamus; & quaſcumque promotionum hujuſmodi nullitates, ex poteſtatis dumtaxat defectu provenientes, earundem præſentium tenore ſanamus; Eaſdemque promotiones, & gradus hactenus ita collatos, & reſpective ſuſceptos, ad omnes effectus, ad quos de cœtero valere cenſebantur, eiſdem ſic, ut præfertur, promotis inpoſterum etiam ſuffragari debere ſtatuimus.

Quia vero illuſtre, & perantiquum eorundem Notariorum de numero Participantium Collegium hujuſmodi, ob grata devotionis, & familiaritatis obſequia, quæ Nobis, & Apoſtolicæ Sedi inceſſanter impendit, aliaque illius, & Notariorum prædictorum merita, ſpeciali benevolentia proſequimur, volentes aliqua n propenſæ noſtræ erga illud voluntatis ſignificationem exhibere, eiſdem Notariis de numero prædicto, eorumque Collegio plenam liberamque licentiam, facultatem, & poteſtatem per eaſdem præſentes tribuimus & impertimur, ut ipſi de cœtero in perpetuum ſingulis annis, non quatuor dumtaxat perſonas, eaſque familiares, & pauperes, prout in dictis Urbani Prædeceſſoris Literis præſcriptum reperitur, ſed vigore præſentium, ſex quidem perſonas, etiamſi non familiares, nec pauperes (dummodo tamen in Urbe præſentes exiſtant, aliaque neceſſaria requiſita illis ſuffragentur) ad prædictum gradum Doctoratus in altero, vel utroque jure promovere poſſint, & valeant; Ita quod ſic per eos pro tempore promoti, & laureati omnibus & ſingulis favoribus, honoribus. gratiis, & privilegiis, quibus ſimiles Doctores in publico Archigymnaſio Sapientiæ Urbis Laureati de jure, uſu, privilegio con-

Digitized by Google

conſuetudine, aut alias quomolibet utuntur, fruuntur, & pariformiter, & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere poſſint & debeant, ac ad omnes & quoſcumque effectus, etiam Eccleſias Cathedrales aſſequendi, ab omnibus ubique cenſeri, haberi, & reputari, ac ſi in prædicto Archigymnaſio vere promoti & laureati fuiſſent: Ampliantes & extendentes quoad hæc utraſque Sixti & Urbani Prædeceſſorum Literas prædictas, de cœtero in ſuo robore permanſuras.

Volumus autem, quod iidem Notarii, eorumque Collegium prædictum in promotione, & creatione dictorum ſex, alterius, vel utriuſque Juris Doctorum, omnia & ſingula ad præſcriptum ſervanda & adimplenda, omnino ſervare & adimplere teneantur; Et quod numerus dictorum ſex, & non ultra, quavis de Cauſa uno anno non completus, non poſſit, nec valeat ſubſequentibus annis compleri vel reintegrari; Quodque nota rogitus promotionum, cum nominibus, & cognominibus, ac Patria promotorum, intra Menſem ex tunc proximum, a die, cujuslibet promotionis computandum ad Archivium Urbanum, ad inſtar aliorum rogituum, per Secretarium Collegii hujuſmodi, vel per ipſos promotos, & laureatos, deferri omnino debeat; Et tunc ſolum, videlicet, poſtquam nota prædicta ad Archivium Urbanum delata fuerit, & non antea, talis promotus pro Doctore ſe gerere, & pro legitime laureato, & promoto ad quoſcumque Juris effectus haberi poſſit. Alias promotus ipſe pro Doctore publice, vel privatim ſe gerens, pœnam falſi ipſo facto & jure incurrat.

Omnes vero alias promotiones, & creationes Doctorum in utroque, ſeu altero Jurium, atque Inſignium Doctoralium traditiones ab aliis, quam Advocatis Conſiſtorialibus prædictis, etiam per Comites Palatinos, aut per ipſos Notarios de numero Participantium, eorumque Collegium, præter, vel contra præſcriptam formam, & ultra præfinitum numerum, in Romana Curia & Urbe prædicta inpoſterum factas vel faciendas cum omnibus inde ſecutis, & ſequendis quibuſcumque, irritas & inanes, nulliuſque roboris vel momenti eſſe & fore, ac pro nullis & infectis haberi & cenſeri, neminique ad quoſcumque effectus ullo unquam tempore ſuffragari debere, ipſoſque ab aliis quam Advocatis prædictis, etiam per eoſdem Notarios de numero prædicto, ultra ſex præfatos, ad gradum Doctoratus

hujuſmodi nulliter & attentate promotos vel aſſumptos, pro non Doctoribus haberi, eadem Apoſtolica Auctoritate ſtatuimus, atque decernimus.

Præterea ſupradictos Noſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatos, eorumque Collegium amplioribus favoribus, & gratiis proſequi, & tam prædicti Archigymnaſii Almæ Urbis Noſtræ ſplendori & dignitati, quam feliciori, atque utiliori Romanæ Curiæ ſtatui, & regimini plenius conſulere & providere volentes, ſimulque dignum rationique conſonum reputantes, ut quicumque ad Dignitates, Prælaturas, Magiſtratus, aliaque munia, & Officia dictæ Curiæ, quæ in eadem Curia, & in Romana Urbe conſiſtunt, & in ea exercentur, & quæ Doctoratus gradum in utroque vel altero Jurium annexum habent, aut quomodolibet requirunt, pro tempore aſſumi, & promoveri deſiderant, eorum doctrinæ & idoneitatis in prædicto Archigymnaſio publicum præbeant experimentum; Apoſtolica Auctoritate prædicta, motuque, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus ſtatuimus, atque ſancimus, ut ii quidem, qui ante diem publicationis præſentium ad hujuſmodi Doctoratus gradum in quacumque publica & approbata tam Status Eccleſiaſtici, quam extera Univerſitate Studii generalis, legitime promoti extiterint, ad Prælaturas, Magiſtratus, Judicaturas, Lecturas, & Dignitates etiam Eccleſiaſticas dictæ Urbis, necnon ad facultatem ſcribendi, tam in jure, quam in facto, & patrocinandi uti Procuratores in cauſis coram prædicto Rotæ Romanæ Auditorio, dummodo cætera neceſſaria requiſita illis alias reſpective ſuffragentur, admitti, illaſque & illos ſeu recipere, retinere, & exercere libere & licite poſſint & valeant, nec ob id eundem Doctoratus gradum in dicto Archigymnaſio iteratò ſuſcipere cogantur. Contra vero ii, qui ante diem publicationis earundem præſentium Literarum nondum Doctoralem gradum, ut præfertur, ſuſcepiſſe comperti fuerint, ad aliquam ex Dignitatibus, vel aliquod ex Beneficiis Eccleſiaſticis in Baſilicis, aut Collegiatis, vel aliis Eccleſiis ejuſdem Urbis conſiſtentibus, pro quibus aſſequendis, obtinendis, vel retinendis ex Sacrorum Canonum, aut Generalium Conciliorum, vel Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſeu aliarum Sanctionum diſpoſitione, vel etiam ex lege fundationis, gradus, & qualitas Doctoralis requiratur, ac etiam ad Prælaturas, Magi-

giſtratus, Judicaturas, etiam alieno nomine exercendas, & Lecturas publicas Urbis & Curiæ prædictarum, nec non ad facultatem patrocinandi tanquam Procuratores in cauſis coram eodem Rotæ Auditorio, aut reſpondendi de jure, ſeu ſcribendi pro Advocati munere coram quocumque Judice, ſeu Tribunali; ac demum ad quodcumque munus vel Officium Urbis, & Curiæ prædictarum in ipſa Urbe exercendum, quod de jure pariter, vel ſtatuto, aut ex aliqua Apoſtolica Conſtitutione, & Ordinatione, vel etiam ex longa & inveterata conſuetudine gradum & qualitatem Doctoralem hujuſmodi exigat, vel requirat, non poſſint, nec valeant recipi, vel admitti, illaſque ac illos & illa reſpective obtinere, vel exercere; etiamſi Prælaturæ & Judicaturæ prædictæ ejuſdem Rotæ, Cameræ, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Signaturæ Noſtræ, Populi Romani, vel cujuſvis Collegii etiam privilegiati & privilegiatiſſimi, ac ſpecialem & ſpecialiſſimam, ac ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentis exiſtant; niſi ante admiſſionem & receptionem hujuſmodi, vel quoad prædicta Beneficia & Dignitates Eccleſiaſticas, infra tempus a jure vel Conſtitutionibus, & Canonicis Sanctionibus prædictis; aut in fundatione reſpective præfixum, Doctoratus gradum in ipſo publico Urbis Noſtræ Archigymnaſio ſuſceperint; Decernentes, & eadem Auctoritate ſtatuentes, quod gradus Doctoratus hujuſmodi poſt earundem præſentium publicationem in alia quavis Studii generalis Univerſitate tam extera, quàm Status Noſtri Eccleſiaſtici, quantumvis publica, approbata, celebri, & famoſa, ac ſpecialiſſima mentione digna, datus & receptus, ipſis graduatis ad quemcumque alium, non autem unquam ad effectum aſſequendi ſupradictas Dignitates, Prælaturas, Judicaturas, Lecturas, Munera, & Officia prædicta in Curia & Urbe Noſtra, ſuffragari de reliquo valeat; immò pro effectu præmiſſorum Doctoratus gradus alibi datus, & receptus, habeatur & haberi debeat, ac ſi nullo modo datus, ac receptus fuiſſet.

Ab hac tamen generali lege illos dumtaxat exceptos eſſe volumus, quos in vim Apoſtolici privilegii ſeu Indulti alicui Nationi, Civitati, Univerſitati, ſeu Collegio ab hac S. Sede conceſſi, vel ad munus Advocati Conſiſtorialis, ut ſupra, vel ad Auditoratum Cauſarum Palatii Noſtri Apoſtolici nominari,

 & No-

& Nobis ſeu Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, præſentari, ſeu aliàs juxta Indultorum hujuſmodi tenorem eligi & deputari contingat: Ut ſcilicet, ſi illi, qui ad prædicta Officia nominati ſeu electi fuerint, in aliqua conſpicua Univerſitate aut Collegio, quibus Indulta hujuſmodi, ſeu privilegia conceſſa fuerunt, ad Doctoralem gradum in utroque jure promoti fuiſſe dignoſcantur, hujuſmodi gradus ab iis, ut præfertur, ſuſceptus, juncto illius ſeu illorum teſtimonio, qui eos præſentaverint, necnon Pontificis judicio, qui eoſdem ad prædicta Officia elegerit & deputaverit, ſatis eiſdem ſuffragari cenſeatur, ad effectum aſſequendi hujuſmodi Officia, eaque ſervatis ſervandis exercendi, abſque eo quod ad iteratam prædicti gradus ſuſceptionem in dicto Sapientiæ Archigymnaſio compelli poſſint,

Ut igitur ordinario & ſtatutum noſtrum hujuſmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervetur Ven. Fratribus Noſtris Thomæ Epiſcopo Oſtien. & Velitern. S. R. E. Cardinali Vice-Cancellario Rufo, & Anibali Epiſcopo Portuen. ejuſdem S. R. E. Cardinali Camerario Sancti Clementis; necnon dilecto Filio Noſtro Nereo S. Euſtachii prædictæ S. R. E. Diacono Cardinali Corſino nuncupatis, Signaturæ noſtræ Juſtitiæ Præfecto, eorumque in dictis Officiis Succeſſoribus; & dilectis, præterea Filiis, Collegiis Notariorum Apoſtolicorum, Prothonotariorum nuncupatorum de numero Participantium, & Cappellanorum Noſtrorum, Cauſarum Sacri Palatii Auditorum, necnon Clericorum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, & Signaturæ Juſtitiæ Referendariorum Votantium, atque Abbreviatorum de Parco Majori, ipſorumque Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatorum, & Procuratorum Cauſarum Sacri Palatii, eorumque reſpective Decanis; Capitulis quoque, ſeu Collegiis Baſilicarum, Collegiatarum, & aliarum Eccleſiarum dictæ Urbis, aliiſque Superioribus & Perſonis præſentibus & futuris, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & pro tempore ſpectabit, per hæc eadem ſcripta committimus & injungimus, quatenus ordinationi & ſtatuto prædictis humiliter intendentes, præmiſſa obſervari & adimpleri curent, nec quemquam in poſterum ad Dignitates, Prælaturas, Magiſtratus, Judicaturas, Lecturas, Munera, Officia, & Beneficia prædicta, qui Doctoratus gradum in prædicto Archigymnaſio non ſuſceperit, extra caſus a Nobis, ut ſu-

ſupra, exceptos admittant ſeu recipiant, neque contra ordinationis & ſtatuti Noſtri hujuſmodi ſeriem, diſpoſitionem, & tenorem a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari ullo unquam tempore permittant.

Quæcumque demum Romanæ Curiæ munera prædicto Advocatorum Conſiſtorialium Collegio tam expreſſis Prædeceſſorum Noſtrorum conceſſionibus, quam longæ conſuetudinis uſu privative, ut præfertur, attributa eſſe dignoſcuntur, ea omnia & ſingula ita ſupradicto Collegio addicta & acquiſita eſſe declaramus, ut perpetuis futuris temporibus neque munus Promotoris Fidei; de quo decretum adeſt Urbani Papæ VIII. ſub datum die decimatertia Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi primi, in favorem ipſius Collegii hactenus inviolabiliter obſervatum; & quo Nos ipſi, dum, in minoribus conſtituti, in eodem Collegio locum obtineremus, plures annos perfuncti fuimus; neque Officium Advocati Pauperum, aut aliud Advocati Fiſci & Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ; quæ olim Seniori de Collegio prædicto pro tempore incumbebant, deinde vero arbitrio Summi Pontificis, in aliquem tamen de ipſo Collegio ſemper conferri conſueverunt; nec illud pariter Advocati Fabricæ Baſilicæ Apoſtolornm Principis, aut illud Advocati Senatus & Populi Almæ Urbis Noſtræ, vel denique munus Commiſſarii Conclavis Sede vacante, alteri cuiquam perſonæ, præterquam alicui ex dicto Collegio Advocatorum Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis, quacumque in contrarium conſuetudinæ, ſi quæ forte circa aliquod ex præmiſſis muneribus allegari poſſet, minime obſtante, concedi debeat aut aſſignari.

Volumus tamen, prædicta Officia Promotoris Fidei & Advocati Fiſci, quæ duo olim ab una eademque perſona conjunctim obtineri & exerceri conſueverant, ſed a recol. mem. Prædeceſſore Noſtro Clemente Papa XI. juſtis & rationabilibus de Cauſis ab invicem disjuncta & ſeparata fuerunt, per ejus Literas perpetuo valituras die ſeptima Aprilis anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptimi in forma Brevis expeditas, ſic etiam in poſterum ſeparatim conferri, & a duobus reſpective Advocatis Conſiſtorialibus exerceri; quidquid deinceps in praxi ſervatum fuerit, & obtineat de præſenti in perſona dilecti Filii Magiſtri Ludovici de Valentibus moderni Fidei Promotoris, & Fiſci Advocati, per ſpecialem gratiam eidem a fel. record. Prædeceſſore No-

Digitized by Google

Noſtro Clemente Papa XII. conceſſam, & ultra ipſius perſonam nullatenus extendendam. Proindeque aſſignationem portionis panis & vini, necnon ſcutorum tercentorum monetæ Romanæ, quæ deinde laudatus Clemens Papa XI. per alias ſuas in ſimili forma Literas datas die trigeſima Aprilis anni milleſimi ſeptingenteſimi decimi quarti, ex ſalariis & emolumentis Advocati Fiſci detracta, una cum hujuſmodi portione panis & vini prædicto Fiſci Advocato ex Palatio Apoſtolico antea dari ſolita, Promotori Fidei pro tempore exiſtenti de cætero perſolvi mandavit, auctoritate prædicta & harum ſerie approbamus, confirmamus, & innovamus, atque in poſterum, quum caſus evenerit demandatæ ſeparationis reipſa iterum exequendæ, perpetuo ſervari mandamus.

Præterea diſtricte præcipimus, ut quicumque ex prædictis Advocatis ad munus Advocati Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ, itemque ad aliud Advocati Pauperum deputati fuerint, omnino abſtineant a ſuſcipiendo Patrocinio aliarum Cauſarum, quæ ad Officium ſibi reſpective commiſſum minime pertineant, quacumque pariter in contrarium conſuetudine minime obſtante.

Ut autem tot tantiſque publicis graviſſimiſque muneribus aſſiduam operam impendere Advocati prædicti commode valeant, & ſpirituali ſimul eorundem conſolationi per Apoſtolicæ benignitatis favorem conſultum ſit, quod jam per alias Noſtras in forma Brevis Literas ſub die vigeſima octava Februarii anni milleſimi ſeptingenteſimi quadrageſimi ſecundi expeditas, eiſdem elargiti fuimus, id etiam præſentium tenore, & auctoritate prædicta confirmamus & innovamus, ut ſcilicet eiſdem Advocatis Conſiſtorialibus eorumque Coadjutoribus nunc & pro tempore quandocumque exiſtentibus, in privato Domus cujuſlibet eorum habitationis, etiam in hac Alma Urbe Noſtra; Oratorio ad hoc decenter muro extructo & ornato, ſeu extruendo & ornando, ab omnibus Domeſticis uſibus libero, per dilectum Filium Noſtrum in eadem Urbe ejuſque diſtrictu Vicarium in ſpiritualibus Generalem, quoad Oratoria in dicta Urbe, & quoad alia extra eandem Urbem per Ordinarium Loci reſpective prius viſitando & approbando, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in Domo hujuſmodi celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per ſe ipſos, ſi

Sa-

Digitized by Google

Sacerdotes fuerint, celebrare, ſeu per quemcumque Sacerdotem approbatum Secularem, vel de Superiorum ſuorum licentis Regularem, ſine tamen quorumcumque jurium Parocchialium præjudicio, ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque ſolemnioribus anni feſtis diebus exceptis, in ſua, ac quatenus conjugati exiſtant, in eorum reſpective Uxorum, necnon in eorundem Filiorum, Conſanguineorum, & Affinium ſecum inſimul in eadem Domo habitantium, ac cujuslibet eorum Familiæ præſentia, celebrari facere libere & licite poſſint, ita tamen ut Uxores, & nati, ac Conſanguinei & Affines ſupradicti prædictam unicam Miſſam ipſis quidem Advocatis præſentibus audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere valeant, quodque Familiares eorum ſervitiis non neceſſarii ibidem Miſſæ intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus Feſtis de præcepto liberi minime cenſeantur. Utque hujuſmodi gratia ii dumtaxat ex Advocatis Conſiſtorialibus fruantur, qui ſuper illa Apoſtolicas in forma Brevis Literas ad uniuſcujuſque favorem expediendas petierint, atque obtinuerint, & non alias.

Præterea omnia & ſingula ſupra expreſſa, atque alia Collegio Advocatorum hujuſmodi conceſſa Privilegia & Indulta, nec non ejuſdem Collegii laudabiles ſtylos, uſus, & conſuetudines, ordinationes quoque, Conſtitutiones, atque Statuta pro ipſius Collegii felici regimine & gubernio facta & condita, licita tamen & honeſta, ac Sacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſentium tenori ac diſpoſitioni minime contraria, Apoſtolica auctoritate earundem tenore præſentium perpetuo confirmamus & approbamus, illiſque plenariæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti, necnon ſolemnitatum quarumcumque quomodolibet omiſſarum, alioſque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, illaque omnia auctorirate, & tenore prædictis innovamus, & de novo concedimus, ac ab omnibus & ſingulis perſonis, ad quas pro tempore ſpectat & ſpectabit in futurum, inviolabiliter perpetuò ſervari volumus & mandamus. Utque ſupradicta eorum Statuta, Conſtitutiones, Ordinationes, ſtylos, uſus, & conſuetudines pro rerum tempore & perſonarum qualitate, ac quoties eis expedire videbitur, abrogare, caſſare,

ſare, mutare, alterare, & alia illorum loco facere, condere, edere, & ſervare libere; & licite valeant, quæ poſtquam facta, condita, & edita fuerint, dummodo, ut præmittitur, licita & honeſta, Sacriſque Canonibus & Decretis dicti Concilii Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac præſentium tenori contraria non exiſtant, eo ipſo dicta auctoritate confirmata ſint, ac ab omnibus & ſingulis, quos ea concernunt, in futurum ſub pœnis in eis contentis obſervari debeant; Inſuper ut ipſorum Collegii Secretarium, alioſque Officiales & Miniſtros pro ſuo arbitrio eligere & deputare, amovere, dimittere, & mutare valeant, quoties id eis expedire videbitur; eiſdem auctoritate & tenore præſentium, etiam perpetuò concedimus & indulgemus, plenamque, liberam, & omnimodam facultatem & auctoritatem impertimur, quacumque in contrarium conſuetudine minime obſtante.

Decernentes eaſdem præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſive aliàs ſpecifica, & individua mentione & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati & auditi, neque Cauſæ, propter quas eædem præſentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel ſufficienter, aut ullo modo juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali & ſubſtantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimili conceſſo vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; Sed ipſas præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ac dicto Collegio & Advocatis pro tempore exiſtentibus in omnibus

Digitized by Google

bus & per omnia, etiam perpetuò ſuffragari, ipſumque Collegium ad verificationem, ſeu juſtificationem præmiſſorum, vel partis eorum minime teneri, aut ullo modo quacumque auctoritate compelli debere, ſed eaſdem, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe ſervari.

Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia ac poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter Judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca eiſdem Ven. Fratribus Noſtris Thomæ Epiſcopo Oſtienſi & Veliterno S. R. E. Cardinali Vice-Cancellario Ruſo, & Annibali Epiſcopo Portuen. ejuſdem S. R. E. Cardinali Camerario S. Clementis reſpective nuncupatis; nec non dilecto Filio Magiſtro Flavio Chiſio Cauſarum Curiæ Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Auditori Generali, eorumque pro tempore in Officiis hujuſmodi Succeſſoribus, per hæc Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alios, ſeu alium auctoritate Noſtra, prædictis Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatis, eorumque Collegio in præmiſſis omnibus, & ſingulis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant faciantque eos, & eorum ſingulos, quoties pro ipſorum parte ſuper hoc fuerint requiſiti, omnibus, & ſingulis præfatis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, & eorum aliquem, per quoſcumque deſuper quomodolibet indebite moleſtari, inquietari, aut impediri. Contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, per Cenſuras Eccleſiaſticas, & pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Non obſtantibus Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, necnon præmiſſis omnibus, aliiſque Apoſtolicis, ac in Vniverſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſti-

tutionibus & Ordinationibus; nec non quibuſvis Almæ Vrbis Noſtræ, Collegiorum quorumcumque, Tribunalium, Vniverſitatum, necnon prædicti Advocatorum Conſiſtorialium Collegii, & Gymnaſii, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis etiam in corpore juris clauſis, aut Litteris Apoſtolicis quibuſvis perſonis, & eiſdem Urbi, nec non dilectis Filiis Populo Romano, aliiſque Civitatibus, & locis, Collegiis quoque Tribunalibus, Univerſitatibus, aliiſque quibuslibet ſpecifica, & individua mentione dignis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam clauſulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel ſpecie, etiam motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu Conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & exactiſſime ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad præmiſſorum effectum pleniſſime & ampliſſime motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta in locis ſolitis Almæ Urbis Noſtræ per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicari, & affigi, ſicque publicatas, & affixas omnes & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuiqe illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Utque earundem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nullà

Digitized by Google

Nulli ergò omnino Hominum liceat paginam hanc noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, quarto kalendas Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Quinto. D. Cardinalis Paſſioneus. J. Datarius. Viſa de Curia I. C. Boſchi. L. Eugenius.

Regiſtrata in Socretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, Indictione ſeptima, die verò vigeſima ſexta Septembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Christo Patris, & Domini Noſtri Domini BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno Quinto, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Bartolotti Apoſt. Curſ.

Nicolaus Cappelli Mag. Curſ.

BENEDICTUS PP. XIV.

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

QUanta Reipublicæ commoda obveniant ex publicis ſtudiorum Univerſitatibus,in quibus bonarum artium, ac ſcientiarum documenta ingenuæ Juventuti traduntur, omnium judicio, & felici experientia evidentiſſime conſtat; dum per homines maxime liberalibus diſciplinis excultos, atque expolitos, totius Civitatis mores, ad æquitatis, & juſtitiæ rationem conformari ſolent, & neceſſaria in Civilibus Societatibus judicia, recte, ac laudabiliter exerceri, pluraque hominum uſibus proficua inveniri paſſim conſpiciuntur, & reliquæ omnes privatæ, ac publicæ res prudenter, utiliterque adminiſtrari.

Quamobrem ad noſtrum potiſſime Officium pertinere judicavimus, celeberrimum Almæ Urbis Noſtræ Archigymnaſium Studii generalis, Sapientiam nuncupatum, ſpeciali providentiæ Noſtræ cura tueri, atque fovere; quin etiam, ſi quæ Nobis ejus rei facultas ſuppeteret, illius ſplendorem Novis Apoſtolicæ liberalitatis favoribus amplificare: Ut, quæ Nobis olim in minoribus adhuc verſantibus, ejuſdemque Sapientiæ regimen, pro Advocati Conſiſtorialis jure, vel communiter, vel peculiariter moderantibus, ad perficiendum illius ſtatum deeſſe videbantur, ea nunc, ſupremæ Auctoritatis noſtræ ope, ipſius Univerſitatis, totiuſque Urbis ornamento, & commodo accederent incrementa.

Quæ quidem cum partim in reſtituendo, aut firmando aptiori, utiliorique ipſius Archigymnaſii regimine, atque ordine, partim in nonnullarum, quæ deſiderabantur, doctrinarum, & facultatum acceſſione,conſiſtere intelligeremus; illud hactenus ſtudioſe præſtare non omiſimus, ut ſcilicet, quas opportunas judicavimus, lege, ſive ad tempus, ſive perpetuo, in eodem ſervandas, præſcriberemus; ex quibus meliorem ſtudiorum ra-

Digitized by Google

rationem, ac ſcientiarum tradendarum methodum in ipſo recte proceſſuram fore confidimus: Alterum vero, quod ad novas Diſciplinarum Cathedras inſtituendas, augendumque Lectorum numerum pertinebat, ad hunc diem efficere non potuimus, quum id, nec ipſius Archigymnaſii reditus, nec Apoſtolici Ærarii Noſtri vires, recentibus nimium calamitatibus exhauſtæ, ullo modo ferre valerent.

Cum autem recens in Civitate, & Statu Avenionenſi, & Comitatu Venaiſino noſtræ temporali Ditioni ſubiectis, inducta ſit facultas, ut eam vocant, privativa, dandi prælo, ac vendendi, & publicandi per totam Pontificiam Ditionem Civitatis, Status, & Comitatus præfatorum, novitates publicas, tam politicas, quàm litterarias, kalendaria, & alia ſimilia, ipſaque privativa facultas Dilecto Filio Alexandro Giraud ad novem annos conceſſa, & locata reperiatur, pro annua reſponſione quatuor mille librarum monetæ Galliæ, ſub diverſis pactis, & conditionibus, prout in Inſtrumento publico per Acta Dilecti Filii cognominati Jeremia, Notarii publici, & Secretarii Generalis Legationis Avenionenſis ſub die 16. Menſis Novembris Anni Domini 1747. deſuper confecto, & ſtipulato, plenius continetur.

Nos igitur congruum, & conſentaneum arbitrantes prædictum reditum quatuor mille librarum dictæ monetæ, qui, quum antea numquam inter emolumenta Cameralia computatus fuerit, ex prædicta nova locatione, & privativa facultate per Nos, ut præfertur, indulta, nuper accrevit, eidem Archigymnaſio ad excitandas, & promovendas in eo alias ſcientias, & liberales artes, integre, & in perpetuum attribuere, verumque hodiernum ipſius Archigymnaſii ſtatum, annuos reditus, Cathedras, & Lecturas, regimen, adminiſtrationem, & privilegia, de quibus plenam, certamque notitiam habemus, nec non præfatum locationis Inſtrumentum, omnia item, & ſingula privilegia, & indulta etiam a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris Civitati, & Legationi Avenionenſi, ac pro tempore exiſtentibus S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, & Vicelegatis inibi commorantibus, quomodolibet conceſſa etiam pluries confirmata, & innovata, ac alia quæcumque etiam ſpecialem, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, eorumque omnium, & ſingulorum totos, & inte-

tegros tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes,

Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione Noſtris; deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, in præfato publico Archigymnaſio, ſeu Studio generali, Sapientiæ nuncupato de Urbe, præter eam, in qua Elementa Geometriæ traduntur, aliaſque inibi præexiſtentes Cathedras, & Lecturas, duas novas Cathedras, ſeu Lecturas, alteram nimirum Mathematicæ, alteram vero Chymiæ, pro aliis duobus Lectoribus altero nempe Mathematicæ, altero autem Chymiæ hujuſmodi Profeſſoribus probatæ fidei, & idoneitatis, ad Cathedras hujuſmodi pro tempore quomodolibet vacantes, prævio concurſu, & ſervata forma dudum a Nobis in Conſtitutione Noſtra, privilegiorum Noſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatorum confirmatoria, quæ incipit, *Inter conſpicuos Ordines*, edita quarto kalendas Septembris anno quinto §.*In eligendis*, tradita, atque præſcripta, deputandis, & aſſumendis, ad commune bonum, publicamque utilitatem, Apoſtolica Auctoritate perpetuo erigimus, & inſtituimus.

Eiſdemque Cathedris, ſeu Lecturis, a Nobis ſic erectis, & inſtitutis, pro earum dote, ac utriuſque Lectoris congruo ſalario, & proviſione, annuam ſummam quadringentorum ſcutorum monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet ſcuto, ad rationem ducentorum ſcutorum pro quolibet, eis, ut infrà, perſolvendorum, eadem Apoſtolica auctorjtate conſtituimus, & aſſignamus. Ipſoſque futuri pro tempore Mathematicæ, & Chymiæ Lectores, aliorum dicti Archigymnaſii Lectorum, Magiſtrorum, Doctorum, & Profeſſorum conſortio, ita ut omnibus, & quibuſcumque privilegiis, Indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, præeminentiis, antelationibus, honoribus, & prærogativis, etiam antianitatis, quibus alii ejuſdem Archigymnaſii Magiſtri, Lectores, Doctores, & Profeſſores quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, atque uti, frui, potiri, & gaudere poſſent, & poterunt in futurum, pariformiter, & æque principaliter, in omnibus, & per omnia, & omnino quoad omnia, ipſi quoque utantur, fruantur, potiantur, & gaudeant, omnibuſque pariter oneribus, & obligationibus, quibus illi ſubiacent, pari modo etiam ipſi ſubjaceant, Apoſto

li-

lica itidem Auctoritate adjungimus, & aggregamus.

Ad conſulendum vero perpetuæ utriuſque Cathedræ a Nobis per præſentes erectæ ſtabilitati, & manutentioni, prædictam facultatem privativam dandi prælo, ac vendendi, & publicandi per totum Statum Avenionenſem, & Comitatum Venaiſinum Noſtræ temporali Ditioni ſubiectum, novitates publicas, tam politicas, quam litterarias, kalendaria, cæteraque in memorato locationis Inſtrumento comprehenſa, & expreſſa, earumdem tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus ſit, de novo inducimus, & conſtituimus. Et nihilominus præfatum annuum reditum quatuor mille libratum dictæ monetæ Galliæ, ex conceſſione, & locatione privativæ facultatis hujuſmodi nunc provenientem, & qui deinceps, etiam in quacumque majori ſumma provenire potuerit, a cæteris Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ reditibus, introitibus, & proventibus extraneum, ſeu perpetuo ſeparatum, atque diſiunctum haberi, & cenſeri volumus, ideoque ab iiſdem pari auctoritate itidem perpetuo ſeparamus, ſejungimus, & diſmembramus, ſicque diſmembratum, ſejunctum, & ſeparatum, præfato Archigymnaſio pro utriuſque Cathedræ, ſeu Lecturæ a Nobis per præſentes erectæ, & inſtitutæ, Dote, & pro aliis infraſcriptis uſibus, etiam perpetuo applicamus, concedimus, & aſſignamus,

Quamobrem Dilectis Filiis nunc, & futuris pro tempore ejuſdem S. R. E. Cardinalibus Noſtris, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatis, ac Vicelegatis in dicta Civitate Avenionenſi commorantibus, necnon Congregationi Avenionenſi, ac præfatæ Cameræ Apoſtolicæ Theſaurario, & Commiſſario Generalibus, aliiſque ipſius Cameræ Officialibus, ac Miniſtris, quocumque nomine nuncupatis, in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtricte inhibemus, ne præfatum annuum reditum ex privativa facultate hujuſmodi provenientem, in alios quoſcumque uſus, & cauſas, quamtumvis privilegiatas, & privilegiatiſſimas, ullo modo diſponere præſumant; ſed ipſa dumtaxat Congregatio, prædictique Legati, ac Vicelegati, ſeu alii, ad quos, nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurum, ſi, & poſtquam, ac quoties pro parte infraſcripti Noſtri, deinde vero Romani pro tempore Pontificis Secretarii Status, aut Rectoris dicti Archigymnaſii fuerint requiſiti, tam pro executione, &

con-

conſervatione dictæ privativæ facultatis, quam pro integra, celerique exactione annui reditus præfati, eorum brachium, & auxilium efficaciter præſtent; Ipſeque pro tempore Cardinalis Legatus, ſeu Vicelegatus exactæ pecuniæ depoſitum, in faciem, & creditum dicti Archigymnaſii, ut infra, faciendum ſedulo curet.

Quoniam vero Dilectus Filius noſter Sylvius Tituli Sancti Calliſti S. R. E. Presbyter Cardinalis Valenti nuncupatus, ejuſdem S. R. E. Camerarius, & Nobis a Secretis Status, in procuranda prædicti novi reditus acceſſione, & in illius applicatione ad ſupradictum effectum proponenda, eximium ſuum ſtudium de bono publico amplificando, ac de ſcientiis, ac liberalibus Artibus promovendis Nobis aperte comprobavit; idcirco Nos earumdem tenore præſentium prædicto Sylvio Cardinali, quoad vixerit, plenam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem tribuimus, & elargimur; poſt ipſum vero, cuilibet pro tempore exiſtenti Romani Pontificis Secretario Status, necnon præfati Archigymnaſii pro tempore Rectori ſimiliter concedimus, & impertimur, ut ipſi, adveniente termino currentis locationis dictæ privativæ facultatis,& ſic deinceps, quoties terminus hujuſmodi advenerit, eidem pro tempore exiſtenti Legato, ſeu Vicelegato Avenionenſi, aut pro eo, alii, vel aliis, ad quos pro tempore ſpectabit, aut ſpectare poterit, celebrationem, & ſtipulationem novæ locationis ejuſmodi privativæ facultatis pro dicto Archigymnaſio, celeremque traſmiſſionem pecuniæ de Civitate Avenionenſi Romam, ad effectum illam, ut infra, deponendi, abſque ulla dependentia à prædicta Congregatione Avenionenſi, aut à Camera Apoſtolica, illiuſque Officialibus, & Miniſtris prædictis committere, & mandare libere, ac licite poſſint, & valeant.

Poſtremo volumus, & mandamus. ut pecuniæ, ut ſupra provenientes apud Menſam Nummulariam Montis Pietatis, ad creditum dicti Archigymnaſii in peculiari tamen, & ſeparato computo, deponantur, ita ut cum aliis prædicti Archigymnaſii reditibus nullo umquam tempore miſceantur, vel confundantur, ſed ſtare debeant dumtaxat ad effectum, ut pro rata ſcutorum quadringentorum prædictis duobus Lectoribus Mathematicæ, & Chrymiæ, annua honoraria, & ſtipendia a No-

Digitized by Google

Nobis iiſdem reſpective conſtituta, in conſuetis tertiariis, juxta morem aliarum Cathedrarum, & Lectorum ipſius Archigymnaſii, mediantibus ordinibus manu Rectoris ejuſdem pro tempore deputati ſabſcriptis, perſolvantur, reſiduum vero in expenſas neceſſarias pro experimentis Chymicis, & non in alios quoſcumque uſus, omnino erogetur.

Præſentes quoque Litteras, quæ in dicta Camera Apoſtolica, juxta Conſtit. fel. record. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris Noſtri deſuper editam, præſentari, inſinuari, & regiſtrari volumus, præmiſſaque omnia, & ſingula, nullo umquam tempore ex quibuſcumque cauſis, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis Noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in jus, vel controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci poſſe, ſed ſemper, perpetuumque valida, & efficacia exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, nec non Palatii Apoſtolici Auditores, prædictæque Cameræ Theſaurarium Generalem, & Clericos præſidentes ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; Et ſi ſecus, ſuper his a quoquam quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, dictæque Cameræ, nec non Congregationis Avenion. & Archigymnaſii prædicti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, reſpective ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis dictæ Congregationi, eidemque Cameræ, ac illius Officialibus, & Miniſtris, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine pariter, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum confirmatis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, &

ſingulis, etiam ſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectum ſpecialiter, & expreſſe, ac latiſſime, & pleniſſime motu ſimili derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Utque de præmiſſis etiam in Civitate, & Ditione Avenionenſi, quandocumque opus fuerit, fides fieri valeat; volumus, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo præfati Sylvii Cardinalis, ſeu reſpective Romani pro tempore Pontificis Secretarii Status, aut prædicti Archigymnaſii Rectoris obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur in Judicio, & extra illud, quæ adhiberetur hiſce præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Noſtræ erectionis, diſmembrationis, applicationis, inhibitionis, conceſſionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere: vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo, quinto Idus Octobris, Pontificatus Noſtri Anno nono.

CHI-

CHIROGRAFO DI NOSTRO SIGNORE

BENEDETTO XIV.

Monſignor Clemente Argenvillieres Noſtro Uditore, e Rettore Deputato della noſtra Sapienza di Roma.

CI è ſtato da Voi rappreſentato, che fin da quando foſte dal noſtro Collegio degli Avvocati Conciſtoriali eletto, e deputato Rettore della Univerſità delli Studj di queſta noſtra Città di Roma, vi applicaſte ſeriamente à rintracciare le cauſe, per le quali i buoni Studj, che in eſſa altre volte fiorivano con tanto vantaggio della Gioventù, e del Pubblico, e con decoro, ed ornamento di queſta Santa Sede, s'andavano di giorno in giorno quaſi affatto abbandonando; e ſiccome vi parve, che ciò in parte proveniſſe dal non eſſere ben regolato il numero delle Cattedre, e Letture, parte dai frequenti paſſaggi de' Lettori dà una ad un'altra Lettura totalmente diverſa, e parte da altre Cauſe, & abuſi.

Perciò incominciaſte fin d'allora, e poi di mano in mano ſiete andato procurando, col conſiglio, e coll'aſſiſtenza di altri due Voſtri Colleghi dà Voi preſcelti fin dà principio per tal'effetto, cioè dall'Avvocato Niccolò Maria de Vecchj, e di Monſignor Filippo Maria Pirelli di rimediare ai ſudetti, ed altri diſordini, con diverſi provvedimenti dà Voi preſi all'occorrenze, col noſtro precedente Oracolo; e quindi con grandiſſimo noſtro piacere, e con applauſo di tutta la Città ſi è veduto ſubito riſorgere l'antico nome, e credito *della Sapienza* di Roma, ritornare nel cuore de' Giovani l'amore, e l'applicazione allo Studio delle Umane, e delle Divine Lettere, e creſcere il concorſo delli Studioſi in numero quaſi al doppio maggiore di quel, che vi era ſul principio del Voſtro Rettorato.

Mà perchè i ſuddetti provvedimenti, benchè da Voi preſi, come ſi è detto, col noſtro precedente Oracolo, ſono più

toſto ſtati provedimenti proviſionali, e preſi per farne eſperimento prima di ridurli in forma di ſtabile, e perpetua Legge: Perciò dopo il decorſo di due Anni di detto Voſtro Rettorato, volendo Noi ſtabilire un fermo, e perpetuo ſiſtema, col quale ſi abbia da regolare, e governare in avvenire queſta Noſtra altre volte così celebre, e rinomata Univerſità, dalla quale ſono uſciti in diverſi tempi Uomini dottiſſimi, e per la quale Noi abbiamo tanto amore, per eſſere ſtati Noi ſteſſi parecchi anni, prima che foſſimo aſſunti all'onore del Cardinalato, Rettore dell'Univerſità medeſima.

Di noſtro Moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della Noſtra Apoſtolica Autorità, avendo quì per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto il tenore di tutti, e ſingoli Decreti, Chirografi, Motuproprj, Brevi, Coſtituzioni, ed altre qualſiſiano Lettere Apoſtoliche d'Innocenzo IV., Bonifacio VIII., Eugenio IV., Siſto IV., Leone X., Siſto V., Clemente VIII. Aleſſandro VII., Innocenzo XII., Clemente XI., e di qualunque altro Noſtro Predeceſſore, e ancora Noſtre, e quelle approvando, e confermando nelle parti uniformi, e compatibili, e reſpettivamente rivocando, e riformando nelle parti contrarie, e difformi dà queſta preſente Noſtra diſpoſizione.

Vogliamo in primo luogo, ordiniamo, e comandiamo, che in avvenire, e di mano in mano, che verranno vacando le Cattedre, e Letture della Sapienza di qualunque Claſſe ella ſia, anche per via di Giubilazione, o che ſi faccia ad alcuno dei Lettori, che oggi vi ſono, qualche accreſcimento di Salario, dobbiate Voi, e Voſtri Succeſſori pro tempore ridurre le ſuddette Letture, ſiccome Noi dà adeſſo per allora, e quando ne verrà il caſo, le riduchiamo, e vogliamo s'intendano ipſo facto ridotte dà ordinarie *à quotidiane*; ſiccome di Noſtro Ordine, e comando avete già fatto per la Cattedra, e Lettura della Scrittura Sagra: Per l'altra della Fiſica eſperimentale: Per l'altra della Logica: Per l'altra di Medicina Teorica, che ottenne il Dottore Marco Angelo Marcangeli in occaſione, che gli accreſceſte altri trenta ſcudi di annuo Salario: Per l'altra dell'Iſtituta Bottanica: Per l'altra di Matematica: e finalmente per l'altra di Chirurgia, ed Anatomia. Eſſendoſi per eſperienza riconoſciuto eſſere affatto impoſſibile lo ſpiegare

con

con ſole ſeſſanta Lezioni, quante ſono regolarmente quelle, che ſi chiamano ordinarie, qualunque ſia materia, in modo che gli Scolari ne ricavino profitto, e i Padri di Famiglia ottengano il fine, per cui mandano i loro Figlioli allo Studio.

Di più vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che delle tre Claſſi, quali compongono l'Univerſità) laſciando per ora di fare alcuna innovazione fino ad altro noſtro miglior provedimento riſpetto alla terza, che chiamaſi *delle Arti*) per quel che appartiene alle altre due Claſſi *di Legge*, *e di Medicina*, nelle quali vi ſono al preſente alcune Letture del tutto inutili, e ſuperflue, ſi riformi, e reſtringa il numero dei Lettori, come in appreſſo, cioe riguardo alla Claſſe legale, nella quale al preſente ſi trovano nove Lettori di numero, & un'altro ſopra numero ammeſſo ultimamente in concorſo. Vogliamo, & ordiniamo, che di mano in mano, che andarà vacando qualche Lettura ò per morte, ò per giubilazione, ò in qualunque altro modo, Voi, e Voſtri Succeſſori prò tempore nel Rettorato dobbiate affatto ſopprimere, come Noi fin da ora, e per quando ſuccederanno dette vacanze, ſopprimiamo affatto le tre Letture, che prima vacaranno, di modoche non abbiano in avvenire à reſtar in queſta Claſſe, che ſei Lettori di numero ſolamente, cioè uno per le Iſtituzioni Canoniche, l'altro per le Iſtituzioni Civili, un'altro per le Iſtituzioni Criminali, un'altro per il Decreto di Graziano, un'altro per le Pandette, ed un altro per una materia ò Criminale ò Civile, ò Canonica in ogn'anno ad arbitrio Voſtro, e de'Voſtri Succeſſori: e nondimeno, perche può darſi il caſo, che alcuno di detti ſei Lettori di numero reſti talvolta legittimamente impedito ò per cauſa d'infermità, ò per qualche ſpeciale Commiſſione, che gli ſia data dà Noi, ò dà Noſtri Succeſſori, perciò vogliamo, che oltre ai ſudetti ſei Lettori di numero, vi ſia ſempre in queſta Claſſe legale un' altro Lettore ſopranumero, come vi è al preſente, il quale abbia l'obbligo di ſupplire quante volte occorrerà, coll'ordine del Rettore prò tempore, le veci di quello, ò quelli, che ſaranno come ſopra legittimamente impediti; con che però per ſopranumero non ſi ammetta mai, che un ſolo.

Per la medeſima ragione vogliamo ſimilmente, e comandiamo, che nella Claſſe Medica, nella quale al preſente ſi

tro-

trovano ſette Lettori di numero, e tre ſopranumero ammeſſi per ſemplice grazioſo reſcritto, ſubito che vacarà ò per morte, ò per giubilazione come ſopra, una di eſſe Letture, la dobbiate affatto ſopprimere, come Noi dà ora per allora la dichiariamo affatto ſoppreſſà, ed abolita: Di modo che per l'avvenire di dette antiche Letture non ve ne reſtino in queſta Claſſe, che ſole ſei, cioè una per le Iſtituzioni di Medicina Teorica, un'altra per le Iſtituzioni di Medicina Prattica, un'altra per le Iſtituzioni di Bottanica, un'altra per le Iſtituzioni Chirurgiche, ed Anatomiche; un'altra per un Trattato di Medicina Teorica, ed un'altra per un Tattato di Medicina Prattica; ed oltre à queſte ſei, l'altra, ò ſia ſettima, che noi ſteſſi abbiamo di recente iſtituita, & aggiunta per le Iſtituzioni, & eſperimenti Chimici con un nuovo aſſegnamento liberalmente donato a queſta Noſtra Univerſità di Roma, come appariſce dalla Bolla già da noi ſegnata, quale ſarà regiſtrata in una delle prime Camere nel proſſimo Novembre. E che in eſecuzione di queſta noſtra volontà accordiate, come noi benignamente accordiamo, e concediamo al Dottor Niccolò Michelangeli la giubilazione, che egli già dà tanto tempo umilmente domanda nelle forme ſolite, e conſuete,

Mà perche in oggi come poc' anzi ſi è detto, ſi trovano in detta Claſſe Medica trè Lettori ſopranumero, e noi all'incontro vogliamo, che in avvenire vi ſia un ſolo ſopranumero, il quale ſia obligato ſupplire per quelli di detta ſua Claſſe, che ſaranno legitimamente impediti, nella ſteſſa maniera, che ſopra ſi e ordinato per la Claſſe Legale. Perciò vi ordiniamo, e comandiamo, che ſe mai accaderà, che alcuno dei tre ſudetti Lettori ſopranumero, ammeſſi per ſemplice reſcritto, ſubentri per concorſo, come in appreſſo, in caſo di vacanza ad alcuna di dette Letture di numero, ò manchi in altro qualunque modo, non dobbiate ammettere altro ſopranumero in luogo di quel che ſubentrarà, ò mancarà, affinchè queſta Claſſe di Medicina reſti in avvenire perpetuamente riſtretta à ſette Lettori di numero, ed un ſol Lettore ſopranumero. Non intendiamo per altro con ciò d'eſcludere l'altro Lettore, ed Oſtenſore della Bottanica Prattica, che deve invigilare, e ſopraintendere alla cura, e direzione dell'Orto Medico ſopra il Colle di San Pietro in Montorio, e quivi in al-

alcuni tempi dell'Anno far le ſue Lezioni, ed Oſtenſioni delle Piante tanto noſtrali, che Eſotiche. Anzi in virtù del preſente Noſtro Chirografo approviamo, e confermiamo la reintegrazione, che col noſtro precedente Oracolo avete fatta di detta diſtinta Lettura in perſona del Padre Abbate Gio: Franceſco Maratti Vallombroſano, la quale era ſtata con publico danno in queſti ultimi tempi diſmeſſa, & abbandonata. Vogliamo bensì, che il Lettore ſudetto di Bottanica Prattica non poſſa mai paſſare ad alcuna delle ſette Letture di Medicina, che ſi fanno, e faranno in Sapienza, e molto meno che poſſa ottare i Salari à quelle deſtinati; mà debba eſſer contento del ſuo particolare aſſegnamento, che non dovrà mai eccedere l'annua ſomma di ſcudi cento venti.

Fiſſato così in dd. due Claſſi il numero de' Lettori, volendo Noi provedere opportunamente all'altro diſordine, che fin'ora è nato dal frequente paſſaggio, che han fatto i Lettori di detti due Claſſi da una Lettura in un'altra totalmente diverſa, e diſparata, e quaſi per via, e dritto di ozzione, come per eſempio dalla Lettura Criminale alla Canoniza, dalla Letra di Bottanica alla Notomìa: Vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che per l'avvenire niuna di dette Letture di numero tanto in Legge, quanto in Medicina abbia alcun fiſſo, e ſtabile ſtipendio, ò ſia Dote, come anno avuto per lo paſſato dà qualche tempo à queſta parte, ſpecialmente nella Claſſe legale, mà che in ciaſcheduna di di dette due Claſſi tolta qualunque diverſità, e diſtinzione di Letture, e tolti affatto gli emolumenti ſtraordinarj, che ſi davano à quei, che leggevano le Iſtituta Legali, e Mediche, gli ſtipendj, e Salarj di ciaſcheduno reſtino in tutto, e per tutto ſtabiliti nel modo ſeguente. Cioè i due Lettori più anziani abbiano in ogn'una di dette due Claſſi annui *ſcudi quattrocento* per uno: I due meno anziani *ſcudi trecento*: e gli ultimi *ſcudi duecento*, quali ſcudi 200. riſpetto al Lettore di Chimica dà Noi nuovamente iſtituito, ſi pagaranno con l'aſſegnamento fattoli à parte in detta Noſtra Bolla. Di maniera che dall'anzianità del ſervizio, e non più dalla diverſa qualità, e denominazione delle Cattedre, e Letture dipenda in avvenire il conſeguimento del maggiore, ò minor Salario. Per la qual coſa ordiniamo à Voi, & ai Rettori prò tempore Voſtri Succeſſori, che tanto nell'una, quanto nell'

nell'altra Claſſe, ſubito che accaderà qualche vacanza, per la quale vengano à ricadere i Salarj aſſegnati ad alcuno dei preſenti Lettori, dobbiate ridurre proporzionatamente gli ſtipendj di ciaſcuno alla ſomma poco anzi ſtabilita, ſecondo la propria anzianità, e che intanto, nè prima, nè dopo ſeguita detta riduzzione, permettiate, che alcuno de'preſenti Lettori paſſi dà una Lettura all'altra, giacchè non altrimenti, che reſtando ciaſcun di eſſi ſempre fiſſo, e fermo nella Lettura, alla quale è ſtato eletto, può ſperarſi, che col lungo, e perpetuo ſtudio ſulla materia, che gli appartiene, divenga in eſſa un'eccellente Profeſſore.

E perchè finora in detta Claſſe Medica, ſi davano per Turno à due Lettori, che facevano le due Lezzioni quotidiane d'Iſtituta Teorica, e Prattica ſcudi 120. per ciaſcheduno, oltre il ſolito, e conſueto Salario: lo che oggi non è più prattica-bile dopo eſſere ſtati da Voi ſtabiliti come ſopra per ordine noſtro trè Lettori con Letture fiſſe, e quotidiane: Perciò in eſecuzione di queſto Noſtro nuovo regolamento vogliamo, che fin da oggi con detti annui ſcudi 240., che prima ſi davano per Turno alli detti due Iſtitutiſti, e dopo giubilato detto Dottor Michelangeli, accreſciate, & augumentiate, come Noi in virtù del preſente accreſcemo, & augumentamo li ſoliti Salarj dei quattro Lettori più anziani, cioè dei Dottori Aleſſandro Paſcoli, Franceſco Soldati, Coſimo Grilli, e Marcangelo Marcangeli in altri ſcudi 40. annui per ciaſcheduno, col peſo però di leggere quotidianamente nei giorni, che ſtabilirete nel Calendario; e che li reſiduali ſcudi 80. dobbiate aſſegnarli al Padre Franceſco Jacquier Lettore di Fiſica eſperimentale à compimento degli annui ſcudi 200., che li furon promeſſi, quando fù eletto à detta Lettura.

Dichiariamo però con il preſente, che per ottare gli ſtipendj, e Salarj maggiori, ſebbene l'anzianità ſudetta dovrà computarſi dal giorno, che ciaſcuno farà ſtato ammeſſo per Lettore di numero, nondimeno ſe alcun Lettore in avvenire per qualſivoglia cauſa fuor di quella d'infermità, intermetterà di leggere in qualche tempo per ſe ſteſſo, queſto tempo più non debba contarſi per l'anzianità ſopradetta.

E benchè i due Lettori ſopranumero, cioè uno della Claſſe Legale, e l'altro della Claſſe Medica, non debbano mai ave-

avere, ne poſſano mai pretendere alcun fiſſo Stipendio, nondimeno permettiamo a voi, ed agli altri Rettori pro tempore col precedente noſtro oracolo, e de' noſtri Succeſſori, ſecondo le circoſtanze de' caſi, e de' tempi di anche dar loro qualche ricognizione delli denari dell'Univerſità, che come in appreſſo avvanzaranno, qualora debbano ſupplire per una Terzaria intera, o per altro più lungo tempo le veci di qualche Lettore di numero, che ſia legitimamente impedito per motivo, e cauſa d'infermità; Ma qualora debba un ſopranumero ſupplir le veci d'un Lettor impedito per qualunque altra cauſa, che d'infermità; vogliamo, che allora il denaro ſi prenda dal ſalario di quel Lettore, a cui dovrà ſupplire.

Perche poi a provedere l'Univerſità per ogni tempo avvenire di Uomini veramente idonei, e di merito diſtinto, e neceſſario, che non ſi ammetta alcun Lettore, che per via di concorſo; Perciò noi inerendo alla noſtra Coſtituzione: *Inter conſpicuos*, dei 29. Agoſto 1744. Vogliamo, ed ordiniamo, che per ogni futuro tempo non ſi ammetta nella Sapienza alcun Lettore, che per ſolo concorſo da tenerſi nel modo, e forma, che ſi è pratticato ultimamente per la lettura di Logica, e per l'altra di Notomia, il che ſervirà anche per animare ſempre più la gioventù allo ſtudio, mediante la ſicurezza di poterſi in tal modo acquiſtare un giuſto, ed oneſto premio delle proprie fatiche. Riſervando a Noi, ed a' noſtri Succeſſori, eſcluſivamente ad ogn'altro, l'arbitrio di eleggere qualche Lettore ſenza concorſo, quando vi ſia un ſoggetto così noto, ſpecialmente per le Opere già da lui pubblicate, che non vi ſia biſogno fare altra prova della ſua abilità. E perche al preſente ſi ritrovano nell'Univerſità i ſuddetti tre ſopranumerarii ammeſſi ſenza concorſo nella claſſe Medica, perciò ordiniamo a voi, ed ai Rettori pro tempore voſtri Succeſſori, che dopo ridotto il numero de' Lettori come ſopra, venendo la vacanza di qualcuna delle Letture poc'anzi fiſſate, e ſtabilite, dobbiate ciò non oſtante chiamare il concorſo, e colla noſtra approvazione conferir la Lettura, e ſpedirne la Patente a quello, che dopo il ſolito rigoroſo eſame, averà riportato nel ſegreto Scrutinio maggior quantità di voti. Solamente nel caſo, che alcuno de' Lettori già ammeſſi per ſopranumero ottenga egual numero di voti, dobbiate preferirlo, come fu ordinato negli accennati ultimi

due concorſi; E che lo ſteſſo ſi oſſervi ſempre in avvenire, anche riſpetto ai due ſopranumerarj, che dovranno tenerſi tanto nella claſſe Legale, che nella Medica per ſupplire le veci degl' impediti: quando non ſiano ſtati fin da principio ammeſſi per concorſo,

Per lo ſteſſo fine ordiniamo in oltre, e comandiamo a tenore della Conſtituzione 4. di Leone X. noſtro Predeceſſore, che aſſumendo in avvenire alcun Lettore altro impiego, o carica, per cui reſti impedito di eſercitare per ſe medeſimo la ſua lettura, queſta vachi ipſo facto, & ipſo jure; E che quante volte un Lettore laſciarà di leggere, o non ſarà pronto a ſalire in Cattedra all'ora deſtinata, dobbiate Voi, e voſtri Succeſſori pro tempore aſſolutamente, e ſenza riguardo alcuno, ritenergli quella parte di Salario, che corriſponde alla lettura di quel giorno, e così puntarlo tante volte, quante mancarà di leggere, o di eſſer pronto a leggere, eccettuato il ſolo caſo d'infermità, nel quale, come *anche riguardo all'applicazione* di tali puntature vogliamo, che ſi oſſervi l'Editto da voi pubblicato a' 18. *Ottobre* 1747. da noi veduto, ed interamente approvato.

Ed eſſendo un punto di graviſſima importanza per il buon regolamento dello ſtudio, e profitto della Gioventù, che ciò che s'inſegna da un Lettore in una facoltà, ſia di ſtrada, e preparamento all'altra facoltà ſuperiore, e che all'incontro non ſi conſumi il tempo in materie poco utili, o poco adattate all' eſiggenza de' tempi noſtri: Perciò vogliamo, che ſia cura voſtra principale, e de' Rettori pro tempore lo ſtabilire in ciaſcun' anno prima dell'apertura de' nuovi ſtudj non ſolo il Calendario dell'Univerſità con li giorni, ed ore, nelle quali dovrà leggerſi, dandovi anche la facoltà, ed arbitrio di ridurre a due le tre ore del dopo pranzo, ſe così ſtimarete più opportuno, ma ancora le materie, che dovrà leggere ciaſcun Lettore, e l'ordine, e metodo, col quale dovrà leggere. Come pure incarichiamo a voi, ed agli altri Rettori pro tempore di non tralaſciare le viſite delle Scuole, o per voi ſteſſo, o per mezzo di altri Colleghi almeno una volta la ſettimana: Lodando noi a tal effetto, ed approvando, che fin dal principio del voſtro Rettorato abbiate aſſunto per conſiglio, e per ajuto nelle coſe, che appartengono alla buona direzione dell'Univerſità

li

Digitized by Google

li ſopranominati due voſtri Colleghi, e ſimilmente per le viſite delle Scuole ſparſe per li Rioni di Roma, la buona direzione delle quali a voi, ed a' voſtri Succeſſori interamente appartiene, l'Avvocato Giuſeppe Aſcevolini, incaricando agli altri voſtri Succeſſori nel Rettorato di fare ancor eſſi il medeſimo anche in eſecuzione del Decreto fattone altre volte dal pieno Collegio.

Accioche però i Lettori di ciaſcuna delle trè Claſſi reſtino ſempre più animati a ſervire con attenzione, e puntualità, vogliamo, che non oſtante che, ſecondo l'antico Inſtituto, di cui ſi fa memoria ogn'anno nella ſolenne apertura delli ſtudi, non ſono li medeſimi condotti, che per determinato tempo di due anni, nondimeno dopo lungo, e puntual ſervigio, e dopo aver moſtrato il loro zelo per l'utile, e per l'onore della Univerſità, poſſano ſperare dalla Beneficenza Noſtra, e de' noſtri Succeſſori il beneficio della giubilazione. Ma perchè anche in queſta parte è occorſo alcune volte qualche diſordine, ed abuſo; Volendo pertanto noi provedervi con opportuno regolamento, dichiaramo in primo, che niun Lettore per lungo tempo, che abbia ſervito, poſſa pretendere in rigor di giuſtizia di eſſere giubilato, atteſa la condotta temporaria di ciaſcun di eſſi, in conformità di detto antico ſtabilimento dell'Univerſità, quale noi laſciamo nel ſuo vigore. Da poi, ed in ſecondo luogo dichiaramo, ed ordinamo, che chiedendoſi da taluno di eſſi la grazia della giubilazione, poſſa queſta dargliſi colla ſeguente diverſità, cioè, che quelli, che averanno ſervito, e letto attualmente nella Sapienza per il tempo continuo di quaranta anni, computato nella ſteſſa maniera che poc'anzi ſi è detto per l'anzianità, poſſano eſſere giubilati ſenza alcuna diminuizione, o ritenzione dello ſtipendio, che in quel tempo goderanno ſecondo la loro anzianità. Quelli poi, che avranno ſervito ſopra i trent'anni, ma non averanno compiuto i quaranta, eſſendo ammeſſi da Noi, o da noſtri Succeſſori al beneficio della giubilazione, dovranno laſciare del ſalario, di cui allora goderanno, annui ſcudi ſeſſanta, e quelli finalmente, che averanno ſervito ſopra i vent'anni, ſe mai occorrerà, che per iſpecial grazia ſiano giubilati, dovranno laſciare la metà del lor ſalario, per doverſi aſſegnare in tutto, o in parte, ſecondo che ſi crederà convenevole, al nuovo Lettore, che ſarà eletto in luogo del Giubilato. Il che però, quanto alle due Claſſi di Legge, e di

Digitized by Google

Medicina dovrà intenderſi per le giubilazioni, che ſi faranno dopo ridotti i Lettori al numero come ſopra ſtabilito. Volendo noi, e decretando eſpreſſamente, che ſe alcuno non avrà compiuto venti anni almeno di eſatto, e puntual ſervigio, non debba mai ſperare di eſser giubilato, affinche ſotto il colore di giubilazione, il pubblico denaro deſtinato per lo ſtudio, ed al mantenimento neceſsario de' Lettori, non ſi converta in altre cauſe diſparate, come pur troppo qualche volta e avvenuto con evidente pregiudizio dell'Univerſità.

In queſto modo eſsendoſi data da Noi l'opportuna providenza da eſeguirſi eſattamente nell'avvenire per lo buon regolamento dell'Univerſità, e per evitar i diſordini, che ſi erano introdotti; perche poi e anche neceſſario di dar provedimento per le ſpeſe, che biſognano per l'Univerſità ſudetta; tanto maggiormente per aver noi già cominciato nella detta Univerſità l'Iſtituto colle Machine liberalmente donate al medeſimo; e per eſſergli per noſtro comando meſſo in miglior ordine, e coltura l'Orto Medico, al quale abbiamo ſimilmente donato altre due oncie della vicina acqua Paola, perciò aſcendendo il denaro, che biſognarà per li ſalarj come ſopra ſtabiliti per la Claſſe Legale alla ſomma di ſcudi mille ottocento annui. Per la Claſſe Medica ad altri ſcudi mille novecento venti, coi quali ſalarj dd. due Claſſi, e ſpecialmente la Legale reſteranno più abbondantemente provedute, atteſo il numero il numero più riſtretto dei Lettori, di quel che erano per lo paſſato. E per la terza Claſſe delle Arti ad altri ſcudi mille, e ottocento, quali deſtiniamo, ed applichiamo alla medeſima li reſtanti quattrocento, e ottanta, che avanzaranno fino all'intera ſomma di ſcudi ſei milla aſsegnati da tempo antichiſſimo all'Univerſità anzidetta, (ſenza però comprendere l'annuo Reddito di Avignone da noi ultimamente donato, e reſpattivamente deſtinato per li ſalarj delle due Nuove Cattedre, e per le ſpeſe degli eſperimenti Fiſici dome in detta noſtra Bolla) Vogliamo, ed ordinamo, debbano ogn'anno depoſitarſi nel noſtro Monte di Pietà di Roma in conto a parte, e con ordini ſottoſcritti da Voi, e Voſtri Suceſſori erogarſi, ed impiegarſi per le ſpeſe neceſsarie della medeſima, cioe, per quelle dell'Inciſore, ed altre, che occorrono nelle oſtenſioni Anatomiche, per quelle del Machiniſta, ed altre, che biſognano nelle dimoſtrazioni, che ſi fanno ogni quindici

dici giorni di Fiſica Eſperimentale, per mantenimento delle Machine dell'Iſtituto, che Voi avete fatto già diporre con buon ordine negli armari fabbricati a tal effetto in una delle Stanze ſuperiori della Sapienza, e per l'annuo accreſcimento delle medeſime per quelle ſpeſe, che occorrono per la miglior cultura, ed accreſcimento dell'Orto Medico, per dar, quando ſi creda convenevole, qualche ſovvenimento a quei Lettori, che publicaranno in avvenire alle ſtampe qualche opera da eſſi compoſta, per accreſcere la libraria, e finalmente per ogni altra coſa, che Voi, e Voſtri Succeſsori coll'approvazione degli altri Voſtri ſudetti Colleghi crederete neceſſaria, utile, ed opportuna all'Univerſità ſudetta, perche così è noſtra preciſa, e determinata volontà, derogando a tal effetto a qualunque coſa ordinata in contrario da Noſtri Predeceſſori.

Sopra tutto vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che voi, e qualunque altro Rettore pro tempore dobbiate vegliare, ed inſiſtere, che i Lettori, e Profeſſori, come ſono ſtati per lo paſſato; ſieno per l'avvenire di eſempio alla Scolareſca tanto nella ſana dottrina, quanto nel buon coſtume, e che gli Scolari, Bidelli, ed altri qualſivogliano Miniſtri, Servienti, Subalterni, e dipendenti dell'Univerſità oſſervino la dovuta modeſtia, e vivano col ſanto timor di Dio, tanto dentro la Sapienza, e nel tempo delle Lezioni, quanto anche fuori, per il qual effetto i Noſtri Predeceſſori, e ſpecialmente il detto Leone X. han conceduto al Rettore ſopra di eſſi, e ciaſcuno di loro ampia giuriſdizione Civile, Criminale, e Miſta; come appariſce dalla Coſtituzione del nominato Ponteſice fra le ſue la quarta, alla quale non è ſtato giammai derogato, e che Noi quando, ne faccia biſogno rinoviamo, e confermiamo. Volendo Noi, che ſiano puntualmenre eſeguite le ordinazioni, e proibizioni, che ſogliono ogn'anno pubblicarſi con Editti del Rettore pro tempore nella nuova apertura degli ſtudj, come avete voi fatto col voſtro pubblicato a' 18. *Ottobre dell'anno ſcorſo* 1747. anche col Noſtro precedente Oracolo, ed approvazione.

Ordiniamo oltre a ciò, e comandiamo sì a Voi, che ai voſtri Succeſſori di attendere, e ed invigilare, che l'Univerſità non reſti in verun conto pregiudicata ne' ſuoi beni, dritti, e ragioni di qualſivoglia ſorta, o nella libera, e pront a eſiggenza delle ſue rendite, dandovi perciò tutte le facoltà neceſſarie, ed

opportune ad effetto di coſtringere ſommariamente, & more Camerali tutti, e ſinguli Inquilini, e Debitori della medeſima, come pure dobbiate attendere, ed invigilare, che i Lettori, Scolari, Bidelli, ed altri come ſopra non ſiano defraudati del Privilegio del Foro, e degl'altri privilegj, che ſono ſtati lor conceduti dai Noſtri Predeceſſori, e ſpecialmente dal più volte nominato Leone X. Anzi per ſempre più animar i medeſimi Lettori, e Scolari oltre gli altri privilegj concedutigli da Noſtri Predeceſſori, quali tutti confermiamo, approviamo, e quando ne faccia biſogno, concediamo di nuovo. Vogliamo di più, ed ordiniamo, che in parità di merito, e requiſiti i ſudetti Lettori, e Scolari ſiano preferiti ad ogn'altro nel conſeguimento de' Beneficj, e Dignità Eccleſiaſtiche, che ſi danno per concorſo, o che ſono di libera collazione della Santa Sede, e reſpettivamente nelle Cariche, governi, ed Impieghi pubblici, anche degli Oſpedali di queſta Noſtra Città di Roma, ciaſcuno ſecondo la ſua profeſſione, e capacità: Al qual effetto, perche ſempre appariſca quali ſono quei, che debbono godere de ſudetti privilegj, vogliamo, che in ogni principio dell'anno Scolaſtico ſi faccia la matricola, ed elenco di eſſi Scolari nella maniera, che voi, e Voſtri Succeſſori crederete più facile, ed opportuna.

In ultimo affinche queſti Noſtri Regolamenti abbiano in ogni tempo il loro pieno, e dovuto effetto, vogliamo, che il Noſtro Collegio degli Avvocati Conſiſtoriali congregandoſi ſpecialmente a tal effetto in fine di ogni Terziaria riconoſca ſe li medeſimi ſono puntualmente eſeguiti, e che il Decano, o altro de Seniori aſſieme con il Rettore pro tempore riferiſcano fedelmente a Noi, e Noſtri Succeſsori lo ſtato preciſo della Univerſità, e ſuoi biſogni. Per lo che incarichiamo a Voi, ed agl'altri Rettori pro tempore, che almeno nelle coſe più gravi, e rilevanti di eſsa Univerſità, ancorche rimeſse al Rettore ſecondo il coſtume con ſpecial reſcritto; non laſciate mai di prenderne prima il parere, e conſiglio del medeſimo Collegio.

In eſecuzione adunque di quanto ſi diſpone in queſto noſtro Chirografo, diamo a Voi, ed a Voſtri Succeſſori pro tempore ampla, ed ampliſſima facoltà di dar Ordini, far Decreti, ſpedir Patenti, pubblicar Notificazioni, et Editti eziandio penali, e far tutt'altro, che crederete neceſsario, ed opportuno, poiche così è mente, e volontà noſtra eſpreſsa, volendo, e decretando

do, che al preſente Noſtro Chirografo dopo che ſarà firmato di Noſtra Mano, benche non ammeſso, ne regiſtrato in Camera, non poſsa mai darſi ne di orrezione, ne di ſorrezione, ne poſsa mai opporſi difetto di noſtra volontà, ma debba ſempre aver il ſuo pieno effetto, eſecuzione, e vigore non oſtanti la Coſtituzione di Pio IV. Noſtro Predeceſsore de regiſtrandis, la Regola della noſtra Cancellaria de Jur. quæſ. non tollen. le ſuddette, e qualſivoglia altra Coſtituzione, ed ordinazione Apoſtolica, Statuti della noſtra Città di Roma, Stili, Uſi, e Conſuetudini della Univerſità, ed ogni altra coſa, che faceſte in contrario, alle quali tutte, e ſingule coſe avendone qui il tenore per eſpreſſo, ed inſerto, ampiamente deroghiamo, e così ſempre debba giudicarſi, definirſi, ed interpretarſi da qualſivoglia Giudice ordinario, e Delegato, dal Tribunal della piena Camera, e della Rota, dal Illuſtriſſimo Cardinal Camerlengo, e da qualſivoglia Congregazione anche di Illuſtriſſimi Cardinali, togliendo ad eſſi, ed a ciaſcuno di loro, ed a qualſivoglia altro ancorche degno di ſpecial menzione ogni facoltà di giudicare, o interpretare altrimenti, e dichiarando adeſſo, per allora irrito, nullo, e di niuno effetto, tuttociò che ſi attentaſſe in contrario, ancor che circa le coſe contenute nel preſente Chirografo non ſiano ſtati citati, chiamati, ne inteſi li Conſervatori di Roma, i moderni Lettori della Univerſità, ed ogni altro, che vi aveſsc, o pretendeſse di avervi intereſse.

Dato dal Noſtro Palazzo &c. 14. Ottobre 1748.

B E N E D I C T U S PP. X I V.

Die 24. Auguſti 1750. fuit exhibitum in Actis Papparoſſi Not. A. C.

BE-

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu Proprio &c.

Quamvis a tempore antiquiſſimo, quo Collegium S.N.C. Aulæ Advocatorum inſtitutum fuit, nulla extet ſatis certa memoria, quod eorum aliquis Habitu Laicali incedens, & more Nobilium Laicorum militari Enſe præcinctus, Officium retinuerit Advocationis Conſiſtorialis, pro quo, inter cætera, etiam qualitas Clericalis indubitate exigitur; eoque minus poſtquam fel. rec. Alexander PP. VII. Prædeceſſor Noſter Togam peculiarem, atque diſtinctam tam in privatis, quam in publicis Functionibus eiſdem privative indulſit: Quia tamen nuper a nonnullis in dubium revocatum fuerat, utrum Habitus Laicalis per ſe eſſet cum dicto Officio incompatibilis, propterea quod Advocati Conſiſtoriales haud raro fuerint Urbis noſtræ Conſervatores, aliquando Senatores, & quandoque etiam Civitatis Noſtræ Bononienſis apud S. Sedem Oratores. Idcirco dilecti Filii Decanus, & moderni Advocati Conſiſtoriales in Aula Magna Romani Noſtri Archigymnaſii, quod vulgo Sapientia nuncupatur, more ſolito Collegialiter, & legitime congregati, ut omnem præciderent ſuper hoc dubitandi occaſionem, poſt maturum rei, ac totius negocii examen, & prævia ſpeciali noſtra permiſſione, præfatæ antiquiſſimæ conſuetudini merito inhærentes, atque utendo facultatibus jam pridem ipſis competentibus, & per Nos etiam nuperrime confirmatis, decernendi, & ſtatuendi unanimi voto, & nemine prorſus ex decem, qui Collegio interfuerunt, diſſentiente, aut diſcrepante, ſequens decretum per modum declarationis, & quatenus opus ſit, etiam novi Statuti ediderunt, ab unoquoque ipſorum propria manu firmatum, atque ſubſcriptum: Die Mercurij 21. Aprilis 1745. Nos infraſcripti Decanus, & Collegium S. C. A. Advocatorum in Aula magna noſtri Archygimnaſii Romanæ Sapientiæ more ſolito Collegialiter congregati, inhærendo antiquæ conſuetudini, & quatenus opus ſit, per viam novi ſtatuti, & utendo facultatibus nobis clementiſſime attributis, & confirmatis a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa BENEDICTO XIV. in ejus Conſtitutione nuper edita ſub Datum

tum quarto kalen. Septembris 1744. Statuimus, decernimus, & declaramus, Habitum Laicalem eſſe incompatibilem cum Officio Advocationis Noſtræ Conſiſtorialis, atque ideo per aſſumptionem ejuſdem Habitus Laicalis intelligi ipſo facto renunciatum eidem Officio; & ita &c. non ſolum &c. ſed, & omni &c. Thomas Antamorus Decanus: Ludovicus de Valentibus: Joannes Aſcevolinus: Nicolaus Maria de Vecchis: Gabriel de Seriauis: Julius Cæſar Fagnanus: Virgilius Montecatinus: Clemens Argenvillieres: Philippus Maria Pirellius: Alexander Litta: Nos igitur, qui Collegium prædictum pro noſtra in ipſum ſincera affectione, ac benevolentia pluribus aliis beneficiis dudum ornavimus, & cumulavimus, ſerio conſiderantes, Togam Conſiſtorialem non ita eſſe cum Toga Senatoria incompatibilem, ut pro diverſitate actuum, & functionum promiſcuus utriuſque uſus conciliari nequeat: Contra vero neque ſtatui Clericali, neque Officio, & functionibus Advocati Conſiſtorialis, neque demum decori ipſius Collegii congruere ullo pacto, aut convenire, quod aliquis ipſorum Habitu Laicali, atque enſe præcinctus in publicum prodeat, atque incedat. Ac de cætero attendentes, Habitus Clericalis uſum, Togæque Conſiſtorialis inſignem quidem, paucisque admodum, & electis Viris conceſſam prærogativam nullo unquam tempore impedimento, vel moræ fuiſſe, quominus ipſi Advocati Conſiſtoriales, qui in Sacris conſtituti non erant, Nobiles uxores duxerint ex Familiis etiam primariis, & magnatitiis tam Urbis, quam reliquarum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici Civitatum: Motu proprio non ad dicti Collegii Advocatorum, ſeu illius particularium perſonarum inſtantiam, ſed ex noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione præhabita, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine Decretum Collegii præinſertum non modo approbamus, & confirmamus, eique tenore præſentium inviolabilis firmitatis robur adjicimus; verum inſuper pro majori cautela eidem Decreto addentes Motu, & poteſtate paribus volumus, conſtituimus, decernimus, & ordinamus, quod ſtatim ac aliquis ex Advocatis Conſiſtorialibus tam præſentibus, quam futuris, tam de numero duodenario, ſeu Titularibus, quam etiam Coadiutoribus ſub quacumque forma datis, & conſtitutis, etiam cum futura ſucceſſione, prædictum Habitum Laicalem quandocumque aſſumpſerit, & militari enſe accinctus

in

in publicum prodierit, ipſo jure, & ipſo facto, abſque ulla præcedente monitione, declaratione, vel ſententia, ab Officio Advocationis Conſiſtorialis; & reſpective Coadiutoria perpetuo decidiſſe cenſeatur; ita ut Officium prædictum vacet, & reſpective Coadiutoria ceſſet eo ipſo, non obſtantibus Legibus, & Statutis, etiam ipſius Collegii, Ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, Cancellariæ noſtræ Regula de jure quæſito non tollendo, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem, quæ ſuperius conſtituimus, perpetuis futuris temporibus inviolata ſerventur, eorum exequutionem committimus Ven. Fratribus Noſtris Thomæ S. R. E. Cardinali Ruffo nuncupat. Epiſcopo Oſtienſi, & Veliternenſi, ac ejuſdem S. R. E. Vice-Cancellario, ac Annibali S. Clementis nuncupat. Epiſcopo Portuenſi S. R. E. Camerario, aliiſque ejuſdem S. R. E. Cardinalibus Camerario, & Vice-Cancellario pro tempore exiſtentibus cum ampla, & libera facultate ſtatuendi, & decernendi quidquid pro accurata, & omnimoda hujuſmodi Decreti, & Ordinationis, & voluntatis exequutione decernendum, & ſtatuendum eſſe duxerint. Sublata in præmiſſis quibuſcumque Judicibus Ordinariis, & Delegatis etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus aliter judicandi facultate. Nos enim ex nunc irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Datum Romæ ex Palatio Noſtro Quirinali, hac die 5. Maji 1745.

BENEDICTUS PP. XIV.

Cum Decanus, & moderni Sac. Conſiſtorialis Aulæ Advocati ad conſervandam antiquiſſimam conſuetudinem, quæ inter mox dictos Advocatos floruit, a Laicali videlicet Habitu abſtinendi, ſub die 21. proximi elapſi Menſis Aprilis Collegialiter congregati Decretum ediderint, per quod declararunt, Habitum Laicalem eſſe incompatibilem cum Officio Advocationis Conſiſtorialis, adeo ut per aſſumptionem ejuſdem Habitus Laicalis intelligatur ipſo facto renunciatum eidem Officio, Sanctitas Veſtra pro ſua erga Collegium Advocatorum prædicto

ctorum benevolentia, condigniſque rationibus Decretum ab eis, ut ſupra, editum, Motu proprio confirmare, & approbare Apoſtolica auctoritate dignatur, & inſuper decernere, quod Officium vacet eo ipſo, nunc, & pro tempore exiſtentibus S. R. E. Cardinalibus Camerario, & Vice-Cancellario Executoribus deſignatis; Cum derogationibus, Clauſulis, & Decretis in præſenti Cedula Motus Proprii latius expreſſis.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google